14. 31. K. 17

M

Tractatus
HENRICI BLYSSEMII
SOCIETATIS IESV,

DE

Vno geminoque ſacrę Euchariſticæ Synaxeos ſalubriter percipiendæ ritu ac vſu,

AD

Declaranda & confirmanda quædam Catholicæ veritatis dogmata & veneranda myſteria,

CONTRA

Grauiſſimos Aduerſariorum errores vtiliter ac compendioſè conſcriptus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IOAN. VI.

Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit. Non ſicut manducauerunt Patres veſtri manna & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

Hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur.

Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: Et panis quem ego dabo, caro mea eſt. Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.

Cum gratia & priuilegio Cæſareæ Maieſtatis.

INGOLSTADII,
Ex Officina Typographica DAVIDIS SARTORII.
Anno M. D. LXXXV.

EPIGRAMMA
AD LECTOREM.

HVC, age, qui variis errorum fluctibus actus,
Myſtica ſectaris dogmata Lector ades.
Noſtra tibi ſacros aperire volumina ſenſus,
Aut poterunt fluxam conſtabilire fidem.
Victima pro mundi, quæ quondam cæſa ſalute eſt,
Qua ſumenda tibi ſit ratione, docent.
Namq; tot hac de re doctorum ſcita feruntur,
Eruere vt verum ſit grauis inde labor.
Socraticum veluti ſe iurat quiſque Sophorum,
Nullus at alterius ſenſa probare poteſt;
Quisq; ſuæ haud aliter, cùm contra ſentiat illum,
Perfidiæ Chriſtum iactat habere ducem.
Non equidem gemina rerum ſub imagine, plebem
Sumere diuinas damno, vetoq; dapes.
Attamen ad panis ſolam conſueſce figuram,
Vtilitas, Patrum iuſſa, Deusq; monent.
Ambitioſa nec eſt tantùm ſententia noſtra,
Vt mihi ſit ſoli credula danda fides.
Sepoſitas Libyæ ſi vis penetrabimus oras,
Quidq; Auguſtinus ſentiat, ipſe vide.
Cecropias vrbes, per quas oracula Paulus,
Innumeriq; alij iura dedère, petam.
Inde Paleſtinam, tua diue Hieronyme tecta;
Auſoniæq; graues conueniemus auos.
Adde Prophetarum reſponſa, ſacrasq; figuras,
Hæc habeat demùm qui rata, Chriſtus erit.

SERENISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D.

CAROLO ARCHIDVCI AVSTRIÆ, DVCI Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, &c. Principi Sueuiæ, Marchioni ſacri Romani Imperij, &c. Comiti Habſpurgi, Tyrolis, Goritiæ, &c. Landtgrauio Alſatiæ, Domino Marchiæ, Sclauoniæ, &c. Patrono ampliſsimo benigniſsimoque.

NECDVM excidit, ſat ſcio, memoria Sereniſſimę Celſit. V. quòd aliquoties Grętij, quando Collegium Archiducale ſuum inuiſeret, me circa ritus vnius & vtriuſque ſpeciei ſcriptitantem ac lucubrantem inuenerit, ac ſimul indiciis quibuſdam non obſcuris ad opus citius perficiundum ſtimulauerit & vrſerit. Ego quidem pio iuſtoq; deſiderio, quantum mea ferebat tenuitas, ſatisfacere ſui conatus: veruntamen hactenus ob

frequentes profectiones & aſſiduas variorum negotiorum expeditiones, quas euitare non potui, ſatis diu fui præpeditus, quò minus, quod exoptabam, perficere licuerit. Nunc verò, cum tranſactis præcipuis quibuſdam officij mei negotiis, pluſculum temporis nactus viderer, libenter contendi, ſucciſiuis præſertim horis, extremam manum, ſeu, quod aiunt, Colophonem his lucubratiunculis imponere. Quod faxit Deus Opt. Max. vt feliciter ad maiorem ſui nominis gloriam, & ad vberiorem Orthodoxæ fidei propagationem ſaluriter cedat. Cur autem eas Sereniſſimæ Celſit. V. dedicandas cenſuerim, multæ ſunt atq; grauiſſimæ cauſæ, quas nec proponere, nec inſinuare quidem audeo, ne, dum ſingularem Sereniſſ. Celſit. V. pietatē, religionem, & alias incomparabiles dotes, ac heroica virtutum omnium ornamenta, quibus toto terrarum orbe mirificè coruſcat & celebratur, vel obiter attingere velim, ceu verboſꝰ Encomiaſtes, grauiſſimam τῆς κολακείας notam incurrere videar. Cùm enim ſoleant viri ſapientes eiuſ-

modi aſſentatores (tanquam nocentiſſimas beſtias) formidare atque deteſtari, adeoque ſoleam ipſemet eos fugere, aliisque fugiendos ſuadere; planè iudicaui hoc loco ſuperſedendum eſſe cauſſis eiuſmodi, quæ vel minimam aſſentationis ſuſpicionem alicui conciliare poſſent. Vna tamen eſt, ſed omnibus notiſſima ratio, quam omnino prçterire nec poſſum nec debeo. Conſtat omnibus Sereniſſ. Celſit. Veſtram non ſolùm meum, ſed & Collegij Græcenſis Archiducalis ſui, quin & vniuerſæ Societatis noſtræ clementiſſimum eſſe Patronum ac Protectorem, cui ſanè plura maioraq; debemus, quàm vnquam præſtare, licet omnibus noſtris in vnum coactis viribus, queamus. Quid igitur mirum, ſi perexiguum opuſculum hoc dedicetur Sereniſſ. Celſit. Veſtræ, cui non ego ſolùm, ſed etiam quotquot Græcij degimus, preces, ſtudia, labores noſtros, adeoque nos ipſos debemus ac libenter impendimus, quin etiam, ſi fuerit opus, ſuper impendere paratiſſimi ſumus. Proponuntur & explicantur in eo quædam præcipua Ca-

tholicæ pietatis dogmata venerandaq́ue myſteria. Scopus ac finis illius omnis eſt, & totus eò tendit, non, vt quiſquam lædatur, (quod abſit) ſed, vt qui miſerrimè ſeducti ſunt, (excuſsis errorum tenebris) lumine Catholicæ veritatis illuſtrati, reuertantur ad obedientiam Eccleſiæ Catholicæ, &, tanquam oues erraticæ luporum faucibus ereptæ, cum ingenti gaudio, ac communi piorum hominum congratulatione, ad ouile Chriſti redeant. Hoc quærimus, hoc deſideramus, hoc efflagitamus omnes. Hoc ipſum, quoque ſingulari Chriſtianæ commiſerationis affectu, vel maximè precatur, optat & exoptat Sereniſſ. Celſit. V. tanquam zelociſsimus & piiſsimus Princeps atque ſtrenuus imitator D. Ferdinandi, &c. laudatiſsimæ recordationis parentis ſui, qui, dum in Chriſtiano populo, tot hæreſes, ſchiſmata, diſſenſiones ac religionis perturbationes videret, cum grauiſsimo dolore, ſuſpiriis ac lachrymis erumpentibus, frequenter in hæc verba, ſicut eſt memoriæ proditum, loqui ſolebat: *Lamentabile eſt ſpectaculum, & valde luctuoſum*

 ctuoſum

ctuoſum eos, qui ſunt eiuſdem baptiſmi, nominis, imperij, linguæq́; ita diuelli in profeßione fidei, atque innumerabiles animas, quas Chriſtus redemit ſuo pretioſo ſanguine, à Chriſto redemptore, & ſancta Orthodoxáque Eccleſia eius abduci, &c. Ecce piiſsimam, ſaluberrimam, nec ſolùm relatu, ſed æterna quoque memoria digniſsimam D. Ferdinandi lamentationem conceptam ob præſentes hæreſes, quæ vehementer illum contriſtârunt, quæ Sereniſſ. quoque Celſit. V. ſat ſcio, multùm affligunt, quæ viros pios ac doctos, ad commiſerationem facilè commouent, nedum ad lucubrandum & ſcribendum cogunt, ſi tandem aliquando per Dei clementiam pulſa tot hæreſum caligine, Catholicæ veritatis lux nobis refulgeat, & compoſitis tot proteſtantium Aduerſariorum diſsidiis, deſiderata pax Eccleſiæ Catholicæ reſtituatur. Quod vt feliciter ac quamprimùm, cooperante Chriſti ſpiritu, fiat, ex animo precor, ac ſemper precabor. Dominus IESVS dignetur nobis & Eccleſiæ ſuæ, Sereniſſ. Celſit. V.

vnà

vnà cum Sereniſſ. coniuge & chariſsimis pignoribus, quàm diutiſsimè ſoſpitem ac incolumem conſeruare. Viennæ, 16. Nouemb. M. D. LXXXIIII.

Sereniſſ. Celſit. V.

Humillimus in Chriſto ſeruus.

Henricus Blyſſemius.

PRAEFA-

PRAEFATIO AD CANDIDVM LECTOREM.

SCripturus de gemino ſacræ Synaxeos ritu, quo nimirum Eccleſia Dei, vel ſub vna panis, vel ſub vtraq; panis & vini ſpecie, poteſt ac ſolet uti, Candide Lector, *verebar equidẽ, ne vulgaris illa diuinæ Scripturæ parœmia:* הֲגַם שָׁאוּל בַּנְּבִיאִים *in me quadrare videretur; maximè cùm hoc noſtrum, ſaltem hac in parte, fœcundiſsimum ſeculum paſsim abundet præclaris ac præſtantibus ſcriptoribus Catholicis, qui doctis voluminibus controuerſa temporum iſtorum dogmata, feliciter aduerſus Catholicæ pietatis hoſtes, explicârunt, defenderunt & illuſtrârunt. Inter quos profectò noui plurimos, qui ſacra illa & Apoſtolica* πανοπλίᾳ *muniti, ſeſe pios, veros, ac* τοὺς γνησίους *verbi diuini Doctores, tanquam muros aheneos, pro domo Dei viriliter ac zelosè aduerſus importunos Aduerſariorũ inſultus opponunt. Vnde nec vnquam in mentem mihi quidem venit, vt meas qualeſcunq; de vſitatis ſumendi ſacram*

Scriptores Catholici hoc ſeculo multi & docti.

Euchariſtiam ritibus, lucubratiunculas, ſimplici ſtylo congeſtas, in vulgus efferrem, adeoq́; ſubiicerem tot cenſuris ac iudiciis, non dico bonorum ac doctorum virorum (quos mihi candidos arbitros & æquos Iudices fore nihil dubito) ſed curioſorum quorundam cenſorum, qui nihil rectum putant, niſi quod ipſi faciunt, qui pios aliorum conatus inſulſis σαρκασμοῖς *& cauillis infeſtant & inſectantur, qui ſe valde doctos, diſertos, ac ſtrenuos exiſtimant, quando calumniis indignis, fœdisq́; conuitiis, obtrectationibus & maledictis Catholicam veritatem, proſequuntur & irrident, qui deniq́;, cùm Theologi non ſint, ſed Theologaſtri ſeu Matheologi, & vix in Grammaticorum officinis ſatis inſtructi, contra leges ac rationes omnes, plenarium ac ſupremum, quaſi ſummi Monarchæ & Apollines, ſibi de ſacris ac grauiſſimis rebus iudicium vſurpantes veluti ſimiæ Theologos imitantur, & tanquam Momi aliena ſcripta dente pluſquam canino carpunt, ſiquidem vt aiunt Græci* ῥᾴδιον ἐστὶ ἐλέγχειν, ἢ μιμεῖσθαι. *Quamobrem mihi ſemper acceptius & gratius fuit his noſtris temporibus præclarum illud:* λάθε βιώσας, *cùm ille bene vixerit qui benè latuit.*

Cenſores curioſi ac maleuoli qui ſint & quæ faciāt.

Auctor maluit latere quàm f...ere.

Et

Et vt ait quidam: Viue tibi, & longè nomina magna fuge, *quàm edendis aſſertionibus me calumniis hominum iniqua loquentium exponere; præſertim cùm libenter agnoſcam, quàm ſint mihi res anguſtæ domi, & quàm curta ſupellex. Verùm enimuerò, cùm diu multumq́ de his cogitâſſem, tandem depoſito, & abiecto quocunq́ metu, vel etiam prætextu, quem alioqui prætendebam, cogente me conſcientia mea, non ſolùm amicis noſtris id vehementer efflagitantibus, ſatisfaciendum, ſed etiã parendum & obtemperandum fuit, quibuſdam Principibus viris ac Magnatibus, quorum voluntati reſiſtere, vel auctoritati repugnare, minimè conueniebat, maximè cùm temporum horum neceſſitas, vt ipſi iudicabant, huiuſmodi de communicandi modis ac ritibus tractatum poſtulare videretur. Quamuis enim (quod non ſolùm intelligimus, ſed etiam ſummo dolore noſtro palpamus) ſuperbia Babylonicorum Gigantum aſcendat ſemper eóque peculiariter, & aſſiduè conatus ac neruos ſuos intendat, vt omnem ex animis hominum Dei ſenſum extirpet, ac reuulſis Catholicæ fidei cardinibus ac fundamentis* ἀθεότητα *quandam plan-*

Auctor cur tractatum hunc ſcripſerit.

Superbia Babyloniců quales ſit, & quę faciat.

Mahometiſmus inducitur.

tet, donec Mahometiſmum paulatim inuehat (quem hoc tempore Nouatores in Tranſiluania pietati Catholicæ, prô dolor, anteferunt) & propterea nihil circa religionem hactenus intentatum reliquerit, ſed omnia, licet certiſſima veriſſimaq; Orthodoxæ religionis dogmata, myſteriaq; veneranda, iam in controuerſiam vocauerit,

Articuli fidei vocati in controuerſiam.

vt fide penitus ſublata, nihil apud illos firmum, ſtabile nihil, aut certum, ſed dubia & perplexa ſint omnia, & ab hominum iſtorum inter ſeſe, ac ſecum diſſidentium figmentis, contradictionibus ac mendaciis dependeant: nullum tamen hæc eadem Babylonicorum ſuperbia, neque

Vnius ſpeciei cõmunio, quomodo fuerit impugnata.

fidei dogma, neque ritum Sacramentalem, neque qualecunque ſit aliud ſalutis myſterium, pluribus magisq; virulentis furiis, mendaciis & corruptelis, quàm ſacroſanctam ſalutarem ac Deo gratiſſimam vnius ſpeciei ſumptionem impetiuit, & contaminauit. Quod ſanè nec mirum, ſicut nec inuſitatum eſt, quandoquidem, vt dici

Reipub. Chriſtianę ſtat' à quibus & quomodo turbetur.

ſolet, quò præſtantius aliquid & diuinius, et Reipub. Chriſtianæ magis neceſſarium exiſtit, eò ſemper id peiores ac plures habet Aduerſarios & acrius ab eiſdem oppugnatur. Nam vt illi homi-

nes

nes (liceat veritatem dicere) peruerſiſſimi vel potius adiurati videntur Satellites & Adminiſtri Satanæ, cuius opera ſedulò faciunt: ita bonum & integrum Reipub. Chriſtianæ ſtatum ferre nequaquam poſſunt, ſed optima quæq; labefactare, deiicere, ac diſturbare moliuntur. Cùm igitur inter alia dona & ſacra Chariſmata, quibus abundè Deus Eccleſiam ſuam locupletauit, illud Euchariſtiæ Sacramentum longè diuiniſſimum, ſaluberrimum, ac nobis maximè neceſſarium ſit, hinc Aduerſarij præ cæteris, illud quaſi gregatim ac totis (licet non iunctis, ſed diſtractis & inter ſeſe contrariis) viribus, vtpotè per infinitos & phanaticos errores, adoriuntur et oppugnant, vt nobis illud inualidum ac inutile reddere poſſint. Aduerſariorũ diſſenſiones circa Euchariſtiã. *Nam eorum plerique meram illud teſſeram & nudum eſſe ſignum affirmãt; alij quidem eſſe Sacramentum agnoſcunt, ſed quod in vſu tantùm conſiſtat; alij ſic etiam in ipſo vſu Sacramẽtum profitentur, vt cum Chriſto ſimul ſubſtãtia panis maneat. Unde nec immeritò Chriſtus impanatus ſecundum eos dici poteſt. Verùm, licet in cæteris adeò diſſentiant, vt etiã de ſacroſancto hoc Chriſti verbo:* Hoc eſt corpus meum: *ducentæ eæq;*

diuerſæ ac inter ſeſe pugnantes eorum expoſitiones, nuper ſint in lucem editæ: ad adſtruendam tamen calicis neceſsitatem omnes conueniunt in vnum, & inter ſeſe conſentiunt. Quid? ſi quæritur & agitur de calice, profectò calicem ſitiunt omnes, calicem clamitant, calicem vrgent, calicem plenis buccis è pulpitis vociferantur, ad calicis hauſtum affirmant omnes, cuiuſcunque ſtatus, ætatis, ſexus, & conditionis ſint homines, ſeuero Chriſti mandato ſub grauiſsimo damno ſalutis obligari. Quod ſanè calicis mandatum, licet nullum ſit, eò tamen facilius pleriſq; noſtratibus fuiſſe perſuaſum exiſtimo, quò magis illi mero delectantur, & ad Bacchum ſunt propenſiores. Ac ne vulgo quidem, illud de præcepto calicis dogma, nouum aut ſuſpectũ vllo modo videri poſſet, Babylonicorum Gygantum ſuperbia, variis id prætextibus, imò dolis peſsimis adeò fucauit & exornauit, vt etiam, qui cæteris in plebecula doctiores ac prudentiores erant, nedum ſimplices ac rudes, manibus ac pedibus in hanc eius ſententiã tranſilirent, & oblatum calicem obuiis vlnis amplecterentur. Nam, vt eſt hæc ipſa Gygantũ horum ſuperbia arrogãs, callida, ſolers, & ad ſeducendos ac

Calicẽ cur omnes poſtulant.

Calicis mandatũ nullũ eſt.

Calix cur pleriſq; ſit facilè perſuaſus.

decipien-

decipiendos homines inſtructiſſima peritiſſimaq́; magiſtra, ſic multiplices et quidem occultos ac latentes pedibus inſipientiũ laqueos collocauit, quibus irretiti & illaqueati in grauiſſimũ de neceſſitate calicis errorem, & in alias quaſuis blaſphemias, quaſi captiui traherentur. Quos profectò laqueos, ne diutius lateant, è latebris extractos in publicum proferam, & omnium oculis conſpiciendos proponam. Nonne fallax ac periculoſus eſt ille laqueus, qui nonnulla nec pauca Scripturæ ſacræ loca, quaſi obtorto collo, à genuino, ac germano, in alienum, peregrinum, ac peruerſum ſenſum detorſit, & confirmando calicis præcepto ſeruire coëgit? Nonne venenatis ac doloſis aculeis plenißimus eſt laqueus, quo Babylonicorũ ſuperbia plurimas ſanctorũ Patrum ſententias corrupit, peruertit et ſtatuẽdo calicis præcepto quocunque modo, per fas & nefas accommodauit? Nonne fraudulẽtus et captioſus quoq; laqueus eſt, quo ſpecioſas quaſdam & vulgo gratas ac plauſibiles (ſed reuera ficulneas, ineptas ac ridiculas) rationes, ad corroborandum calicem finxit, ac rudi plebeculæ tãquam Apollinis oracula cõmendauit? En triplicem nõ dico funiculum, qui non facilè

Laquei multiplices quibus incauti trahuntur ad calicem.

Laqueus primus ex corruptelis Scripturæ ſacræ.

Laqueus ſecũdus ex corruptis Patrũ ſententiis.

Laqueus tertius ex captioſis ratiunculis.

cilè rumpitur, ſed laqueum, qui tribus huius tractatuli primis capitibus, Deo laus, doctorum atq; bonorum virorum iudicio contritus, paulò pòſt apparebit, ne deinceps facilè quenquam offendere queat, niſi quis prudens ac volens in apertas incidere foueas, ſuaq́; ſponte perire velit. Hoc igitur fundamento mendaciis & eiuſmodi laqueis in aëre conſtructo & poſito, ſuperbia Babylonicorum, aſcendit ſemper altius, & in grauiſſimas ac deteſtabiles prolapſa blaſphemias Eccleſiam Catholicam, Dei filiam, ſponſam Chriſti, noſtram omnium matrem, erroris, temeritatis ac ſacrilegæ p̃ſumptionis coarguit, quippè quæ violato Chriſti teſtamento, calicem populo contra Chriſti præceptum ſubtraxerit, quæ Sacramentum Euchariſtiæ turpiter mutilârit, quæ non integram, ſed dimidiatam vnius ſpeciei Synaxin rudioribus Chriſtianis obtruſerit, atq; cum ſalutis detrimẽto perſuaſerit, Hinc inſano furore correpta vociferatur, ac magnis vocibus, ſuis diffidentiæ filiis, inculcat: Eccleſiam, videlicet, Romanam amiſiſſe lumen veritatis, ac verbi diuini lucernam ab aliquot iam ſeculis perdidiſſe, & nunc in denſiſſimis Idololatriæ tenebris verſari, atque propterea

Eccleſiam errâſſe fingunt Aduerſarij.

Eccleſiam calumniãtur Aduerſarij.

pterea non amplius, vt matrem audiendam, vel honorandam, ſed tanquam ſacrilegam nouercam & meretricẽ Babylonicam contemnendam, & execrandam eſſe. Hinc ſummum Pontificem, & totum adeò clerum, petulanter & aßiduè propter ablatum calicem ſacrilegij accuſat, ac pios Chriſti fideles, ſub vna tantùm panis ſpecie communicantes, irridet, variisq́; modis ſubſannat, quaſi ſint ita rudes, excordes, vel etiam demẽtes, vt dulciſsimo calicis hauſtu ſeſe priuari patiãtur, dimidiatũ tantùm Chriſtum percipientes. Cùm igitur inde liquidò conſtet, ſacroſanctũ iſtud Eccleſiæ Catholicæ dogma de modo ſeu ritu ſub vna, vel vtraq; ſpecie cõmunicandi noſtris his temporibus, tot tamq́; denſis Aduerſariorũ erroribus, corruptelis, ac mẽdaciis obſcuratum, diſtractum & prophanatũ, vt quodammodò his in locis iam extinctum conſpiciatur: euidens ac vrgens ratio ſic poſtulabat, vt hoc ipſum dogma, nouo quodam recentiq; ſcripto nõnihil à tam calumnioſis Aduerſariorũ iniuriis, ac iniurioſis calumniis vindicaretur. Et quò fiat id commodiori, quin etiam vtiliori methodo, maioriq; facilitate; viſum eſt vniuerſam hanc de communicandi ritibus, tra-

Pōtificem Roma.nũ calumniã-tur Aduerſarij.

Ritus cõmunicandi ab Aduerſariis corruptus.

Tractatus huius diuiſio in decem capita.

ctationem decem diſtinctis capitibus digeſtam, iuſtoq́; ſeruato materiarum ordine, proponere atque pertractare. Quam ſanè methodum noſtrã, vt rudiores faciliùs intelligant, mihi imitandos propoſui ſapientes Architectos, qui, dum ædificia volunt extruere, primùm impedimenta vel obſtacula, ſi quæ ſunt, amoliũtur: Deinde ſolida fundamenta ponunt: tum educunt in altum reliquã fabricæ molem, eamq́; debitis modis proſequuntur, donec ædificium totum penitus abſoluatur. Conſideraui quoq́; Medicos expertos, qui cognitis & per pharmaca depulſis ægritudinum cauſſis, bonam valetudinem confirmare & conſolidare nituntur. Quod vbi fuerit effectũ, tandem agũt de præſeruatiuis antidotis, quibus valetudo parta, confirmataq́; tutiùs deinceps conſeruari poßit. Ad eundem planè modum, cùm in præſenti Tractatu, meus fuerit ac ſit præcipuus ac proprius finis & ſcopus, Chriſto bene propitio, non vtriuſq́; formæ ritum oppugnare, ſed ſacroſanctam vnius ſpeciei Synaxin, ab Aduerſariorum calumniis & obtrectationibus nonnihil pro virili mea vindicare, neceſſum eſt, vt initiò remoueam Aduerſariorum impedimenta, quæ nobis

Architectorũ exẽplum quomodo ſit imitandũ.

Medicorũ exemplum quomodo ſit imitandum.

Auctoris intẽtio nõ eſt refutare calicem vel vtramque ſpeciẽ, ſed demõſtrare vnã ſpeciem quoq; ſanctam ac ſalutarem eſſe.

obiiciunt,

obiiciunt, quando calicem omnibus Chriſti præcepto neceſſarium ad ſalutem eſſe contendunt. Et quoniam id tribus potiſsimùm fallacibus modis, quos ſupra laqueos nuncupaui, faciunt, dum quibuſdam ſacræ Scripturæ locis perperam intellectis & corruptè citatis, dum nonnullis ſanctorum Patrum dictis vel ſententiis à Germana ipſorum mente, in alienum & corruptum ſenſum detortis, dum etiam non tam rationibus, quàm captiunculis ad decipiendum excogitatis, Chriſtiano populo calicis neceſsitatem perſuadere moliuntur: Idcirco non modò congruum, ſed & conſultum, imò neceſſarium eſt, vt primis tribus huius opuſculi capitibus, triplices eorum laqueos atque corruptelas, detegam, confutem ac funditus extirpem. Quod auxiliante Chriſti ſpiritu, ſic efficere conabor, vt & impedimenta ſaltem præcipua, quæ ſolent paſſim ab Aduerſariis obiectari, tollantur, nec vlla calicis obligatio, vel neceſsitas amplius appareat, & tam Scripturæ ſacræ loca & ſanctorum Patrum dicta, quibus abuſi fuerant Aduerſarij, integritati ſuæ reſtituta, quàm & alia quæcunque falſarum rationum ac captionum figmenta, ad

tholicæ pietatis dogmata venerandaque myſteria. Scopus ac finis illius omnis eſt, & totus eò tendit, non, vt quiſquam lædatur, (quod abſit) ſed, vt qui miſerrimè ſeducti ſunt, (excuſsis errorum tenebris) lumine Catholicæ veritatis illuſtrati, reuertantur ad obedientiam Eccleſiæ Catholicæ, &, tanquam oues erraticæ luporum faucibus ereptæ, cum ingenti gaudio, ac communi piorum hominum congratulatione, ad ouile Chriſti redeant. Hoc quærimus, hoc deſideramus, hoc efflagitamus omnes. Hoc ipſum, quoque ſingulari Chriſtianæ commiſerationis affectu, vel maximè precatur, optat & exoptat Sereniſſ. Celſit. V. tanquam zelociſsimus & piiſsimus Princeps atque ſtrenuus imitator D. Ferdinandi, &c. laudatiſsimæ recordationis parentis ſui, qui, dum in Chriſtiano populo, tot hæreſes, ſchiſmata, diſſenſiones ac religionis perturbationes videret, cum grauiſsimo dolore, ſuſpiriis ac lachrymis erumpentibus, frequenter in hæc verba, ſicut eſt memoriæ proditum, loqui ſolebat: *Lamentabile eſt ſpectaculum, & valde lu-*

ctuoſum

ctuoſum eos, qui ſunt eiuſdem baptiſmi, nominis, imperij, linguaq́ ita diuelli in profeßione fidei, atque innumerabiles animas, quas Chriſtus redemit ſuo pretioſo ſanguine, à Chriſto redemptore, & ſancta Orthodoxáque Eccleſia eius abduci, &c. Ecce piiſsimam, ſaluberrimam, nec ſolùm relatu, ſed æterna quoque memoria digniſsimam D. Ferdinandi lamentationem conceptam ob præſentes hæreſes, quæ vehementer illum contriſtârunt, quæ Sereniſſ. quoque Celſit. V. ſat ſcio, multùm affligunt, quæ viros pios ac doctos, ad commiſerationem facilè commouent, nedum ad lucubrandum & ſcribendum cogunt, ſi tandem aliquando per Dei clementiam pulſa tot hæreſum caligine, Catholicæ veritatis lux nobis refulgeat, & compoſitis tot proteſtantium Aduerſariorum diſsidiis, deſiderata pax Eccleſiæ Catholicæ reſtituatur. Quod vt feliciter ac quamprimùm, cooperante Chriſti ſpiritu, fiat, ex animo precor, ac ſemper precabor. Dominus IESVS dignetur nobis & Eccleſiæ ſuæ, Sereniſſ. Celſit. V.

vnà

vnà cum Sereniſſ. coniuge & chariſsimis pignoribus, quàm diutiſsimè ſoſpitem ac incolumem conſeruare. Viennæ, 16. Nouemb. M. D. LXXXIIII.

Sereniſſ. Celſit. V.

Humillimus in Chriſto ſeruus.

Henricus Blyſſemius.

PRAEFATIO AD CANDIDVM LECTOREM.

SCripturus de gemino ſacræ Synaxeos ritu, quo nimirum Eccleſia Dei, vel ſub vna panis, vel ſub vtraq; panis & vini ſpecie, poteſt ac ſolet vti, Candide Lector, *verebar equidẽ, ne vulgaris illa diuinæ Scripturæ paræmia:* הֲגַם שָׁאוּל בַּנְּבִיאִים *in me quadrare videretur; maximè cùm hoc noſtrum, ſaltem hac in parte, fœcundiſsimum ſeculum paſsim abundet præclaris ac præſtantibus ſcriptoribus Catholicis, qui doctis voluminibus controuerſa temporum iſtorum dogmata, feliciter aduerſus Catholicæ pietatis hoſtes, explicârunt, defenderunt & illuſtrârunt. Inter quos profectò noui plurimos, qui ſacra illa & Apoſtolica* πανοπλίᾳ *muniti, ſeſe pios, veros, ac* τοὺς γνησίους *verbi diuini Doctores, tanquam muros aheneos, pro domo Dei viriliter ac zelosè aduerſus importunos Aduerſariorũ inſultus opponunt. Vnde nec vnquam in mentem mihi quidem venit, vt meas qualeſcunq; de vſitatis ſumendi ſacram*

Scriptores Catholici hoc ſeculo multi & docti.

Euchariſtiam ritibus, lucubratiunculas, ſimplici ſtylo congeſtas, in vulgus efferrem, adeoq́ ſubiicerem tot cenſuris ac iudiciis, non dico bonorum ac doctorum virorum (quos mihi candidos arbitros & æquos Iudices fore nihil dubito) ſed curioſorum quorundam cenſorum, qui nihil rectum putant, niſi quod ipſi faciunt, qui pios aliorum conatus inſulſis σαρκασμοῖς *& cauillis infeſtant & inſectantur, qui ſe valde doctos, diſertos, ac ſtrenuos exiſtimant, quando calumniis indignis, fœdiſq́ conuitiis, obtrectationibus & maledictis Catholicam veritatem, proſequuntur & irrident, qui deniq́, cùm Theologi non ſint, ſed Theologaſtri ſeu Matheologi, & vix in Grammaticorum officinis ſatis inſtructi, contra leges ac rationes omnes, plenarium ac ſupremum, quaſi ſummi Monarchæ & Apollines, ſibi de ſacris ac grauiſſimis rebus iudicium vſurpantes veluti ſimiæ Theologos imitantur, & tanquam Momi aliena ſcripta dente pluſquam canino carpunt, ſiquidem vt aiunt Græci* ῥᾷδιον ἐστὶ ἐλέγχειν, ἢ μιμεῖσθαι. *Quamobrem mihi ſemper acceptius & gratius fuit his noſtris temporibus præclarum illud:* λάθε βιώσας, *cùm ille benè vixerit qui benè latuit.*

Cenſores curioſi ac maleuoli qui ſint & quæ faciãt.

Auctor maluit latere quàm ſcribere.

Et

Et vt ait quidam: Viue tibi, & longè nomina magna fuge, *quàm edendis aſſertionibus me calumniis hominum iniqua loquentium exponere; præſertim cùm libenter agnoſcam, quàm ſint mihi res anguſtæ domi, & quàm curta ſupellex. Verùm enimuerò, cùm diu multumq; de his cogitâſſem, tandem depoſito, & abiecto quocunq; metu, vel etiam prætextu, quem alioqui prætendebam, cogente me conſcientia meâ, non ſolùm amicis noſtris id vehementer efflagitantibus, ſatisfaciendum, ſed etiã parendum & obtemperandum fuit, quibuſdam Principibus viris ac Magnatibus, quorum voluntati reſiſtere, vel auctoritati repugnare, minimè conueniebat, maximè cùm temporum horum neceſſitas, vt ipſi iudicabant, huiuſmodi de communicandi modis ac ritibus tractatum poſtulare videretur. Quamuis enim (quod non ſolùm intelligimus, ſed etiam ſummo dolore noſtro palpamus) ſuperbia Babylonicorum Gigantum aſcendat ſemper eóque peculiariter, & aſſiduè conatus ac neruos ſuos intendat, vt omnem ex animis hominum Dei ſenſum extirpet, ac reuulſis Catholicæ fidei cardinibus ac fundamentis* ἀθεότητα *quandam plan-*

Auctor cur tractatum hunc ſcripſerit.

Superbia Babyloni-corũ qualis ſit, & quę faciat.

Mahometiſmus inducitur.

tet, donec Mahometiſmum paulatim inuehat (quem hoc tempore Nouatores in Tranſiluania pietati Catholicæ, prô dolor, anteferunt) & propterea nihil circa religionem hactenus intentatum reliquerit, ſed omnia, licet certiſſima veriſſimaq́; Orthodoxæ religionis dogmata, myſteriaq́; veneranda, iam in controuerſiam vocauerit,

Articuli fidei vocati in controuerſiam.

vt fide penitus ſublata, nihil apud illos firmum, ſtabile nihil, aut certum, ſed dubia & perplexa ſint omnia, & ab hominum iſtorum inter ſeſe, ac ſecum diſſidentium figmentis, contradictionibus ac mendaciis dependeant: nullum tamen hæc eadem Babylonicorum ſuperbia, neque

Vnius ſpeciei cõmunio, quomodo fuerit impugnata.

fidei dogma, neque ritum Sacramentalem, neque qualecunque ſit aliud ſalutis myſterium, pluribus magisq́; virulentis furiis, mendaciis & corruptelis, quàm ſacroſanctam ſalutarem ac Deo gratiſſimam vnius ſpeciei ſumptionem impetiuit, & contaminauit. Quod ſanè nec mirum, ſicut nec inuſitatum eſt, quandoquidem, vt dici

Reipub. Chriſtianę ſtat' à quibus & quomodo turbetur.

ſolet, quò præſtantius aliquid & diuinius, et Reipub. Chriſtianæ magis neceſſarium exiſtit, eò ſemper id peiores ac plures habet Aduerſarios & acrius ab eiſdem oppugnatur. Nam vt illi homi-

nes

nes (liceat veritatem dicere) peruerſiſsimi vel potius adiurati videntur Satellites & Adminiſtri Satanæ, cuius opera ſedulò faciunt: ita bonum & integrum Reipub. Chriſtianæ ſtatum ferre nequaquam poſſunt, ſed optima quæq; labefactare, deiicere, ac diſturbare moliuntur. Cùm igitur inter alia dona & ſacra Chariſmata, quibus abundè Deus Eccleſiam ſuam locupletauit, illud Euchariſtiæ Sacramentum longè diuiniſsimum, ſaluberrimum, ac nobis maximè neceſſarium ſit, hinc Aduerſarij præ cæteris, illud quaſi gregatim ac totis (licet non iunctis, ſed diſtractis & inter ſeſe contrariis) viribus, vtpotè per infinitos & phanaticos errores, adoriuntur et oppugnant, vt nobis illud inualidum ac inutile reddere poßint. Aduerſariorũ diſſenſiones circa Euchariſtiã. *Nam eorum plerique merãm illud teſſeram & nudum eſſe ſignum affirmãt; alij quidem eſſe Sacramentum agnoſcunt, ſed quod in vſu tantùm conſiſtat; alij ſic etiam in ipſo vſu Sacramẽtum profitentur, vt cum Chriſto ſimul ſubſtãtia panis maneat. Vnde nec immeritò Chriſtus impanatus ſecundum eos dici poteſt. Verùm, licet in cæteris adeò diſſentiant, vt etiã de ſacroſancto hoc Chriſti verbo:* Hoc eſt corpus meum: *ducentæ eæq;*

diuerſæ ac inter ſeſe pugnantes eorum expoſitiones, nuper ſint in lucem editæ: ad adſtruendam tamen calicis neceſsitatem omnes conueniunt in vnum, & inter ſeſe conſentiunt. Quid? ſi quæritur & agitur de calice, profectò calicem ſitiunt omnes, calicem clamitant, calicem vrgent, calicem plenis buccis è pulpitis vociferantur, ad calicis hauſtum affirmant omnes, cuiuſcunque ſtatus, ætatis, ſexus, & conditionis ſint homines, ſeuero Chriſti mandato ſub grauiſsimo damno ſalutis obligari. Quod ſanè calicis mandatum, licet nullum ſit, eò tamen facilius pleriſq; noſtratibus fuiſſe perſuaſum exiſtimo, quò magis illi mero delectantur, & ad Bacchum ſunt propenſiores. Ac ne vulgo quidem, illud de præcepto calicis dogma, nouum aut ſuſpectũ vllo modo videri poſſet, Babylonicorum Gygantum ſuperbia, variis id prætextibus, imò dolis peſsimis adeò fucauit & exornauit, vt etiam, qui cæteris in plebecula doctiores ac prudentiores erant, nedum ſimplices ac rudes, manibus ac pedibus in hanc eius ſententiã tranſilirent, & oblatum calicem obuiis vlnis amplecterentur. Nam, vt eſt hæc ipſa Gygantũ horum ſuperbia arrogãs, callida, ſolers, & ad ſeducendos ac

Calicẽ cur omnes poſtulant.

Calicis mandatũ nullũ eſt.

Calix cur pleriſq; ſit facilè perſuaſus.

decipien-

decipiendos homines inſtructiſſima peritiſſimaq; magiſtra, ſic multiplices et quidem occultos ac latentes pedibus inſipientiũ laqueos collocauit, quibus irretiti & illaqueati in grauiſſimũ de neceſſitate calicis errorem, & in alias quaſuis blaſphemias, quaſi captiui traherentur. Quos profectò laqueos, ne diutius lateant, è latebris extractos in publicum proferam, & omnium oculis conſpiciendos proponam. Nonne fallax ac periculoſus eſt ille laqueus, qui nonnulla nec pauca Scripturæ ſacræ loca, quaſi obtorto collo, à genuino, ac germano, in alienum, peregrinum, ac peruerſum ſenſum detorſit, & confirmando calicis præcepto ſeruire coëgit? Nonne venenatis ac doloſis aculeis pleniſſimus eſt laqueus, quo Babylonicorũ ſuperbia plurimas ſanctorũ Patrum ſententias corrupit, peruertit et ſtatuẽdo calicis præcepto quocunque modo, per fas & nefas accommodauit? Nonne fraudulẽtus et captioſus quoq; laqueus eſt, quo ſpecioſas quaſdam & vulgo gratas ac plauſibiles (ſed reuera ficulneas, ineptas ac ridiculas) rationes, ad corroborandum calicem finxit, ac rudi plebeculæ tãquam Apollinis oracula cõmendauit? En triplicem nõ dico funiculum, qui non fa-

Laquei multiplices quibus incauti trahuntur ad calicem.

Laqueus primus ex corruptelis Scripturæ ſacræ.

Laqueus ſecũdus ex corruptis Patrũ ſententiis.

Laqueus tertius ex captioſis ratiunculis.

cilè rumpitur, ſed laqueum, qui tribus huius tractatuli primis capitibus, Deo laus, doctorum atq; bonorum virorum iudicio contritus, paulò pòſt apparebit, ne deinceps facilè quenquam offendere queat, niſi quis prudens ac volens in apertas incidere foueas, ſuaq; ſponte perire velit. Hoc igitur fundamento mendaciis & eiuſmodi laqueis in aëre conſtructo & poſito, ſuperbia Babylonicorum, aſcendit ſemper altius, & in grauiſſimas ac deteſtabiles prolapſa blaſphemias Eccleſiam Catholicam, Dei filiam, ſponſam Chriſti, noſtram omnium matrem, erroris, temeritatis ac ſacrilegæ p̃ſumptionis coarguit, quippè quæ violato Chriſti teſtamento, calicem populo contra Chriſti præceptum ſubtraxerit, quæ Sacramentum Euchariſtiæ turpiter mutilârit, quæ non integram, ſed dimidiatam vnius ſpeciei Synaxin rudioribus Chriſtianis obtruſerit, atq; cum ſalutis detrimẽto perſuaſerit, Hinc inſano furore correpta vociferatur, ac magnis vocibus, ſuis diffidentiæ filiis, inculcat: Eccleſiam, videlicet, Romanam amiſiſſe lumen veritatis, ac verbi diuini lucernam ab aliquot iam ſeculis perdidiſſe, & nunc in denſiſſimis Idololatriæ tenebris verſari, atque propterea

Eccleſiam errâſſe fingunt Aduerſarij.

Eccleſiam calumniãtur Aduerſarij.

pterea non amplius, vt matrem audiendam, vel honorandam, ſed tanquam ſacrilegam nouercam & meretricē Babylonicam contemnendam, & execrandam eſſe. Hinc ſummum Pontificem, & totum adeò clerum, petulanter & aſsiduè propter ablatum calicem ſacrilegij accuſat, ac pios Chriſti fideles, ſub vna tantùm panis ſpecie communicantes, irridet, variisq́ modis ſubſannat, quaſi ſint ita rudes, excordes, vel etiam demētes, vt dulciſsimo calicis hauſtu ſeſe priuari patiātur, dimidiatū tantùm Chriſtum percipientes. Cùm igitur inde liquidò conſtet, ſacroſanctū iſtud Eccleſiæ Catholicæ dogma de modo ſeu ritu ſub vna, vel vtraq; ſpecie cōmunicandi noſtris his temporibus, tot tamq́; denſis Aduerſariorū erroribus, corruptelis, ac mēdaciis obſcuratum, diſtractum & prophanatū, vt quodammodò his in locis iam extinctum conſpiciatur: euidens ac vrgens ratio ſic poſtulabat, vt hoc ipſum dogma, nouo quodam recentiq́; ſcripto nōnihil à tam calumnioſis Aduerſariorū iniuriis, ac iniurioſis calumniis vindicaretur. Et quò fiat id commodiori, quin etiam vtiliori methodo, maioriq́; facilitate; viſum eſt vniuerſam hanc de communicandi ritibus, tra-

Pōtificem Roma.nū calumniātur Aduerſarij.

Ritus cō-municandi ab Aduerſariis corruptus.

ctationem decem diſtinctis capitibus digeſtam, iuſtoq́ſeruato materiarum ordine, proponere atque pertractare. Quam ſanè methodum noſtrã, vt rudiores faciliùs intelligant, mihi imitandos propoſui ſapientes Architectos, qui, dum ædificia volunt extruere, primùm impedimenta vel obſtacula, ſi quæ ſunt, amoliũtur: Deinde ſolida fundamenta ponunt: tum educũt in altum reliquã fabricæ molem, eamq́ debitis modis proſequuntur, donec ædificium totum penitus abſoluatur. Conſideraui quoq́ Medicos expertos, qui cognitis & per pharmaca depulſis ægritudinum cauſſis, bonam valetudinem confirmare & conſolidare nituntur. Quod vbi fuerit effectũ, tandem agũt de præſeruatiuis antidotis, quibus valetudo parta, confirmataq́ tutiùs deinceps conſeruari poſſit. Ad eundem planè modum, cùm in præſenti Tractatu, meus fuerit ac ſit præcipuus ac proprius finis & ſcopus, Chriſto bene propitio, non vtriuſq́ formæ ritum oppugnare, ſed ſacroſanctam vnius ſpeciei Synaxin, ab Aduerſariorum calumniis & obtrectationibus nonnihil pro virili mea vindicare, neceſſum eſt, vt initiò remoueam Aduerſariorum impedimenta, quæ nobis

Tractatus huius diuiſio in decem capita.

Architectorũ exẽplum quomodo ſit imitandũ.

Medicorũ exemplum quomodo ſit imitandum.

Auctoris intẽtio nõ eſt refutare calicem vel vtramque ſpeciẽ, ſed demõſtrare vnã ſpeciem quoq; ſanctam ac ſalutarem eſſe.

obiiciunt,

obiiciunt, quando calicem omnibus Chriſti præcepto neceſſarium ad ſalutem eſſe contendunt. Et quoniam id tribus potiſſimùm fallacibus modis, quos ſupra laqueos nuncupaui, faciunt, dum quibuſdam ſacræ Scripturæ locis perperam intellectis & corruptè citatis, dum nonnullis ſanctorum Patrum dictis vel ſententiis à Germana ipſorum mente, in alienum & corruptum ſenſum detortis, dum etiam non tam rationibus, quàm captiunculis ad decipiendum excogitatis, Chriſtiano populo calicis neceſſitatem perſuadere moliuntur: Idcirco non modò congruum, ſed & conſultum, imò neceſſarium eſt, vt primis tribus huius opuſculi capitibus, triplices eorum laqueos atque corruptelas, detegam, confutem ac funditus extirpem. Quod auxiliante Chriſti ſpiritu, ſic efficere conabor, vt & impedimenta ſaltem præcipua, quæ ſolent paſſim ab Aduerſariis obiectari, tollantur, nec vlla calicis obligatio, vel neceſſitas amplius appareat, & tam Scripturæ ſacræ loca & ſanctorum Patrum dicta, quibus abuſi fuerant Aduerſarij, integritati ſuæ reſtituta, quàm & alia quæcunque falſarum rationum ac captionum figmenta, ad

ſuos vanos auctores relegentur. Amotis igitur his impedimentis, proximum erit, vt aliis ſequentibus capitibus antiquum, laudabilem ac venerandum vnius ſpeciei ritum, tanquam ædificium ſpirituale ex fundamẽtis erigam, & in altum eleuem, donec, auxiliante Chriſto, modis & numeris ſuis abſoluatur ac perficiatur. Hinc capite quarto demonſtro, ritum vnius ſpeciei ab initio mundi diuinitus per varias figuras illuſtratum, ac demum à Chriſto Domino magis cõfirmatum fuiſſe, quando fidelibus omnibus eam generatim quidem, ſed Apoſtolis peculiariter non tam verbo, quàm ipſo facto commendauit, quando per Spiritum ſanctum Apoſtolos, Apoſtolicos viros & primos fideles in vnitate fidei per vnius ſpeciei ritum conſeruauit, auxit & confirmauit. Accedunt huc manifeſtiſsima certiſsimaq́ ſanctorum Patrum ab Apoſtolorum tempore teſtimonia, quæ mox capite quinto per ordinem bona fide recitantur, & probant vnius ſpeciei ritum vſq; ad hæc miſerrima tempora noſtra, ſemper in vſu fuiſſe. Et quoniam præter veriſsimas ſanctorum Patrum ſententias, quibus ille ritus abundè comprobatur, non deſunt nobis alia quoque rationum

Vnius ſpeciei origo & progreſſus declaratur.

Rationibus variis probatur vnius ſpeciei communio.

optima-

optimarum firmamenta, idcirco capite ſequenti ſolida quadam argumenta ex vi ac natura Sacramenti Euchariſtiæ, ſiue rem, ſiue ſigna ſpectemus, ad ſtabiliendum vnius ſpeciei ritum proferuntur. Ac ne poßint Aduerſarij deinceps vllo modo tergiuerſari, vel Eccleſiam culpare, quòd calicem aliquando fidelibus, ſiue laicis, ſiue ſacerdotibus non conficientibus ſubtraxerit, ac de ritibus communicandi (tanquam de rebus mediis & adiaphoris) pro temporum, locorum & hominum ratione variis modis, ſed diuerſis temporibus diſpoſuerit; ſubſequenti ſeptimo capite declaratur Eccleſiæ poteſtas, quam diuinitus verè ſibi datam habet, & ad maiorem Dei gloriam & animarum ſalutem ſalubriter exercet, inſtituendis, diſponendis, ac variandis omnibus iis, quæ iure diuino, nec præcepta, nec prohibita ſunt: qualia probantur eſſe ſub vna, vel ſub vtraq; ſpecie communicare, cæteraq́; quæ Theologi Sacramentalia vocare ſolent. Atq; vt intelligant Aduerſarij, non ſolùm ab Eccleſia legitimè ritum vnius ſpeciei præcipi, & prohiberi quibuſdam temporibus calicem iure potuiſſe, ſed id quoq; rectè factum eſſe, neceſſarium eſt, vt capite octauo quaſdam, ſed

Adiaphora quæ ſint.

Eccleſiæ poteſtas.

Sacramentalia quæ ſint.

Eccleſia aliquando rectè præcepit vnam ſpeciem, & calicem prohibuit.

exquiſitas & efficaces,rationes proferam,quibus adducta ſancta mater Eccleſia laudabilē ac ſanctam vnius ſpeciei communionem, multis iam ſeculis & paßim receptam,canonico decreto voluerit omnibus præcipere.Demum licet ex iis,quæ capitibus præcedentibus pertractantur,vnius ſpeciei ritus ſatis ſuperq́; probatus & conſtabilitus videatur; vt tamen, qui veri ſunt Catholici, in hac ipſa laudabili ac veneranda communicandi conſuetudine ſanctè,conſtanter ac perpetuò perſeuerent,nec vnquam ab ea nouatorum figmentis abſtracti,ad vtramq; ſpeciem declinent,eſt etiam operæ pretium,duobus in vltimis huius Tractatus capitibus declarare piis lectoribus, partim

Cœna Aduerſariorū quàm ſit periculoſa ac pernicioſa.

vnde venerit, quamq́; pernicioſa ſit Aduerſariorum cœna,quam vocant & frequentant:partim etiam, quid ſentiendū ſit, de vtriuſq; ſpeciei communione,qua Catholici nonnulli ſed pauci nō admodum legitimo cuiuſdam pietatis zelo ſibi quodammodo blandiuntur ac gaudent:partim denique,

Vna ſpecies tutior & fructuoſior his temporibus quā vtraq;.

vt ꝓbetur vnius ſpeciei Synaxis per omnem modum tutior,fructuoſior ac Deo gratior, quàm ſit vtriuſq; ſpeciei communio, quantumuis Catholiciſsima foret, præſertim his temporibus no-

ſtris,

ſtris, quibus Aduerſarij non ſolùm rudi plebeculæ fictitium ac erroneum calicem ſuum propinârunt, ſed etiam verum Chriſti calicem, quem habet Eccleſia Catholica, tot tamq́ perniacioſis errorum fæcibus miſcuerunt, ne dicam intoxicârunt, vt bibentibus ex eo, non tam ſalutis gratia, quàm letalis interitus prouenire videatur. Ex his igitur liquidò conſtat, quanam adductus ratione, totam fermè tam vnius, quàm vtriuſq; ſpeciei materiam decem capitibus digeſtam & declaratam, taliq́; methodo pertractatam abſoluere voluerim. Cæterùm quod ipſorum capitum tractationes aſſertionibus & earundem ſuccinctis declarationibus cōſtent, id eo fine vel ſtudio factum eſt, vt hic Tractatus eſſet perſpicuus, methodicus, & ad hominum etiam rudiorum captum accommodatus. Nam capita materiarum ordinem cōtinent, aſſertiones, axiomata Catholica, ſeu dogmata fidei nuda ꝓponunt, annexæ declarationes breuiter enucleant, explanāt & cōfirmant, ſi quid in eis obſcurum, difficile, vel controuerſum videri poſſit. Stylus præterea ſimplex, ſermo breuis, procedendi modus communis ac familiaris eſt; quod inſtitutum meum non fuerit, vt hoc Tractatu

Calix Aduerſariorū pernicioſus.

Calix Chriſti verus ab Aduerſariis intoxicatus.

Communionis tota materia cur decem capitibus comprehenſa ſit.

viris doctis vel vbertate ſermonis, vel acumine ſubtilium ac philoſophicarum rationum placerem, ſed longè magis, vt ingenuis Adoleſcentibus omnibus, vbicunq; locorum illi ſint, ſed iis maximè, qui frequentant inclytum hoc & Archiducale Sereniſsimi Archiducis Caroli Collegium, gratificarer, inſeruirem atq; prodeſſem. Quod eò quidem libentius feci, quò gratior & vtilior eſt illis compendioſa, ſimplex ac perſpicua methodus, & quò plures viri ſapientes me ad hanc, qua ſum vſus, ſcribendi rationem cohortati ſunt. Bene vale, Candide Lector, atque his qualibuſcunq; laboribus meis ad tuam & aliorum ſalutem liberaliter fruere.

Viennæ, 16. Nouemb.

1584.

CAPVT

CAPVT PRIMVM, IN DECEM ASSERTIONES DISTRIBVTVM.

QVONIAM inter alios, & eos quidem grauiſſimos temporum noſtrorum errores, cenſetur ille ferè præcipuus, quo plurimi, falsò perſuaſi, clamitant vtriuſque ſpeciei communionem omnibus fidelibus à Chriſto præceptam eſſe; cùm tamen in Scripturis ſacris reuera nullum eius rei præceptum exſtet: idcirco neceſſum fuit, vt hoc primo capite ea Scripturæ ſacræ verba, quibus niti ſolent per ordinem inferius germano ac genuino ſenſu declarata, de manibus eorum extorquerentur; ne deinceps Aduerſarij tam facilè ſe, atque alios incautos inuſitata Scripturarum interpretatione ſecum in manifeſtum ac perniciosum ſalutis diſcrimen inducant ac præcipitent.

Calicis error grauiſſimus.

Calix fidelibus omnibus nunquā à Christo præceptus.

Scriptura ſacra quadā loca cur à corruptelis purgantur.

ASSERTIO PRIMA.

Ioan. 6. Cap. nihil reperitur, quo ſumptio calicis, vel vtriuſque ſpeciei communio, tanquam neceſſaria, Chriſtianis omnibus præcipiatur.

Ioan. 6. VT olim imperitè quidam in Bohemia hanc Chriſti ſententiam: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis & ſanguinem eius biberitis, nō habebitis vitam in vobis,* ad ſui ludibrium erroris ſe inueniſſe gloriati ſunt, atque

Vtriuſque ſpeciei communio per Petrũ Dreſdenſem & Iacobellum Miſnenſem (tanquam à Chriſto præcepta) fuit eum in Bohemiam inuecta.

ideò Petro Dreſdenſi (ſicut & poſtea Iacobo Miſnenſi) tanquam cuidam Æſculapio mirificè ſunt gratulati; quòd ſingulari & antea maioribus omnibus, priſciſque Patribus inaudita (ſi Diis placet) ſapientia è Scripturis eruiſſent præſidium, quo neceſſitatem vtriuſque ſpeciei in ſacra Synaxi tam pro pueris infantibus, quàm adultis contra Catholicæ Eccleſiæ, ſeu Romanæ ſententiam comprobarent; Ita & hoc tempore noui Doctores, Magiſtros ſuos Huſſitas imitantes, egregiè ſe philoſophatos eſſe putant, dum hac ſententia leuiter abutuntur, ad obtrudendam adultis tantùm (reiecta puerorum & infantium conditione) ſub vtraque ſpecie communionem. Quod certè dum faciunt, faciunt nimium intelligendo, vt nihil prorſus intelligant. Quod ſi proprium ac priuatum ſenſum ſummiſſè deponerent, quo ſolent in Scripturis interpretandis frequenter abuti, atque ad ſolidam veritatem, eiuſque Germanam & conſtantem declarationem deſcenderent; inuenirent profectò hoc capite 6. Ioannis, in quo de Euchariſtiæ Sacramento luculenter agitur, Chriſtum tantummodo carnis & ſanguinis ſui verum eſum & potum declarare ac præſcribere: Atque ideò tam reconditi & admirabilis myſterij rem ipſam hoc loco primùm promulgare voluit, deinde ſuo tempore eandem certa ſpecie ac cærimonia exhibere atque inſtituere. Vnde hoc in capite Chriſtus fundamentum in animis diſcipulorum, & eorum, qui credituri erant, ſapienter iecit, quo parati eſſent, ad manducandum ſuum corpus, & ſanguinem bibendum, quacunque ratione & modo ea eſſet ſuo tempore largiturus; atque ſic nullam prorſus mentionem facit modi vel ritus, vtpote quem poſtmodum primùm eſſet exhibiturus. Quemadmodum enim Apoſtolis

Vide Æneam Siluiũ in hiſt. Bohemorum, cap. 35.

Huſſitæ vtramque ſpeciẽ porrigunt, tam infantibus, quàm adultis.

Lutherani ſpeciẽ vtrãque tantùm adultis porrigunt.

Sextum caput Ioannis de communione Sacramentali intelligendum.

Cap.14.& 15. ſtolis apud Ioannem promittit, patrem & ſe paracletum miſſurum, nec tamen declarat quali ſpecie ſeu forma venturus eſſet, vt vel ſic Apoſtoli promiſſum ſibi Spiritum ſanctum ante Chriſti paſſionem, nudè intel- Act. 2. lexerint, quem deinde in ſonitu de cœlo & ſpecie linguarum & ignis receperunt: Ad eundem planè modum Chriſtus hoc capite de rebus Sacramenti tantùm diſſerit, & docet; non autem de modo & ſpeciebus; vt ſcilicet primùm fidem in auditoribus excitet, promptamque erigat voluntatem carnem, & ſanguinem manducandi, quocunque modo & ritu, ſiue ſub illa, ſiue ſub hac, ſiue ſub diuerſa & multiplici ſpecie demum ea ſit propoſiturus. Quare ad manducandum panem viuum, ne eſuriamus & ſitiamus in æternum, nos hortatur, nec tamen vini aut aquæ, aut alicuius liquoris, ad ſitim inter manducandum reſtinguendam, mentionem facit; vt intelligamus, nos Chriſtum manducare & bibere in Sacramento poſſe, ſiue ſub panis, ſiue ſub vini, ſiue ſub vtriuſque ſpeciebus proponatur; 1. Cor. 3. eo prorſus modo, quo Apoſtolus ac partim Corinthiis ſe potum præbuiſſe, partim eum, qui gregem paſcit, 1. Cor. 9. de lacte gregis manducare oportere ſcribit. Ex quo illud efficitur, ſolidam Chriſti carnem, & liquidum eius ſanguinem, hoc capite à Chriſto nobis ad manducandum & bibendum proponi, ita vt de ſpeciebus nullo modo ſimus ſolliciti. Hoc ipſum Auguſtinus venuſtè declarat, cùm ait: *Hoc ergo totum (quod in Ioanne docetur) ad hoc nobis valeat, dilectiſſimi, vt carnem Chriſti, & ſanguinem Chriſti non edamus tantùm in Sacramento, quod & multi mali: ſed vſque ad ſpiritus participationem manducemus & bibamus.* Sic & ante Tract. 27. ſuper Ioan.

Sexto capite Ioānis Chriſtus promiſit non exhibuit nec inſtituit Sacramētum.

Chriſtus mādùcatur & bibitur tam ſub vna, quàm ſub vtraque ſpecie.

Sanguis Chriſti quomodo comedi & bibi dicatur.

D 2 Augu-

Caro & ſanguis Chriſti comeditur.

Serm. de cœna Domini.

Auguſtinum Cyprianus docuit, Apoſtolos panem in Sacramento & manducâſſe & bibiſſe: *Manducauerant,* inquit, *& biberant de eodem pane, ſecundum formam viſibilem.* Sed hoc ipſum, de quo diſſerimus, apertius ipſemet Chriſtus aſſerit, quando eſum carnis ſuæ, potumque ſanguinis mannæ, vnius tantùm ſpeciei figuræ comparat; quod illud omne delectamentum in ſe habeat & omnis ſaporis ſuauitatem. Deinde cùm, quid ſit carnem ſuam manducare & ſanguinem bibere, ſatis expoſuiſſet, hanc ipſam veritatem vno tanquam præclaro epiphonemate concludens, ait: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Et quoniam Capharnaitæ modum ſpeciesque Sacramenti nondum intelligebant, cæca & denſa quadam caligine oppreſſi; arcanos tam reconditi myſterij receſſus penetrare non potuerunt. Aduerſarij verò hoc tempore ad eſcam & pabulum, ſenſu tantùm rapti in ſolas formas & ſpecies Sacramenti cæcutientes, impingunt, populoque ad ea ſe conuertentes, quæ oculis cernuntur magis, quàm quæ intellectu noſcuntur, ſe veritatem nunc demum inueniſſe acclamant; atque ſic Chriſtum in Sacramento abditum & latentem, dum inter formas, ſpecies, figuraſque tenebris obruti hærent, comprehendere nullo modo poſſunt. Proinde Lutherus, quem diſcipuli miſerandum in modum diuerſis opinionibus dilaniant, etſi pro ſuo ingenio ſæpius veritatem contra fas & omne ius oppugnârit, tamen cùm Huſſitas reprehendit, fateri debuit, nihil in hoc capite reperiri, quod neceſſitatem vtriuſq; ſpeciei confirmaret. Verùm quid multis diſputo, cùm illud certiſſimè conſtet, Chriſtum ne ſemel quidem aut calicis, aut vini, aut alicuius potus,

Sap. 16.

Vnius ſpeciei cõmunio perfecta, probatur ab effectu.

Aduerſarij ſolis ſpeciebus inhærentes Chriſtum nõ intelligunt in Sacramento latẽtem.

Lutheranorum diſſenſiones.

Lutheri teſtimonium de ſexto capite Ioan.

In declaratione quorundã Art. Tom. 7. Ger. VVit. fol. 27. b. & lib. de capt. Babylon. Tom. 2. Lat. VVit. fol. 65. a.

tus, præter ſanguinem, hoc in loco feciſſe mentionem; quin potius illud manifeſtum eſt, ipſum nouies vel panem, vel carnem, vel ſeipſum, vel manna ſine verbo ſanguinis, aut potus nominâſſe; vt ſic omnibus euidenter pateat, in prædicto Ioannis capite nullum de calice pręceptum inueniri? Iam verò quis ita ſui ſit immemor, qui ſacram Scripturam ſic interpretandam doceat, vt ſibimet ipſa contraria & repugnans fiat? Atqui ſi iſto Chriſti verbo: *Et biberitis eius ſanguinem*, neceſſitatem calicis voles euincere; iam illud aliis Chriſti verbis tam præcedentibus, quàm mox ſubſequentibus manifeſtè repugnabit.

Aduerſarĳ circa verba Chriſti contradictionē implicant.

Nam ſi vitam non habebunt in ſe, niſi qui ſub ſpecie panis manducauerint carnem filij hominis, & ſimul ſub ſpecie vini ex calice ſanguinem eius biberint; falſum erit, non moriturum eum, ſed victurum propter Chriſtum, & victurum in ęternum, quiſquis ex hoc pane, quem ipſe daturus erat, ipſum Chriſtum manducauerit. Vel igitur ſtatuendum eſt eum, qui manducat panem hunc, non tantùm carnem filij hominis manducare, ſed etiam ſimul bibere, id eſt, ſumere eius ſanguinem; vel ſi de vtraque ſpecie Dominum loqui vis, dicas neceſſe eſt coniunctionem copulatiuam more Hebræo diſiunctiuè accipiendam eſſe, vt ſenſus ſit: *Niſi vos adulti (qui manducare & antea vos probare poteſtis) manducaueritis carnem filij hominis ſub ſpecie panis; vel biberitis eius ſanguinem ſub ſpecie vini, non habebitis ſeu non ſeruabitis vitam in vobis.* Vel ſenſus ſit: *Si non manducaueritis, &c. nec biberitis, &c.* vt alterutra ſpecies ſufficiat re vel voto ſuſcepta.

Coniunctio copulatiua, quomodo diſiunctiuè accipiatur.

Simili enim loquendi forma coniunctio ET præcedēte negatione pro neq; accipitur Pſalmo primo in Hebraico textu: עַל־כֵּן לֹא־יָקֻמוּ רְשָׁעִים בַּמִּשְׁפָּט וְחַטָּאִים בַּעֲדַת צַדִּיקִים׃

Ideò non reſurgent ſiue non ſtabunt impij in iudicio, & peccatores in cõcilio iuſtorũ; Et Pſal 43. vel 44. Hebręis: לֹא־נָסוֹג אָחוֹר לִבֵּנוּ וַתֵּט אֲשֻׁרֵינוּ מִנִּי אָרְחֶךָ׃ Non receſſit retro cor noſtrum, & declinauit ſemita noſtra à via tua. Porro quòd illud 6. caput Ioannis, præſertim ab illis verbis: *Panis quem ego dabo,* vſq; ad illa; *Hæc dixit in Synagoga docens,* non tam de mera ſpirituali, quàm de digna Sacramentali communione ſit intelligendum, & ipſa Scripturæ verba, reiq; euentus (quod nimirum promiſſioni hîc factæ Chriſtus, antequam pateretur, liberaliter & abundè ſatisfecerit) oſtendunt; & grauiſſimi quoque Græci, Latinique Patres Eccleſiæ luculenter & diſertè teſtantur & confirmant. Cyprianus enim ſic ait: *Nam panis vitæ Chriſtus eſt, & panis hic omnium non eſt, ſed noſter eſt: Et quomodo dicimus, Pater noſter, quia intelligentium & credentium Pater eſt, Sic & panem noſtrum vocamus, quia Chriſtus noſter (qui corpus eius contingimus) panis eſt. Hunc autem panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne, qui in Chriſto ſumus & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abſenti & non communicantes, à cœleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur, ipſo prædicante & monente: Ego ſum panis vitæ, qui de cœlo deſcendi; Si quis ederit de meo pane, viuet in æternum. Panis autem quem ego dedero, caro mea eſt pro ſeculi vita. Quando ergo dicit in æternum viuere, ſi quis ederit de eius pane, vt manifeſtum eſt eos viuere, qui corpus eius attingunt & Euchariſtiam iure communicationis accipiunt; ita contra timendum eſt, & orandum, ne dum quis abſtentus ſeparatur à Chri-*

Sextum caput Ioannis quibus maximè verbis agat de cõmunione Sacramentali.

Ioan. 6.

Sextũ caput Ioannis de Sacramentali cõmunione intelligendum eſſe S. Patrũ teſtimoniis probatur.

Sermo. de oratione Dominica.
Matth. 6.
Luc. 11.

Quotidiana Synaxis tẽpore Cypriani in vſu fuit.

Euchariſtiam non frequentare periculoſum eſt.

Ioan. 6.

ſti cor-

ſti corpore, procul remaneat à ſalute, comminante ipſo & dicente: Niſi ederitis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis: Et ideò panem noſtrum, id eſt, Chriſtum dari nobis quotidie petimus, vt qui in Chriſto manemus & viuimus à ſanctificatione eius & corpore non recedamus. Ad hunc quoque ſenſum Origenes ſcripſit: *Tunc,* inquit, *in ænigmate erat manna cibus, nunc autem in ſpecie caro verbi Dei eſt verus cibus, ſicut & ipſe dicit: Quia caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Ambroſius etiam, poſtquam citâſſet illa verba: *Niſi manducaueritis carnem, &c.* Et illa: *Caro enim mea verè eſt eſca, &c. Carnem,* inquit, *audis, ſanguinem audis, mortis Dominicæ Sacramenta cognoſcis. Nos autem quotieſcunque Sacramenta ſumimus, quæ per ſacræ orationis myſterium in carnem transfigurantur & ſanguinem, mortem Domini annunciamus.* Idem Ambroſius: *Hunc panem,* ait, *dedit Apoſtolis, vt diuiderent populo credentium, hodieq; dat nobis eum, quem ipſe quotidie ſacerdos conſecrat ſuis verbis: Hic ergo panis, factus eſt eſca Sanctorum. Poſſumus & ipſum Dominum accipere, qui ſuam carnem nobis dedit, ſicut ipſe ait: Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto & mortui ſunt, hic eſt autem panis, qui de cœlo deſcendit, vt ſi quis ex eo manducauerit, non moriatur. Nec Moyſes,* inquit beatus Hieronymus: *Dedit nobis panem verum, ſed Dominus* IESVS *ipſe conuiua & conuiuium: Ipſe comedens, & qui comeditur.* Auguſtinus: *Ioannes,* inquit: *De corpore & ſanguine Domini hoc loco* (id eſt, cùm ad cœnæ hiſtoriam vētum eſſet) *nihil dixit, ſed planè alibi multò vberiùs hinc Dominum locutum eſſe teſtatur:* Si vberiùs, quàm in cœna Dominus de corpore & ſanguine ſuo locutus eſt, nec id alibi, quàm Capharnai feciſſe doceri poteſt. Igitur ſecundum Auguſtini doctrinam, ſextum caput

om.7.ſu rNum.

e fide li. cap.5.

or. 11.

bene- ionib° riarcha ,ca.9.

Iedi- quæ- e 2. 5ſen- ang. ca.1. ,6.

Ioannis propriè pertinet ad cœnam. Idem contra Creſconium Grammaticum, quando docet, etiam bona poſſe obeſſe malè vtentibus: *Quid?* inquit; *De ipſo corpore & ſanguine Domini vnico ſacrificio pro ſalute noſtra, Quamuis ipſe Dominus dicat (niſi quis manducauerit carnem, &c.) nonne idem Apoſtolus docet, etiam hoc pernicioſum malè vtentibus fieri? Ait enim, Quicunque manducauerit panem & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et ſanguinis Domini.* Leo Magnus: *Dicente,* inquit, *Domino: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Sic ſacræ menſæ communicare debetis, vt nihil prorſus de veritate corporis Chriſti, & ſanguinis ambigatis. Hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur.* Ecce illa verba: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis:* de illa, quæ ore fit, manducatione, perſpicuè Leo interpretatur. Gregorius Magnus: *Præſepe enim* (inquit) *natus impleuit, qui cibum ſemetipſum mentibus mortalium præbuit, dicens: Qui comedit carnem meam & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Cyrillus ſuper hæc verba: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: Diſtinguit,* inquit, *rurſus inter myſticam benedictionem & manna, & aquarum fluenta ex lapide & calicis ſancti communicationem.* Et iterum eadem repetit, ne magis mannæ miraculum admirentur, ſed ipſum potius ſuſcipiant, qui cœleſtis panis eſt, & æternæ vitæ largitor. *Patres enim,* inquit, *veſtri, manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit, vt aliquis ex illo comedat, & non moriatur. Manna namq; alimentum, non æternam vitam, ſed breue famis remedium afferebat.* Non ergo erat cibus verus, id eſt panis de cœlo; ſanctum verò Chriſti corpus ad immortalitatem & vitam æternam nutriens, verè cibus eſt. *Idem; Qui mãducat,* inquit, *carnem meam et bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Sicuti enim, ſi quis liquefactã cera*

Sacrificium Miſſæ probatur à D. Auguſtino.

Cõtra Creſconium lib. 1. ca. 25.

1. Cor. 11.

6. Serm. de Ieiunio. 7. menſis.

Lib. 7. ca. 4. moral.

Lib. 4. ſuper Ioan. cap. 16.

Lib. 4. ſuper Ioan. cap. 17.

ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totũ commiſceat, neceſſe eſt; ſic qui carnem, & ſanguinem Domini recipit cum ipſo ita coniungitur, vt Chriſtus in ipſo, et ipſe in Chriſto inueniatur. Hilarius: *Quæ ſcripta ſunt legamus, & quæ legerimus intelligamus, & tũc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Chriſti veritate, quæ dicimus, niſi ab eo didicimus, ſtultè atq; impiè dicimus. Ipſe enim ait: Caro mea verè eſt eſca, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui edit carnem meam & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt. Et hæc accepta atq; hauſta, id efficiunt, vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit.* Damaſcenus: *Non eſt figura panis*, inquit, *et vinum corporis et ſanguinis Chriſti: abſit enim hoc: ſed eſt ipſum corpus Domini Deificatũ ipſo Domino dicente:* Hoc *eſt meum (non figura corporis) ſed corpus, et (non figura ſanguinis) ſed ſanguis. Et ante hoc ipſis Iudæis: Quoniam niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, nõ habebitis vitam in vobis: Caro mea verus eſt cibus, & ſanguis meus verus eſt potus.* Et rurſus: *Qui mãducat me, viuet.* Verum (ne recẽſendis pluribus Eccleſię Patribus & Orthodoxis viris idem ſapientibus, hæc materia in immenſum creſcat) cùm res ita habeat (ſicut habet veriſſimè) cur igitur tot ac tantis tam Græcis, quàm Latinis Patribus quidam repugnare nituntur, atq; contendere nullam Ioan. 6. ca. de Sacramentali communione fieri mentionẽ, hac leui ratione freti, quod eo tẽpore Dominica cœna nec dum fuerit inſtituta? Quid enim obſtitit Chriſto Dño, quò minus (Ioan. 6. cap.) potuerit nonnulla de futura cœna proloqui, atq; ſermonem de Sacramentali communione facere, cùm præſertim illic figuram cum veritate (videlicet manna cum carne ſua) diſertè cõparauit?

Lib. 8. de Trinitate.

Lib. 4. de fide Orthodoxa. cap. 14.

Corporis & ſanguinis Chriſti veritas in Sacramento probatur.

Aduerſariorum error circa cap 6. Ioannis confutatur.

E Nonne

Nonne circa Baptiſmi Sacramentum idem à Domino factum eſſe videmus? Quamuis enim poſtquam à mortuis Chriſtus Dominus reſurrexiſſet, baptizandi mandatum expreſſerit: *Baptizantes eos, &c.* multò tamen ante Baptiſmi neceſſitatem manifeſtis verbis ſignificauerat: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Nihílne igitur hæc Chriſti verba pertinebunt ad Baptiſmum, propterea quòd nondum eo tempore, ſed poſtmodum, de Baptiſmo fuerit datum præceptum? Nonne qui Ioan. 3. dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei:* idem quoque dixit Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis?* Nonne idem ferè vtrobiq; loquendi modus, quo Sacramentorum iſtorum ipſe Dominus neceſſitatem explicauit, licet poſtea demum eorum adminiſtrationem Apoſtolis demãdârit? Ergo, quod in vltima cœna Chriſtus Dominus verbis & factis inſtituit ac dedit; id antea Ioan. 6. cap. manifeſtis verbis promiſerat, dum ait: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Quid hoc loco manifeſtius, quàm, quod promiſerit Chriſtus, ſe nobis panem cœleſtem, carnem ſuam in Sacramento poſtea ſumendum eſſe daturum? Leuiter igitur Aduerſarij aſſerunt Ioan. 6. cap. de communione Sacramentali nullam mentionem fieri; quandoquidem communio merè ſpiritualis, quam ipſi hoc loco intelligi volunt, non tunc primùm à Chriſto promiſſa, vel inſtituta fuit; ſed ab ipſis mundi primordiis ſuum locum, & neceſſarium vſum in piis fidelibus ſemper habuit.

Matth. 28. Ioan. 3. Matth. 28. Marc. 16. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Spiritualis communio, quando cæperit.

ASSER-

ASSERTIO II.

Matth. 26. *Eo Chriſti verbo (*Bibite ex hoc omnes*) nullum omnino continetur præceptum, quo Chriſtiani ad vtramque ſpeciem obligentur.* *Bibite ex hoc omnes quomodo intelligendum.*

VT hæc argumentandi ratio popularis eſt (Chriſtus per imperatiuum modum dixit: *Bibite ex hoc omnes*: Ergo omnibus præcepit vſum calicis) ita quàm plurimos ex multitudine imperitos labefactauit; qui ſi maiorum & Primatum Eccleſiæ auctoritatem ipſi ſacrarum literarum interpretationi magiſtram adhibuiſſent; nunquam à gradu veritatis decidiſſent: Quin proculdubio intellexiſſent, Chriſtũ his verbis: *Bibite ex hoc omnes*, nullum prorſus mãdatum poſuiſſe, quo Chriſtiani in Sacramento Euchariſtiæ ad calicis potum ſumendum obligarentur. Nam quemadmodum ſolis Apoſtolis, cum quibus ſolis voluit mãducare paſcha, & quos ſolos in ea cœna præſentes habuit, vt tres Euãgeliſtæ teſtantur, hæc
Matth. 26. verba locutus eſt: *Bibite ex hoc oẽs*: ſic & in ipſis Apoſtolis
Marc. 14. hoc Chriſti præceptũ fuit impletũ, teſte Marco, qui ait;
Luc. 22. *Et biberunt ex eo omnes*. Idẽ luculenter declarat D. Lucas, qui loco, *Bibite*, dixit: *Diuidite inter vos*, ne videlicet quis hanc iuſſionem ad omnes abſentes, tunc viuentes, vel etiam ad omnes eorum poſteros vllò modo pertinere, ſuſpicari poſſet. Porro quod particula (*Omnes*) ad ſolos tũc præſentes referri debeat, id non ſolùm ex eo, quod Chriſtus Dominus, abſentes aut poſteros fideles ad bibẽdum ex eo calice, quem ipſe tunc porrigebat, obligare nol-

let, cùm à plurimis neſciatur, quorſum ille calix, quo Chriſtus in cœna vſus eſt, poſtmodum peruenerit; ſed etiam ex ſimilibus ſacræ Scripturæ locis euidenter colligitur. Sic enim & de tunc præſentibus dictum eſt: *Omnes ſcandalizabimini in me in nocte iſta.* Sic quoque præſentibus duntaxat fuit dictum: *Vnum opus feci & omnes miramini.* Sic denique ad ſolos præſentes pertinebat: *Dicunt omnes, crucifigatur.* Quid ergo mirum, ſi præſentibus ſolis dictum ſit: *Bibite ex hoc omnes,* maximè cùm teſtetur Marcus, omnes (ſcilicet tunc præſentes) ex eo bibiſſe? Adeò hoc Marci teſtimonium hanc ſententiam confirmat, vt Lutherus ipſe, cùm euadere non poſſet ipſa veritate conuictus, ſed nihilo melior factus, omni pudore depoſito fuerit auſus Euangelium Diui Marci de corruptela ſuſpectum reddere; quaſi nimirum apud Diuum Marcum pro (*bibite*) per errorem (*& biberunt*) poſitum fuerit. Verùm præterquam, quòd Lutherus hæc ſancti Marci verba, quæ ſic, vt habent, à ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia (ſicut etiam ab omnibus antiquiſſimis & Orthodoxis Patribus, tam Græcis, quàm Latinis) ſemper lecta & citata fuerunt, irreuerenter vſurpauit; & iam fruſtra conatus eſt ad placitum Diui Marci verba mutare, ac in alium ſenſum peruertere, cùm illius loci textus eiuſmodi figmentum minimè patiatur. Sic enim legendum tunc eſſet: *Et accepto calice gratias agens dedit eis, & bibite ex illo oẽs. Et ait illis: Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamẽti.* Itaq; verbũ hoc, OMNES, iuxta mentem Legislatoris ac certiſſimum D. Marci teſtimonium, nõ omnes fideles, ſed duodecim Apoſtolos ſolos tunc præſentes tantùm comprehendit. Etenim ſi Chriſtus, calicẽ voluiſſet omnibus Chriſtianis præcipere; procul-

[Marginal notes, right: Marc. 14. — Ioan. 7. — Matth. 27. — Marc. 14. — Lutherus in magna Cõfeſſ. ſua de cœna Domini, parte 2. Tom. 2. Germanico. VVitenbergæ, fol. 188. pag. 1.]

[Marginal notes, left: *Lutherus Euangeliũ D. Marci de corruptela ſuſpectum habuit.* — *Lutherι abſurditas.*]

proculdubio præter ipſos Apoſtolos quoque ſeptuaginta diſcipulos & alios denique fideles, quin etiam vtriuſque ſexus (præcipuè verò Diuam matrem) ab iſto calice non excluſiſſet, cùm præſertim ad crucem mox eſſet tranſiturus. Verùm, vt quod res eſt, apertius dicatur, *Calix cur non omnibus ſed Apoſtolis ſolis ſit porrectus.* Dominus præter Apoſtolos huic myſterio neminem alium intereſſe vel adeſſe voluit; partim quidem, vt hinc conſtaret hauſtum calicis nec omnibus præceptum, nec ad ſalutem neceſſarium eſſe; partim verò, quòd iuge noui Teſtamenti ſacrificium, eiuſque legitimos miniſtros, ſacerdotes inſtituere decreuiſſet. *Sacrificium Miſſæ vbi & quomodo inſtitutum.* Vnde

Matth. 26. quoque dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis tam ipſis Apoſtolis, quàm eorum ſucceſſoribus expreſſè ſerioque mandauit; vt, ſicut ipſe panem acceperat, & gratias agens benedixerat, & fregerat, & in corpus ſuum tranſmutauerat, per hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, & incruento modo, tanquam ſacerdos, ſecun-

Pſal. 109. Hebr. 7. dum ordinem Melchiſedech obtulerat, dicens: *quod pro vobis datur*: ſic hæc eadem Apoſtoli eorumque ſucceſſores perpetuò facerent, quando cœnam illam myſticam & ſacram eſſent celebraturi. Quæ quidem omnia myſteria, cùm ſolis Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus ſacerdotibus & Chriſti vicariis mandata ſint, vt ea facerent, quæ fecerat Chriſtus: profectò calicis præceptum: *Bibite ex hoc omnes*, non poteſt indiſcriminatim ad omnes Chriſtianos pertinere vllo modo. Atque hunc cœnæ Dominicæ genuinum atq; germanum eſſe ſenſum, non ſolùm præcedentium ac ſequentium verborum contextus, & ſeries apud D. Matthæum; ſed etiam Euangelica & Apoſtolica concors & vnanimis Euangeliſtarũ omnium hiſtoria conuincit: Quin & vniuerſalis veraq; Chriſti Eccleſia perpetuò ſic credidit, ſic docuit, ſic vſq; pro-

fitetur, adeoque Patres Orthodoxi ſemper idem ſenſerunt. Quod vt manifeſtius euadat, ex multis vnum aut alterum exemplum in medium proferam. Certè id non obſcurè declarat Clemens & Martyrio & familiaritate Apoſtolorum clarus, cùm in perſonis Petri & Pauli ſic ſcriptum reliquerit: *Primus igitur natura Pontifex vnigenitus Chriſtus, non ſibi honorem rapuit, ſed à Patre conſtitutus eſt, qui factus propter nos homo, & hoſtiam ſpiritualem Deo ſuo eidemq́; Patri ante paſsionem offerens, conſtituit nobis ſolis, vt hoc faceremus, cùm eſſent alioqui nobiſcum alij etiam ex eorum numero, qui in eum crediderant: ſed non protinus quicunque credidit, factus fuit ſacerdos, aut gradum Pontificalis dignitatis obtinuit. Nos verò poſt aſſumptionem eius offerentes, vt idem conſtituit, ſacrificium mundum & incruentum, elegimus Epiſcopos, &c.* Ad eundem modum ac ſenſum Iuſtinus Philoſophus & Martyr, ad Antoninum Pium Imperatorem ſcribens ait: *Apoſtoli in commentariis ſuis, quæ Euangelia dicuntur, ita ſibi Chriſtum præcepiſſe tradiderunt, eum accepto pane, cùm gratias egiſſet, dixiſſe: Hoc facite in memoriam mei; Hoc eſt corpus meum: dixiſſe etiam accepto poculo, cùm egiſſet gratias: Hic eſt ſanguis meus, ſibiq́; ſolis dediſſe.* Inſuper & Occumenius, vt cæteros omittamus, ita ſcribit: *Neque enim de ea, quæ ſemel à Chriſto facta eſt oblatio & hoſtia dixiſſet (Apoſtolus) in æternum: ſed reſpiciens ad præſentes ſacrificos, per quos medios Chriſtus ſacrificat, & ſacrificatur, qui etiam in myſtica cœna modum tradidit illis huiuſmodi ſacrificij, &c.* Ex quo magis eſt mirandum atque dolendum; hoc infelici ſeculo noſtro non deeſſe homines errantes, & in errorem mittentes, qui modis omnibus id ſatagunt, vt fabulæ, quas ipſi faciunt, populo placeant, & idcirco nouum de calicis

Sacrificium incruentũ ac ſpirituale Chriſtus ante paſsionẽ obtulit.

Apoſtolis ſolis Chriſtus in cœna præcepit, vt ſacrificium incruentũ offerrent.

Chriſtiani omnes non ſunt ſacerdotes.

Epiſcopi & ſacerdotes quo modo per Apoſtolos ordinati.

Sacrificium Miſſæ frequens & perpetua oblatio probatur.

Conſt. Apoſt. lib. 8. cap. vlt.

Iuſt. Apol. 2.

Occu. in cap. 6. ad Hebr.

2. Tim. 3.

Matth. 26. licis hauſtu præceptum (quod nuſquam extat) fingentes, Chriſti verba (*Bibite ex hoc omnes*) in alienum ſenſum detorta, paſſim apud rudem plebeculam peruertunt atque proſtituunt. Quaſi verò, quæ Chriſtus in cœna dixit & geſſit, ex æquo & ſine diſcrimine ad omnes Chriſtianos pertineant; nec ſit vllum in Eccleſia, vel perſonarum, vel officiorum, vel miniſteriorum diſcrimen, ſed omnes æquè ſacerdotes ſint, & æquè laici. Quorſum igitur hæc Aduerſariorum ſub Euangelij prætextu libertas tendit? Eò ſcilicet, vt bonum

Calicis nullum præceptum quo ad Laicos, aut non cõficientes.

Ordo neceſſarius in rebus Eccleſiaſticis.

1. Cor. 12. ordinem, quem Apoſtolus in Eccleſia ſeruari iubet, hominum iſtorum imperio confundamus: vt omnia membra corporis Chriſti, quæ ſingulares ſuos actus habent, eneruando perturbemus, vt gratias, vt prophetias, vt gubernationes, vt miniſteria diuerſorum fœdè peſſundemus. Atque ſi Chriſtianis omnibus & ſingulis (contempta & profligata tam Apoſtolatus, quàm ſacerdotij dignitate) ipſi planè hæc verba (*Bibite ex eo*

Matth. 26. Luc. 22. *omnes*) tanquam Cothurnum accommodare volunt; quid eſt, quòd verba illa; *Accipite, Diuidite inter vos*, quorum hoc apud Lucam, illud apud Matthæum reperitur, non conſtanti & vnanimi cærimonia in ſuis cœnis obſeruant? Quidam enim neſcio an maiori religione, quàm magis ſimulata mente, aliqua forte conſcientia adacti, à ſuis Miniſtris panem & vinum nunc ſtantes, nunc flectentes recipiunt; alij verò inuerecundiores per ſordidatos & mœchanicos homines patiuntur ſedentibus ſibi diſtribui; alij verò Harpyarum propemodum more omnia defœdantes, vt potius Pauli Samoſateni, qui laniandum Chriſtum in cœna docebat, quàm vſitatum Eccleſiæ Catholicæ ritum, imitentur, panem & vinum inter ſe diuidunt & dilacerant. Hoc

Aduerſariorum ritus in communicando quales.

B 3 planè

Aduerſarij ad libitum Scripturam ſacram & ritus contẽnunt.

Caluini error de calice.

planè modo ſicut verba quoque Scripturæ ſacræ dilaniant,& ſacros ritus leuiter contaminant; ita nunc etiam, ad arbitrium ſuum,de Chriſti verbo ad imperium audacter,ſine vlla maiorum ſententia pronunciant. Hoc eſt, quod Caluinus pro ſua illa conſueta auctoritate; (*Accipite*) ad libertatem, (*Bibite verò*) ad mandatum retulit; vt ſic magis ad calicem epotandum, quàm ad panem manducandum,homines imperitos impelleret.Hæc eſt Aduerſariorum vſitata repugnandi conſuetudo, adeò, vt etiamſi non ignorent vniuerſam Eccleſiam Catholicam,& priſcos Patres, hæc verba: *Bibite ex hoc omnes*, ad Apoſtolos præſentes ſolùm dicta eſſe, declarare, teſte Marco, qui ait: *Et biberunt ex eo omnes*: tamen vt aciei Dei viuentis obſiſtant, à ſuis cauillationibus, quibus nimium indulgent, abſtinere non poſſunt.

Inſt.lib.4. cap. 17. num.50.

Calicis præceptum ab Apoſtolis impletum fuit in vltima cæna.

ASSERTIO III.

Nec illis Apoſtoli verbis: Hoc facite,quotieſcunque biberitis, in meam commemorationem, &c. *calicis vſus omnibus fidelibus indiſcriminatim eſt præceptus.*

PRincipiò igitur, cùm verba Chriſti: (*Hoc facite in meam commemorationem*) videantur inſinuare quaſdam actiones, quas ipſe in hoc ſacerrimo epulo accuratiſſimè voluit obſeruari,diligenter eſt inueſtigandum, & declarandum, quaſnam his verbis intelligere oporteat: quibus perceptis & animaduerſis, tum genuinus eruendus erit verborum ſenſus,de quo diſceptatur. Atque ſic tota contentionis difficultas explicata euadet. Hæc autem

tem

tem in cœna haud obſcurum eſt, & Chriſtum & Apoſtolos, quædam operatos eſſe, quæ an omnia & ſingula his verbis (*Hoc facite*) comprehendantur, in quæſtionem cadit. Et quoniam in confeſſo eſt, quaſdam actiones, tam antecedentes, quàm ſubſequentes, comitanteſque totius cœnæ abſolutionem, Chriſto & Apoſtolis eſſe cõmunes, quales fuerunt agni Paſchalis eſus, pedum lotio, panis fractio, de principe loco inter Apoſtolos diſputatio, proditoris Iudæ ſignificatio, & eiuſmodi, de quibus apud omnes ferè conſtat, eas per hæc verba, (*Hoc facite*) non intelligi oportere; niſi fortè ab hac concordia ſe Anabaptiſtæ, & qui Ioannis à Laſco diſcipulos Sacramentarios ſe profitentur, exceptos velint, qui ſuas illas cœnas ad Iudæorũ morem ritumq; Moſcouiticũ, referre malunt; quàm vt cum ſuis magiſtris Lutheranis & ſociis Caluinianis pacificè conuiuentur. Huic enim hominũ generi lubitum eſt, primò, vt aſſidentes ſimul tanquam agnum Paſchalem feſtinanter comedant, & agreſtes lactucas vorent, in menſa deinde panem dilacerẽt, tum etiam epotent vinum, vt ſic per omnia Chriſti actiones exprimere videri poſſint. Credo illos etiam propediem baculos arrepturos, quorum in principio non meminerant, vt ſocios confœderatos, & à ſua menſa, & à ſuo ſingulari ritu omnino arceant. Sed alij modeſtiores videntur, & dant operam, ne eiuſmodi actiones Chriſto & Apoſtolis cõmunes, his verbis; *Hoc facite*, intelligi videantur. Ac proinde de his communibus Chriſto & Apoſtolis actionibus ſtatutum ſit, eas his verbis; *Hoc facite*, comprehendi nullo modo poſſe. In Chriſti verò & Apoſtolorum ſeparatis actionibus in cœna, tota contentionis vis ponduſq; tanquã cardine vertitur. Ac vt primò de Apoſtolorum actionibus agamus, certum & indubitatum eſt, eos nihil

Acta Chriſti in cœna diſcutiuntur.

Exod. 12. Ioan. 13. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Cœna Anabaptiſtarũ qualis.

Hoc facite, quomodo intelligendum.

ferè corũ egiſſe, quæ Chriſtum in menſæ ſacræ inſtitutione feciſſe Euangeliſtæ & Paulus memoriæ prodiderunt. Etenim quandoquidem Apoſtoli ſuis actionibus, qualeſcunq; illæ fuerint, hoc ter quaterque venerandum Sacramentum non inſtituerint; proculdubio cõcludatur, neceſſe eſt, his verbis: *Hoc facite*, eas nullo modo intelligi poſſe. Nam cùm nullus ignoret, Chriſtum hiſce verbis ſacrum calicis myſterium inſtituiſſe; proculdubio huiuſcemodi verba non poſſunt, niſi eas actiones maximè referre, quibus eundem ſacrum calicem inſtitutum fuiſſe D. Paulus enarrat. Ait enim, *Chriſtum, vt panem, ſimiliter accepiſſe & calicem, ac dixiſſe: Hic calix nouum Teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Hîc vides duo referri, acceptum calicem, & verba Sacroſancta prolata eſſe; quæ duo cùm ad ſacrificium & conſecrationem pertinerent, iuſſit Apoſtolis, vt, cùm ad ſui memoriam calicem bibituri eſſent, eadem omnino facerent, conſecrarent nimirum & offerrent. Atq; ſi totius ſacroſanctæ cœnæ actiones attentiùs conſiderentur, profectò non malè præcipuas partes, hoc eſt, ipſam veram actionem Chriſto, inferiores verò, hoc eſt, vt more Logicorum loquamur, Apoſtolis tanquam paſſionẽ attribuemus, dicemusq; Chriſtum benè precãdo & gratias agendo conſecrâſſe, & victimam Deo patri immolâſſe; Deinde Apoſtolos, vt ſacrificij eſſent incruenti participes, Chriſti corpus & ſanguinẽ ab eodem accepiſſe. At cùm manifeſtũ ſit Apoſtolos in vniuerſa cœnæ actione paſſos quodãmodo potius fuiſſe, quàm quippiã feciſſe, ſi inſtitutionẽ Sacramenti ſpectes: illud omnino ſequatur oportet, verba hæc: *Hoc facite*, quę actionem denotant, non poſſe ad Apoſtolorum ſumptionem ſiue acceptionem referri; quam, ſi Chriſti miniſtrando in Apoſtolis Sacramentum dationem ſpectes, patiẽdi more

Calix à quo, quando, & quemodo ſit inſtitutus.

Sacrificium Miſſæ vbi inſtitutum.

recipro-

reciprocari proculdubio iudicabis. Iam verò, cùm Paulus diligens Chriſti actionum obſeruator, quas ad ſalutarem tanti Sacramenti adminiſtrationem neceſſarias putaret, ſolius cõſecrationis & ſacrificij hîc mentionem faciat, mirum eſt, quanam ratione hæc verba, *Hoc facite*, ad aliam actionem, quam hic non commemorat, vtpote Apoſtolorum ſumptionem, referri poſſint. Quis enim tam rudis eſt, qui ignoret: *H*oc, præcedentem actionem ſemper referre, tacitam autem, vel ſubſequentem ſignificare nullo modo poſſe, niſi ea clarè exprimatur? Atque ſic non ait: *Hoc facite, quod acturi ſiue ſumpturi eſtis: ſed facite, quod ego iam vobis cernentibus feci*: Vnde & D. Paulus duobus in locis, primò quidem conſecrato iam pane, ſecundò verò cùm accepiſſet calicem, abſque vlla adminiſtrationis, & ſumptionis corporis ſanguiniſque facta mentione, ſcribit, Chriſtum per hæc verba *(Hoc facite)* Apoſtolis imperâſſe, vt ad ſui imitationem ſacerdotes iam effecti conſecrarent, & ſacrificarent. Quamobrem idem Apoſtolus diuinitus illuſtratus, ne vllam Corinthiis & nobis omnibus dubitandi relinqueret materiam, potius *(Hoc)* quàm *(Hæc)* vſurpauit, ne animos noſtros ad Chriſti & Apoſtolorum ſimul, tum maximè ad ſequentes actiones, hoc eſt, ad ſumptionem, quæ à ſe non referuntur, inclinaret. *Hoc* itaque, dicit Chriſtus, *facite*, quod iamiam vidiſtis me feciſſe, hoc eſt, conſe-
Matth. 28. crâſſe & ſacrificâſſe: hoc itaque facite, vt hoc iugi ſacrificio perpetuò apud vos maneam. Verùm ſi quiſpiam,
Luc. 22. quod dicimus, non aſſequatur, facili negotio ex D. Luca intelliget, qui cùm (*Hoc facite in meam commemorationem*) & poſt conſecrationem panis, & antè calicis nulla ſumptionis facta mentione, dictum à Chriſto eſſe dicit; declarat manifeſtè his verbis, *Hoc facite*, nec actio-

nem Apoſtolorũ, qua dicuntur recepiſſe Sacramentum, nec Chriſti, qua Apoſtolis corpus & ſanguinem adminiſtrauit, intelligendas eſſe. Quòd ſanè ad robur firmamentumq́; doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ diuino conſilio factum eſſe arbitror, vt & ſummam poteſtatem huius Sacramenti rituum, quemadmodum & cæterorum diſponendi & diſpẽſandi pro temporis ratione haberet, & maximè numero fidelium adaucto, animos ad vnam potius, quàm ad vtramque ſpeciem ſuſcipiendam induceret. Hoc ipſum clarius redditur, cùm & Lucas & Paulus vniformiter ſcribant, Chriſtum, poſtquam panem conſecrâſſet, abſolutè ſine vlla conditione Apoſtolis imperâſſe, hîs verbis; *Hoc facite in meam commemorationem*, vt quod fecerat, ipſi etiam facerent; At cùm conſecrâſſet vinum, referente ſolo Paulo, Chriſtum cum conditione Apoſtolis iuſſiſſe, vt pote quotieſcunque bibituri eſſent, id facerent in ſui commemorationem; quæ certè conditio, *quotieſcunq; biberitis*, planè ocioſa & ſuperflua eſſet; ſi per *facite* intelligi deberet. Bis enim, bibite, in duobus cõiunctis verbis ſine aliquo myſterio diceretur: Ac proinde ſingulari diuinaq́; ſapientia factum eſt, vt Chriſtus Paulo referente, cũ conditione locutus ſit; vt pote, qui licet ſua pręcepta abſolutiſſimè vellet à nobis ſeruari, non tamen vellet omnes ad ea per præceptũ cogi, quibus vel naturæ plurimorũ aduerſarentur, vel quæ ſummam difficultatem cũ moleſtia multis imponerent. Non enim ignorabat primam illam & recens naſcentem Eccleſiã ſuam circa morem Iudaici ritus laboraturam, adeoque ſututum prouidebat, quod ex Rechabitis & Nazarçis, quemadmodum etiam ex Phariſæis ad fidem eſſent conuertẽdi; quibus, cùm iidem tum domi, tum publicè in ſacrificiis pro ſua & religione & conditione vinum non biberent.

Eccleſia Catholicæ authoritas diuinitus cõmendatur in eo, quod calix præceptus non ſit.

1. Cor. 4. Tit. 1. 1. Pet. 4.

Calicis cur nullum ſit præceptum a Chriſto datum.

Hierem. 36 Num. 6.

rent, in nouo & iugi ſacrificio, quod & leuiùs & faciliùs eſſe conueniebat, quàm priſca & vetera illa fuerant, grauius & moleſtius mandatum imponere noluit, ne illi ſuis ritibus ac moribus fortiter inhærentes, à religione ſacroſancta, nimium abhorrerent. Quamobrem prouidè addidit (*Quotieſcunq; biberitis*) cōditionem ſanè cōmodam & amplam, ne tum piam Nazaræorum & Rechabitarum conſuetudinem, tum Abſtemiorum naturam, noui Sacramenti quoad calicem inſtitutione violare ſeu onerare videretur. Hi tamen, & quicunque alij ſacroſanctam Euchariſtiam ſub vna panis ſpecie percipientes, nunquam tam ſalutari ſanguinis potu priuantur; quādoquidem Dominicum corpus ſimul cum ſanguine, hoc eſt, Chriſtum totum & integrum ſumunt; Sed ne videamur omnia arma ex manibus Aduerſariorum omnino extorquere, ita vt proſtrati, ſe penitus erigere non poſſint, demus & ſinamus, quod tamen (vt ſuperiùs patet) verum non eſt (*Hoc facite*) & conſecrationem & adminiſtrationem Sacramenti complecti, quid illi tandem hinc concludent? iſtud ne fortaſſis, quia Apoſtolis mandatur, ideò ſtatim omnibus præceptum cenſeri debet? Quæ eſt hæc ratiocinationis complexio, aut quæ argumentandi abſurditas? num quid omnia, quæ Apoſtolis mandata ſunt continuò omnibus imperata dicemus? An vt illa: *Accipite Spiritum ſanctum* (quem Eccleſiæ toti promiſſum eſſe fatemur) ſingulis, vt velint, nolint, accipiant mandatur, vt peccata ligare vel abſoluere poſſint? Quid eſt, quòd Aduerſarij atq; adeò multi Chriſtiani, opes facultatesq; coaceruant? Anne mandatum ignorant ſcriptum: *Nolite theſaurizare vobis theſauros.*
Matth. 6. *Nolite poſſidere aurum neq; argentum?* Quid eſt? quòd ſacculos, quòd peras, quòd calceamēta, quòd virgam? (hîc

Prouidētia Dei factum eſt, quòd calix non ſit præceptus.

Vnius ſpeciei communione totus Chriſtus ſumitur.

Apoſtolis multa dicta ſunt, quæ ad laicos non ſpectant.

Aduerſarij multi Chriſti mandata diſsimulant, ſed calicē vrgent.

Anabaptiſtas excipio) ſecum portant? cur multi duabus, imò infinitis, iiſque delicatiſſimis veſtibus abutuntur? Et cur ingenti curarum mole omnes ferè de futuris ſe diſcruciant, cùm ſit mandatum: *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum*? Verùm hæc iam nimium obſoleta ſunt Aduerſariis: *Facite*, verò &, *Bibite*, mandata certa habeantur, cauſſa in promptu patet: Illa enim non aurum, non argentum, non opes poſſidere, voluptati nimium repugnãt: Hæc autem, cùm vinum ad iucunditatem creatum ſit, animi alacritatem afferunt. Hîc nimis priſcum & vetuſtate obliteratum illud: (*Creſcite & multiplicamini*) de induſtria relinquo; quod etſi vti neceſſarium mandatum diligenter vrgent, tamen eius erunt modeſtiæ, ſicuti mihi perſuadeo, vt nolint omnes ſuos cœlibes vi ad coniugium impellere. Verùm, vt, quod manifeſtum eſt, paucis concludam; euidenter conſequitur illud ipſum Chriſti præceptum (*Hoc facite*) non omnibus in vniuerſum fidelibus, nec eorum ſingulis, quod Aduerſarij plerique facilè concedunt, nec Eccleſiæ in vnum collectæ, ſicut falsò quidam eorum putant, ſed Eccleſiæ ſacerdotibus ac miniſtris ſolis datum ac mandatum eſſe. Id quoq; conſtat ex Apoſtolo; qui, *Hoc facite*, duabus tantùm actionibus Chriſti (quibus nimirũ calicem accepit & conſecrauit) accommodat. Quę quidem actiones nõ omnibus aut ſingulis fidelibus, ſed Eccleſiæ ſacerdotibus duntaxat conueniunt. Solis enim Apoſtolis (quos tunc, vt ſuprà dictum eſt, ſacerdotes creauit) in ea cœna præſentibus, & eorum quoque in ſacerdotali miniſterio ſucceſſoribus mandauit Chriſtus, vt hoc facerent. Hoc ipſum teſtantur, [a] Dionyſius Areopagita, [b] Cyprianus, [c] Ambroſius. Neque verò Chriſtus voluit

Sacerdotiũ à Chriſto in vltima cœna inſtitutum.

Eccl. 31.
Gen. 1. & 9.
Cor. 11.

[a] Lib. de Eccl. Hier. 3.
[b] Li. 2. epiſto. 3.
[c] Lib. 4. de Sacramẽtis, cap. 4.

voluit Eccleſiam ſuam, ita neglectam, confuſam & perturbatam eſſe, in qua nullus ordo, nullumque perſonarum, miniſtrorum, & officiorum diſcrimen eſſet: ſed in qua (tanquam caſtrorum acie ordinata) quidam Apoſtoli, alij Prophetæ, alij Euangeliſtæ, alij Paſtores ac Doctores exiſterent. Numquid omnes Apoſtoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Euangeliſtæ? Numquid omnes Paſtores & Doctores? Et quemadmodum corpus non eſt vnum membrum, ſed multa, quæ nec vnum aut eundem actum, ſed ſingula ſuum actum exercent. (Nam ſi totum corpus oculus, vbi auditus? Si totum auditus, vbi odoratus?) Sic meritò dicimus, ſi Chriſtiani omnes ſacerdotes à Chriſto ſunt creati, & tota ſimul Eccleſia collecta, ſicut quidam malè opinantur; accepit à Chriſto mandatum, vt hoc faciat, quod Chriſtus in accipiendo, conſecrando, offerendo, ſumendoque calice faciebat; vbi reliquus populus? Vbi laicus à ſacerdote diſtinctus? Nonne ſic corpus contra ſententiam Apoſtoli vnum membrum erit? Nonne totum corpus oculus erit? Nonne membra ſingula eundem actum habebunt? Verùm illud profectò mirum eſt, quod Aduerſarij, licet verbis nobis repugnent, non ipſi tamen hanc abſurditatem ſequuntur, nec probant, imò nec ferre quidem poſſunt. Nam & ipſi non omnibus ſine diſcrimine adminiſtrandæ Euchariſtiæ miniſterium permittunt; ſed ad id obeundum & exequẽdum certos (quos appellant verbi Miniſtros) vocant, mittunt, ordinant, & per manuum impoſitionem adhibitis etiã cærimoniis omnino deputant. Quid ergo in vulgi gratiam docent, quæ nec ipſi ſeruant, ſed ratione ipſa victi ſeruare non poſſunt? Hîc de induſtria ſino, quod

Ordo neceſſarius in Eccleſiaſticis miniſteriis.

1. Cor. 12.

Sacerdotes, quomodo fideles non ſint.

Miniſtri Verbi.

Aduerſarij docent omnes eſſe ſacerdotes, & tamen certos ipſi miniſtros conſtituunt.

quod ex hac eorum ſententia ſequeretur, nullum particularem virum, quantumuis vocatum, miſſum & ordinatum ab ipſis Eccleſiæ ipſorũ miniſtrum fieri, aut ſanctam Euchariſtiam adminiſtrare poſſe, ſi verba Chriſti (*Hoc facite*) iuxta quorundam ſententiam ad Eccleſiam collectam pertinerent. Nullum igitur verbis iſtis, *Hoc facite*, contineri poteſt præceptũ, quo Chriſtiani omnes indiſcriminatim ad ſumptionem calicis obligentur. Nam Apoſtolis, vt eſt in præcedentibus demonſtratum, & eorum ſucceſſoribus præcepit Chriſtus non abſolutè, ſed addita conditione, nimirum, vt quotieſcunq; vellent ipſimet ex calice bibere, prius id facerent, quod in accipiendo, conſecrando, & offerendo calice Chriſtus ipſe fecerat. An verò deinceps ipſi calicem aliis porrigere, vel non porrigere deberent, non id quidem Chriſtus Dominus cõſtituit, cùm nec eſſet neceſſarium: Sed ipſis Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus (ſicut Adiaphora multa) prò locorum, temporum & hominum vtilitate diſponendum reliquit. Quod etiam luculenter his verbis demonſtrat Apoſtolus: *Hoc facite quotieſcunq; bibetis in meam commemorationem.* Nullum enim de potu calicis præceptum, ſed conceſſo calice, ſi quis eo velit vti, certum præſcribit modum, quo ſalubriter ac ritè quis ex eo bibere poſſit. Etenim non vt bibamus calicem, ſed cùm biberimus, id in eius memoriam faciamus, Chriſtus præcipit. Tantùm abeſt, vt ex eo Chriſti verbo (*Hoc facite*) ſit omnibus Chriſtianis de ſumendo calice præceptum datum, cùm non verbo, *facite*, ſed, *biberitis*, conditio appoſita ſit, quæ bibendi mandatum planè excludit. Nec vacat myſterio, quòd Apoſtolus eodẽ capite propterea ſit aliquoties loquutus, de ſola manducatione, ne quis vllum de calicis potatione præceptum ſubeſſe perperam

Calicem omnibus dãdum Chriſtus nõ præcepit.

Calicis diſpoſitio fuit Apoſtolis relicta.

Calix non præcipitur, ſed conditiones ſeruãdæ quando ſumitur.

ram exiſtimaret. Ait enim: *Conuenientibus vobis in vnum, iam non eſt Dominicam cœnam manducare.* Et rurſus: *Vnuſquiſq; cœnam ſuam præſumit ad manducandum.* Deniq;: *Itaq; fratres mei, cùm cõuenitis ad manducandum, inuicem exſpectate.* Ecce quoties ibi manducationem inculcat, nulla potus mentione facta; licet, quando de corporali cœna loquitur, ſubinde quoque potum expreſſerit, cùm ait: *Et alius ebrius eſt*, ſcilicet non ſanguine Domini propinato, cùm nondum eſſet communio data, ſed potu communi, quo Corinthij abuti conſueuerant.

ASSERTIO IIII.

Nouum Chriſti Teſtamentum non in ſumptione calicis, ſed in effuſione Dominici ſanguinis conſiſtit. *Teſtamentum Chriſti in quo conſiſtat.*

HIc pro ſua ingenij imbecillitate Aduerſarij riſum & cachinnum mihi propemodum mouent; vt qui in hac ipſa clariſſima Chriſti ſententia: *Hic eſt calix nouum Teſtamentum*, ſiue: *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti*, cum ſuis opinionibus profligantur, totamque pugnam rebus in deſperatis habent, licet obtuſis & confractis armis, ſeipſos feriant, dum nos tanquam inermes oppugnare conantur. Quidam eorum vafricie magis callidi, ab hoc genere armorum, quo ſuum illud Sacramenti ſignum, & tanquam vexillum euerſum vident, aſtutè abſtinent. Nam cùm audiunt dici: *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti*: aduertunt ſe vinum (cuius illis in verbis nulla fit mentio) ſanguinis Chriſti ſignum & tanquam hæderam aliquam proclamare non poſſe.

Aduerſarij ſeipſos proprijs armis conficiunt.

Caluiniſtarum vafricies.

Matth. 26. Marc. 14.

Atque ſic, qui ſunt inter ipſos rudiores, tantùm hac ſententia ad probandum ſub vtraque ſpecie communionem contra nos vtuntur, qui licet minùs malitioſi videantur, neſcio tamen, an ingenio magis tardi, cùm Andabatarum more decertent, non aduertunt hac ſententia: *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti*: vel. *Hic eſt calix nouum Teſtamentum*, ſe non poſſe Chriſtum, quemadmodum in pane, ſic in vino cōpingere: Etenim cùm vini nulla prorſus fiat mentio, difficile erit Chriſtum (abſit blaſphemia verbo) vino inuoluere atque prorſus contorquere. Sed in ſua vſitata opinione euerſos ſinamus, videamusque quodnam nouum figmentum nobis obtrudant. Chriſtus, aiunt, clarè dixit: *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti*, vel: *Hic eſt calix nouum Teſtamentum*, ergo ſine impietate à calice nullus abſtinere poteſt. Intelligo quid velint, Chriſtus ſuo ſanguine nouum Teſtamentum confirmauit, igitur ſanguinem omnes & ſinguli epotare obligantur. Quòd ſi res ita habet: O miſeros & infelices infantes Chriſtianorum, in primordio ſuæ ætatis ſine ſanguinis Chriſti potu poſt Baptiſmum emortuos? O deploratos pueros, ante decimum, duodecimum, vel etiam decimum quintum annum ſine hauſtu ſanguinis, terræ vel inferno potius, ſi verum eſt, quod volunt, mandatos? O miſerandos infinitos abſtemios, &, vt diximus, Rechabitas, & plurimos Nazaræos, qui, cùm omnes baptizati ſunt in ſanguine Chriſti, tamen ſanguinis Chriſti, hoc eſt, noui Teſtamenti participes effecti non ſunt? Quæ eſt proinde hæc ratiocinationis collectio? *Hic eſt calix nouum Teſtamentum*, ideò omnes & ſinguli ad calicem ſub ſpecie vini, cùm tamen ſub ſpecie panis id ipſum faciant, hauriendum lege neceſſaria obſtringuntur? Ignoro hîc an Aduerſa-

Marc. 14. Luc 22. 1. Cor. 11.

Aduerſariorū abſurda circa Teſtamentum Chriſti.

uerſarij data opera grauiter magis quàm leuiter argumẽtentur; cùm ipſi probè intelligant, Teſtamentum, atq; adeò fœdus, quod nobiſcum eſt ictum, ſanguine Chriſti nõ hauſto, ſed effuſo confirmatũ eſſe. Ac proinde Chriſtus in arbore crucis dependẽs, cùm maximam vim pretioſi ſanguinis ex omnibus venis, tanquam fontibus quibuſdam vbertim profudiſſet, etiamſi nullus eo tempore ad potãdum veniret; tamen quantumuis omni penitus ſanguine exhauſtus, voce clara conſummatũ eſſe vetus, quo nouum Teſtamentum inſtitutum eſt, proclamauit: Vt hinc abundè intelligeremus, nouum hoc Teſtamentum multis antea Prophetarum oraculis promiſſum, non ſanguinis potu, imò verò nec tantùm ſanguinis effuſione, ſed etiam morte Chriſti corporis conſtitui, atq; confirmari oportuiſſe. Hoc ipſum fusè D. Paulus comprobat, cùm ait, noui Teſtamenti mediatorem morte intercedente, per proprium ſanguinem introiſſe ſemel in Sancta. Vbi enim Teſtamentum eſt; mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt. Deinde addit: *Et omnia penè in ſanguine ſecundum legem mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Ex quibus vides non in ſanguinis potu factum eſſe Teſtamentum; quod etſi factum concluſumque fuiſſet, tamen, vt ſub vini ſpecie ab omnibus & ſingulis fieret, illa verba: *Hic eſt calix nouum Teſtamentum*, omnino non imperarent; quandoquidem ſuperiùs declaratum eſt abundè, ſanguinem in corporis manducatione, epotari ſolere. Nam quemadmodũ *panis iſte communis*, vt ait Cyprianus, *in carnem & ſanguinem mutatus, procurat vitam & incrementum corporibus*: ſic & panis viuus conſecratus, & carne & ſanguine conſtituitur, quo fidelis hominis vita propagatur. Ac proinde hæc verba: *Hic*

Teſtamentum Chriſti confirmatũ eſt ſanguine non hauſto, ſed effuſo.

Hebr. 8. 10. Hiere. 31. Eſ. 59. Oſeæ 2.

Hebr. 9.

Panis communis ſicut comeſtus cõuertitur in carnem & ſanguinẽ, ſic panis viuus quamprimùm cõſecratur.

Sermo de cœna Domini.

Hic eſt calix nouum Teſtamentum, vt ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini, imò verò, vt omnino quacunq; ratione & ſpecie potemus, nullo modo præcipiunt, quando-quidem tantùm indicant in ſanguine confirmatum eſſe nouum Teſtamentum, eo modo, quo illa: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, ſiue *datur*, quibus manifeſtè declaratur, morte Teſtatoris perfectum eſſe & abſolutum Teſtamentum. Vnde ad illa: *Hic calix nouum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*, additum eſt apud Lucam: *Qui pro vobis fundetur.* apud Marcum: *Qui pro multis effundetur.* apud Matthæum: *Qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, vt certiſſimè conſtet, non in potatione ſanguinis, ſed in morte & effuſo ſanguine, id eſſe ratum, factum & confirmatum, quod ante obitum Teſtator liberali voluntate promiſerat. Ac proinde poſtquam ingentem poſteritatem infinitamque ſobolem Deus Abrahæ magnificè pollicitus fuiſſet; non ſine magno myſterio imperauit, vt vaccam triennem, capram trimam, arietem annorum trium, turturem quoque & columbam mactaret, & effuſo ſanguine, tùm promiſſiones ſanctæ firmæque, tùm fœdus iam ſolenni ritu ictum, ratum haberetur. Hoc ipſum accuratiſſimè Deus Moyſi faciendum mandauit, cùm ex iugo Ægyptiorum Hebræos liberatum iri, eiſq; opimam & fertilem terram ſe daturum promiſit. Et vt, quod pollicebatur ſe facturum, ſanctum, ratumq; eſſet, & agnum & hœdum mactari voluit; ſic vt agnus ille, qui cùm agni immaculati, quem quotidiè incruentum ſumimus, typum gereret, ab omnibus & ſingulis ritu ſingulari comederetur; hœdus verò, qui cruentam Chriſti in ara crucis hoſtiam deſignaret, religiosè immolaretur, eiuſq; ſanguine poſtes, ac liminaria domorum imbuerentur. Simili ritu poſt-

[Margin notes:] 1. Cor. 11. — Luc. 22. — Marc. 14. — Matth. 26. — *Teſtamentum Chriſti per mortem effuſo ſanguine confirmatum.* — *Teſtamentũ Chriſti multis exẽplis præfiguratum.* — Geneſ. 15. — *Agni typici myſterium.* — Exod. 12. — *Hœdi typici myſterium.* — Ibidem.

poſtquam populum Iſrael ex Ægypto Deus eduxiſſet, condidit præcepta, legesque ſanciuit, quibus Rempublicam illam electam ſtabiliret, ac tandem cùm datis mandatis omnes aſſenſiſſent, voluit vt mactarentur animalia ad immolandum, quorum ſanguis partim ſuper victimas effuſus, partim à Moyſe in populum aſperſus eſt. Vnde omnes imbuti ſanguine exclamârunt: *Omnia quæ locutus eſt Dominus faciemus & erimus obedientes.* Moyſes verò ait: *Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum.* Cæterùm, vt vmbra illa priſca veritati reſponderet, nec etiam nos de veris promiſſis in diuina menſa de eius vera carne, eiuſque ſanguine dubitaremus, ait Chriſtus: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic eſt calix nouum Teſtamentum in ſanguine meo,* ſiue; *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui prò multis effundetur.* Qui profectò ſanguis, vt olim ſanguis animalium in populum, ſic *Sanguis*
Heb.12. in nos aſpergitur, quemadmodum, Apoſtolo teſte, fideles acceſſerunt ad Teſtamenti noui Mediatorem Ieſum *Chriſti quomodo aſperſus in nos.* & ſanguinis aſperſionem, quo emundati ſumus, vt ait
1.Ioan.1. Ioannes, ab omni peccato, &, vt Petrus ſcribit: *quòd pre-*
1.Pet.1. *tioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati ſumus redempti.* Ex quo me tacente, manifeſtum redditur nulla ratione omnibus & ſingulis mandari, vt ſanguinem Chriſti ſub ſpecie vini hauriant, quandoquidem, vt præcedentibus eſt demonſtratum, teſtamentum nouum, non in ſanguinis potu, imò verò nec tantùm in ſanguinis effuſione, vt ſuprà dictũ eſt, ſed etiam in morte Chriſti ſancitum, & confirmatum, tum habemus, tum veneramur.

ASSERTIO V.

Aduerſarÿ in Apoſtolum Paulum non leuiter peccant, quando contra manifeſtam eius mentem, & ſententiam ex quibuſdam eius verbis malè intellectis, vtriuſq; ſpeciei communionem adſtruere moliuntur.

Corinthiorum exemplo nullum calicis, quoad laicos, Christi mãdatum probatur.

CVm ſic ait Apoſtolus: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, &c.* Teſtatur quidem Corinthios ſub vtraq; ſpecie communicâſſe (quod nemo facilè negauerit) & Dominicæ cœnæ narrat hiſtoriam, ſicut eam acceperat à Domino: Veruntamen nullum nec Domini, nec ſuum adfert præceptum, quo vel Corinthij fuiſſent ad vtriuſq; ſpeciei perceptionẽ obligati, vel alij fideles eorum exemplo, ad eandem nunc poſſint aut debeant adſtringi. Quòd autem Chriſtus Dominus nullum de ſpeciebus, aut modo communicandi mandatum dederit, (quod in vniuerſum ad populum Chriſtianum ſpectet) in pręcedentibus abundè demonſtratum eſt. Vnde quòd Apoſtolus Corinthiis tradidit, ita ſpectat ad communicandi ritum (quem Chriſtus Eccleſiæ, ſicut alia plura maioraq; pro temporum, hominum & locorum commoditate conſtituenda, diſponenda, mutanda, variandaq; reliquit) vt nullum vllius pręcepti vim habeat, pręſertim, cùm Apoſtoli non eſſet intentio de ſpeciebus eo tempore, quicquam diſputare; ſed potius graues Corinthiorum abuſus atq; irreuerentiam, ſicut in eodem capite patet, redarguere. Quod ſupereſt narrat hiſtoriã de his, quæ Corinthij tunc faciebant, & eorum malefacta reprehendit, & quæ cauenda velit, monet; ſed nullum 1. Cor. 11.

Adiaphora Eccleſiæ relicta.

Calicis præceptum nullum à Paulo fuit inſinuatum.

prorſus de ritu communicandi præceptum, nec inſinuat quidem, imò præceptum Chriſti de calice: *Bibite ex hoc omnes*, propterea, & conſultò quidem omiſit Apoſtolus, cùm cætera tamen referret; vt vel hinc conſtaret illud nihil ad Corinthios vel alios fideles, ſed ad ſolos duntaxat Apoſtolos pertinuiſſe, & in eis etiam impletum fuiſſe. Neque enim cogitare fas eſt, Apoſtolum ſpiritu Dei plenum, ac directum, voluiſſe quicquam omittere, quod Corinthiis obſeruatu neceſſariū eſſet ad ſalutem. Abſit igitur à tanto Apoſtolo tam grauis ignorantia & culpa. Sed neque mirum videri debet, de ſpeciebus nullum fuiſſe datum præceptum, quandoquidē ſub vna, vel vtraq; ſpecie communicandi ratio, vel tractatio, nō tam ad eſſentiā Sacramenti, quàm ad ritus & cærimonias Eccleſiæ ſpectat, quæ quidem, cùm non diuini ſed poſitiui ſint iuris, poſſunt immutari, variari, ac diuerſis in locis eſſe diuerſæ. Nam vniformitas religionis & Eccleſiæ Catholicæ non in cærimoniis aut ritibus, ſed magis in vnitate fidei, in concordi fidei doctrina, & in Sacramentorum, vt aiunt, eſſentialibus conſiſtit. Quod Melanchthon intelligens, eiuſmodi communicandi ritus numerauit inter media, & in arbitrio noſtro poſita, quæ nos adiaphora plerunque vocamus. Videant igitur Melanchthonis diſcipuli, quamobrem contra præceptoris ſui decretum vtramque ſpeciem à Chriſto præceptam eſſe falsò contendant. Ergóne diſcipuli volunt eſſe ſupra magiſtrum ſuum, quem tamen, vt idolum adorant, & eius ſententias tanquam Apollinis oracula ſuſpiciunt, admirantur & honorant? Non deſerent magiſtrum ſuum hac in parte, ſat ſcio; ſed potius cùm ipſo communicandi ritum inter media, ſeu adiaphora collocabunt, licet à ſeipſis diſſidere turpiter

Vna vel vtraq; ſpecies cur præcepta nō ſit.

Ritus Eccleſiæ quomodo mutari poſſint.

Vniformitas religionis in quibus cōſiſtit.

Ritus communicandi à Melanchthone inter media ponitur.

In locis Com. Baſileæ impreſſis, anno 23. Tit. de abrog. legis.

Diſcipuli Melanchthonis ſunt ſuper magiſtrū ſuum.

piter debeant. Verùm aliud eſt, quod obiiciunt hoc loco, cur nimirum id aliquando prohibuerit Eccleſia; quod Chriſtus liberum & arbitrarium, & in arbitrio Eccleſiæ poſitum ſeu adiaphorum, reliquit? Verùm meminerint ipſi multa tanquam adiaphora & libera fuiſſe à Chriſto relicta, quæ poſtmodum optimo iure ab Eccleſia, vel præcepta, vel etiam prohibita fuerunt. Nuſquam enim præcepit Chriſtus, vt populus Chriſtianus Dominicum diem celebret, quem tamen ex Eccleſiæ præcepto, nobiſcum Aduerſarij celebrandum eſſe cenſent. Nuſquam Chriſtus præcepit, vt infantes baptizentur, quod tamen, vt fiat, Eccleſia ſalubriter inſtituit, & ipſi quoque probant & ſeruant. Nuſquam Chriſtus mandauit, vt ſuæ Natiuitatis, Circumciſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis feſti dies agantur; quos tamen ipſi nobiſcum ex Eccleſiæ præcepto non grauatè celebrant. Nuſquam denique præcepit Chriſtus, vt ſacra Euchariſtia ſumatur à ieiunis; quod nihilominus etiam ipſi iuxta præſcriptum Eccleſiæ & Apoſtolorum nobiſcum obſeruant. Vnde cùm Apoſtolus de huiuſmodi mediis & adiaphoris ita dixerit: *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*, nemini mirum videri poteſt, ſi fidelibus ſuis Eccleſia quædam eorum, quæ inter adiaphora cenſentur, prohibuerit, quædam verò ſeruanda præceperit, prout temporum & locorum ratio poſtulabat, licet illa Chriſtus liberrima reliquiſſet. Quale prorſus eſt iudicium de vtriuſque ſpeciei communione, quam idcirco tanquam rem mediam potuit Eccleſia, ſicut fecit, iuſtas ob cauſſas ad tempus aliquando prohibere, non ſolùm propter Sacramenti reuerentiam, ſed etiam ad extirpandas hæreſes & articulos fidei confirmandos. Porro, quod traditionis verbum, cùm Paulus ait: *Accepi à Domino, quod & tradidi vobis,*

Adiaphora multa à Chriſto relicta, quæ Eccleſia rectè præcepit, vel prohibuit.

Cor. 6.

Vtriuſque ſpeciei communio cur aliquando ab Eccleſia prohibita.

vobis, nec vllam præcepti vim habeat, facilè ex aliis eiuſdem Apoſtoli verbis conuincitur. Sic enim alibi ait:
1. Cor. 15. *Tradidi enim vobis inprimis, quod & accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt.* Ecce prorſus eadem eiuſdem Apoſtoli verba, quibus nullum tamen præceptum continetur. Quis enim melior Apoſtoli, quàm ipſemet Apoſtolus eſt interpres? Nonne quoque D. Lucas ad eundem modum & *Tradidi vobis, &c. nullum continet præceptum.*
Luc. 1. ſenſum loquitur, dum ait: *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt.* Nec in hac quidem traditione vel minimum alicuius præcepti veſtigium apparet. Vnde mirum eſt, quòd Aduerſarij his Apoſtoli verbis: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis,* ſiue Dominicum, ſiue Apoſtolicum præceptum affingere conentur. Certè cum ait: *Tradidi vobis,* nō aliud ſignificare voluit, quàm ſi dixiſſet: expoſui vel declaraui vobis. Et quamuis concederetur, illi verbo, (*Tradidi*) vim alicuius ineſſe præcepti; tamen illud nec ad ſpecies pertineret, nec diuinum, ſed merè poſitiuum eſſet, quod etiam ab Eccleſia, ſicut alia ſimilia pleraque mutari potuerit.

ASSERTIO VI.

1. Cor. 11. *Nihil minus his Apoſtoli verbis*; Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annũciabitis donec veniat, &c. *concluditur, quàm populum Chriſtianum, quando communicat, ad vtramq; ſpeciem obligari.*

REformidârunt noui quidam Aduerſarij ſe inter ſuos claros haberi non poſſe; ſi, quæ Magiſtri & Do-

ctores ſui obliti fuiſſent, vel ignoràſſent; hac in materia non ea pro ſuis ingeniis tanquā nouos arietes ad concutiendos Eccleſię Dei muros comportâſſent. Horum certè conatum atque officiū de induſtria prętitū magis comprobarem, ſi non eſſet illis condolendū, quòd circa hæc manifeſta D. Pauli verba: *Quotieſcunq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat,* in tam prompto obſequio grauiter hallucinati fuiſſent. Etenim, cùm ipſi ſtatuánt his verbis mandatum à D. Paulo dari, vt omnes & ſinguli ſub vtraque ſpecie ſacram Synaxin percipiant, vel nodum, vt dicitur, in ſcirpo quærere, vel certè, vt tempus terant, lepidè cauillari videntur. Quî enim fieri poteſt, vt hæc tota ſententia, quæ ſub conditione à Paulo profertur, vim præcepti habeat ſub vini ſpecie communicandi? Quis eſt enim tam rudis, qui non apertè videat his verbis Paulum accuratè monere, & docere modum vtilius & fructuoſius Sacramentum, ſi mores ſpectes, ſumendi; quàm aliàs Corinthij factitarent? Atque adeò Apoſtolus ſeriem hiſtoriamq; cœnæ, tacendo quid Apoſtoli fecerint, breuiter enarrat, ea potiſſimùm intentione, quo Corinthios doceret, vt decentius, ac maiori reuerentia, quàm anteà ſanctiſs. Euchariſtiæ Sacramentum ſuſciperent. Et hoc ipſum grauibus minis, & quaſi diris vrget, monendo, vt primùm ſe probent, ne iudicium ſibi manducent, vel bibant, dum non diiudicant corpus Domini, hoc eſt, vt Chryſoſtomus de tali homine loquens ait: *Non inueſtigans, non conſiderans, vt oportet, magnitudinem propoſitorum, non reputans muneris magnitudinem.* Quibus verbis monet Chryſoſtomus, vt accedant cum reuerentia, non ebrij, ſed ſobrij, religiosè annunciantes & recolentes memoriā cruciatuū dolorumq; Chriſti. Et hoc ipſum inter

Quotieſcunq; calicem bibetis, &c. nullum habet præceptum.

Corpus Domini non diiudicare quid ſit.

Hom. 28. in Epiſt. 1. Cor.

cætera ratio conſecrantis potiſſimùm requirit, vt ſummi Pōtificis Chriſti voluntati, & eius ſacerdotum idem ſacrificantiū intentioni, reſpōdeant. Appoſitè deinde & admodum prouidè Apoſtolus, ne mandatum, quod ad rationē Sacramenti pertineret, dare videretur, bis conditionem, *Quotieſcunq;*, expreſſam voluit; vt ſic declararet, ſe ſolùm id conari; vt praui mores, qui iā pridem irrepſerant, deuota pietate abrogarentur. Et quoniam ſuperius in panis conſecratione, cùm dixiſſet: *Hoc facite in meam commemorationem*, conditionem non addidit, ſicut in hac ſententia, vt vtrumq; complecteretur prauorū morum ſeu abuſuū nimirum & caſtigationē, & ipſam cōditionē (quæ recordando Chriſti mortē, pietatem, & reuerentiā mouet) ad præceptū trahere poſſet. Quapropter nō mandat Apoſtolus, vt quoties annūciamus mortem Domini, manducemus panē & calicē bibamus. Nō enim quoties Chriſti dolorū fit recordatio, neq; quoties à populo Chriſtiano variis ceremoniis, cōcionibus, Sacramētis maximè Baptiſmi, vbi quaſi Chriſti ſanguine lauamur, mors Dñi annunciatur, & tamen neque panis ſumitur, neq; calix bibitur. Ex quo illud efficitur, dari à Paulo modū Corinthiis, vt quotieſcunq; mādùcarent panem hūc, vel calicē biberent, nō temulenti, ſed ſobrij cū ſumma reuerētia idipſum facerēt; eo modo, quo alibi quoq; Corinthiis, ſed in alia cauſſa, ſcripſit, vt ſi viduę velint nubere, nubant, ſed tantùm in Domino; vbi præceptū nubendi non ſtatuit, ſed modum illis honeſtum præſcribit. Iam verò, cùm tota hæc ſententia plana ſit & manifeſta, quid eſt, quòd Aduerſarij tātoperè laborant, vt aquā è pumice extorqueant, atque nobis obiiciant, à D. Paulo omnibus cōmunionem ſub vtraq; ſpecie mandari; cùm ipſa verba, quæ ſua conditione ligata ſunt, nullā alicuius

præcepti vim habeant? Patet igitur manifeſtè, Aduerſarios nouos ne quicquam elaborâſſe, vt ſine magiſtris & auctoribus ex his verbis mandatum ſub vtraque ſpecie Sacramentum ſumendi eruerent, & quaſi vi extorquerent. Nec eſt, quod à verbis manifeſtis ad particulas deſcendentes, nobis cuniculos effodiant, dicantque copulam (ET) vim in hac & ſimili ſentẽtia habere, ita vt Apoſtolus manducare panem, & calicem bibere coniungat. Verùm & id fruſtra obiiciunt, cùm ignorare (niſi planè

Et, particula nõ ſemper copulat, ſed aliquãdo diſiungit.

diſſimulent) non poſſint, ET, apud Apoſtolum non ſemper copulare, ſed frequenter diſiungere; ſicut accidit, cùm ait: *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis.* Item: *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Nam ipſemet declarat his locis copulatiuam, ET, pro diſiunctiua collocatam eſſe, cùm per diſiunctionem ita ſubiiciat, vt in Græcis exemplaribus habetur: *Quicunq; manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè.* Ad eundem modum in Apocalypſi legimus: *Beatus qui legit & audit verba prophetiæ huius, et ſeruat ea*, cùm enim ſufficiat legere vel audire; copulatio, ET, pro diſiunctione venit intelligenda, nimirũ vt ſit beatus, qui legit, vel audit verba, (cùm non vtrumq; ſed alterũ duntaxat ſit neceſſarium) & ſeruat ea? Sic, cùm edere panem, & bibere calicẽ ſub ſpecie panis & vini ad eandem omnino rem pertineant, meritò D. Paulus copulationem à ſe præmiſſam, poſtea per diſiunctionem expoſuit. Qui loquendi modus neq; Labeoni, neque Paulo Iuriſconſulto fuit ignotus, ſicuti Claudius de *Sainctes*, vir doctrina & religione clariſſimus, ſapienter annotauit, cùm cognoſcant coniunctionem nonnunquam pro diſiunctione poni, & coniuncta pro diſiunctis reperiri; maximè quando alterutrum ad id, quod

Apocal. 1.

ſequitur, ſufficiens habetur. Eo enim modo, quo quis manducando ſolum panem, vel calicem ſolum bibendo indignè, corporis & ſanguinis Domini reus efficitur: ſic qui manducat panem ſolum, vel bibit ſolum calicem, mortem Domini annunciare iubetur. Hanc ipſam interpretationem confirmant alia, quæ præcedunt & ſequuntur eiuſdem Apoſtoli verba, quibus frequenter vel de manducando tantùm, vel de ſolo corpore, vel etiam diſiunctiuè, de corpore, vel ſanguine loquitur. Ait enim: *Iam non eſt Dominicam cœnam manducare.* Item: *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè.* Item: *Fratres, cùm conuenitis ad manducandum.* Item: *Non diiudicans corpus Domini, &c.* Cur igitur ex his locis Aduerſarij non probant vnius ſpeciei communionem, cùm toties à D. Paulo ſeparatim expreſſa legantur? Nec eſt, quòd in his ſynechdoche fingatur (de qua agetur in ſequentibus) nimirum quaſi pars pro toto ponatur, cùm nos è diuerſo, quando ſpecies vtraque nominatur, ſynechdochen quoq; prętexere poſſimus, qua totum pro parte ſit poſitum. Atque ſic, quòd vrgent eſſe datum præceptum annunciandi mortem Domini, quoties calicem bibimus; non illud probat, vllum bibendi præceptum eſſe, cùm aliàs poſſimus ac debeamus annũciare mortem Domini, quando etiam non bibimus. Quod ipſum tamen, quoties bibimus, nos tunc facere magis neceſſarium eſt. Nam antequam bibamus, verbis Chriſti conficimus, & offerimus corpus & ſanguinem Domini; vt ſic etiam quadam repræſentatione Domini mortem annunciemus. Hoc ipſum Eccleſia Dei, dum offert iuge ſacrificium, ſemper exequitur, & deinceps perpetuò faciet, donec ad iudicãdum Dominus veniat. Cæterùm, ſi quis probè conſideret ipſa verba; certè non

Vnius ſpeciei cõmunio ſæpius à D. Paulo expreſſa probatur.

Synechdoche quomodo in Sacramento locũ nõ habeat.

Synechdoche tam vnius, quàm vtriuſq; ſpeciei cõmunionis ſeruit.

Mors Domini ſæpe cõmunicãda, licet non bibamus ex calice.

Sacrificio Miſſæ repræſentatur mors Domini.

illa præcipientis, ſed indicantis & aſſerentis verba ſunt: quæ nec imperantis, ſed indicantis coniungentiſue modum agnoſcunt. Et quamuis in textu Latino futuri, in Græco tamen præſentis temporis verba leguntur. Sic enim ait: ὁσάκις γὰρ ἂν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο πίνητε, τὸν θάνατον τοῦ κυρίου καταγγέλλετε ἄχρις οὗ ἂν ἔλθῃ. Atq; ſic Apoſtolus non ſolùm tunc præſentes, ſed etiam deinceps futuros fideles huius myſterij voluit admonitos, vt, cùm mãducant vel bibunt, cruciatus Chriſti pia recordatione recolant. Hoc enim inſinuans ait: *Mortem Domini annunciabitis, donec,* videlicet ad cõſummationem ſeculi, *veniat.*

ASSERTIO VII.

His Apoſtoli verbis; Et ſic de pane illo edat & de calice bibat, *nullum de ſumendo calice præceptum inſinuatur.* 1. Cor. 11.

SEd & hoc loco noui iidem Aduerſarij ſuis veteribus Magiſtris egregiè ſuam operã probari volunt, ne degeneres apud poſteritatem videri vllo modo poſſint. In quo illud planè abſurdũ eſt, quod etſi manifeſtè fateantúr, Paulum hoc loco cõmunionem ſub vtraq; ſpecie nõ præcipere (vtpote qui Corinthios antequã Sacramentũ percipiant, vt ſe diligenter probent, hortatur) tamen ipſi à cauillo non abſtinent, quò imperitorũ animos perturbent, & doctis ſtomachũ moueant. Quid enĩ aliud docet hac ſententia D. Paulus, quàm quod ipſum docuiſſe p̃cedente aſſertione dictũ eſt; nempe quemadmodũ ipſimet Aduerſarij non obſcurè inſinuant, vt Corinthij decẽtius, & maiori pietate & reuerentia diuinũ Sacramẽtum ſuſcipiant, ac proinde nõ lautis obſoniis grauati, nõ multo vino obruti, ſed conſcientia expiati, p̃bent ſe prius, quàm

ad tam

ad tam ſalutarem menſam accedant? Hinc eſt, quod vt ſe probēt, ſeq; diligenter examinent, imperādi more, quod & Sacramenti maieſtas, & vniuſcuiuſq; ſalus poſtulabat, Corinthiis accuratè & grauiter pcipit. Neq; verò, vt ſub vna ſpecie, vel ſub vtraq;, iidem corpus & ſanguinē Chriſti ſumant, aliquo mādato decernit; ſed panem & calicē oratione continua repetit, vt ſiue ſub vna, ſiue ſub vtraq; ſpecie ſumpturi ſint, conſcientiæ expiationē ſemper adhibendā eſſe intelligant, quæ etſi ante Sacramentū vtilis & neceſſaria eſt; tn̄ in aliis actionibus, atq; adeò in omni vita minimè eſt negligenda. Atq; ideò nō ſatis peritè hoc in loco noui Aduerſarij cōmentantur, ſemp Sacramentum ſuſcipiendū eſſe, quotieſcunq; ſe probè quiſquam examinauerit, atq; pbauerit. Quaſi verò ita ſtolidam & planè ſordidam vitam agamus reliquo tempore, vt nunquam mentem à prauis cupiditatibus, nunquam corpus ab illecebris, nunquam ipſam cōſcientiam à peccatis expiemus; niſi quando ſacram menſam accedere nobiſcum decernimus. Fateor quidem neceſſum eſſe, vt probatio illa conſcientiæ præmittatur, quoties ſumendum eſt Sacramentū: At nō è diuerſo ſequatur, oportet; vt quoties aliquis ſeipſum probat (cùm illud, Dialecticè loquendo, latiùs pateat) toties percipere Sacramentum obligetur. Sed quî fieri poteſt, vt eiuſmodi inter ſe conuertantur & reciprocentur? Quoties corporibus noſtris alimēta præbemus adhibenda eſt gratiarū actio; Ergo quoties Deo gratias agimus, toties neceſsū eſt nos cibo potuq; fouere corpora? Quòd aūt illa probatio (quam examen conſcientiæ vocamus) frequenter etiam, quando non cōmunicant, apud pios fideles ſuum locū & vſum habeat, admonemur exemplo nō modò illius Prophetæ, cuius anima fuit in manibus eius ſemper, ſed aliorū quoq; ſanctorum Patrum;

Conſciētia expiatio an ſe communionem neceſſaria.

Probare ſe homo poteſt, ac debet, licet nō cōmunicet.

Probatio ſeu examen conſcientiæ ſemper fieri debet.

Pſal. 118.

Examinis conſcientiæ fructus multiplex.

Patrum;qui ſeipſos probant, nec ſolùm,quando Sacramentum percipere cogitant,ſed crebrius,imò quotidie, quin aliquoties in die ſeipſos probant, quando de geſtis & actionibus ſuis, ſiue bonis, ſiue malis rationem à conſcientia ſua requirunt,quando commiſſos errores agnoſcunt,& concepta pœnitudine deteſtantur,quando meliora proponunt,& ſua corda ſemper noua Dei gratia ſtabilire nituntur. Vnde liquidò cõſtat,Aduerſarios hęc Apoſtoli verba malè interpretari. Non enim præceptũ nobis ſemper obtruditur,quoties imperatiui modi verbum occurrit. Nouerint igitur ipſi, frequenter in ſacris Scripturis, tales loquẽdi modos inueniri,qui tamen nec vmbram quidem alicuius præcepti præ ſe ferunt. Nam in oratione Dominica, quot obſecro ſunt imperatiui modi,vtpote:*Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie:* Matth. 6.
Dimitte nobis debita noſtra,&c. Libera nos à malo,&c. Quorum nullus vel aliquam præcepti vim habet. His modis Luc. 11.

Imperatiui modi verba non ſemper habent vim præcepti.

paſſim abundat Scriptura,ſcilicet;*Miſerere mei Deus: Cor* Pſal.50.
mundum crea in me Deus: Redde mihi lætitiam ſalutaris tui,& Pſal.48.
ſpiritu principali confirma me: Conuerte nos Deus ſalutaris noſter,& auerte iram tuam à nobis: Auerte faciem tuam à pec- Luc.18.
catis meis:Deus, eſto propitius mihi peccatori. Non igitur imperandi modus ſemper præceptum, ſed aliquando petitionem,vt apparet locis ſuprà citatis, nonnunquam etiam exhortationem ſeu admonitionẽ ſignificat, vt cùm ait Dominus:*Cauete autem ab hominibus.*Item:*Nolite cogi-* Matth. 10.
tare quomodo aut quid loquamini, &c. Vbi ſi præceptum eſ- Matth. 19.
ſet,grauiter peccarent omnes, qui cogitant,quomodo aut quid loquendum ſit. Item:*Vade, vende omnia, quæ habes, da pauperibus.* Frequenter etiam permiſſionem inſinuant,vt hoc loco: *Si perſecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam, &c.* Item: *Dormite iam & requieſcite.* Item:

Soluite,

Soluite templum hoc, &c. Et iterum: *Quod facis fac citiùs.* Sic ait Dominus ſpiritui malo, vt deciperet Achab: *Egredere, & fac ita.* Vbi nullum præceptum, ſed mera permiſſio ſignificatur. Ad eundem modum, quod ſpectat ad preſens inſtitutum, non precipit Apoſtolus Corinthiis, vt comedant & bibant neceſſariò, ſed duntaxat docet & monet, quomodo dignè poſſint communicare. Atq; hic Apoſtoli ſenſus euidenter tam ex præcedentibus, quàm ex ſequentibus conuincitur, cùm vtrobiq; grauiter Corinthios coarguit, quòd indignè communicarent. Similibus exemplis & loquendi modis abundat paſſim tam
Exod. 12. veteris, quàm noui Teſtamenti Scriptura ſacra: *Seruus emptitius,* ait Dominus, *circumcidetur, & ſic comedet phaſe.* Non præcipit vt comedat phaſe; ſed ſi velit edere, vt prius circumcidatur. Item: *Peregrinus circumcidetur, &*
Leuit. 16. *tunc celebrabit.* Item: *Lauabit veſtimenta ſua & corpus aqua, & ſic ingredietur in caſtra.* Quæ quidem Scripturæ ſacræ loca nullum præceptum, ſed ſolam habent permiſsionem, ac docent, quomodo poſſint ac debeant iſta decenter ac legitimè fieri.

ASSERTIO VIII.

1. Cor. 12. *His Apoſtoli verbis;* Omnes in vno ſpiritu potati ſumus, *calicem omnibus ad ſalutem neceſſarium probari non poteſt.*

HÆc Apoſtoli verba, ne leuiſſimam quidem Sacramentalis calicis ſumptionem præ ſe ferunt, nec quicquam in iis habent Aduerſarij, quod vrgere poſſint, nisi fortè verbum iſtud: *Potati ſumus.* Sed nec vllum quidem in eo præſidium inueniunt; Quandoquidem

Potati ſpiritu vno, quomodo omnes ſumus.

Scriptura ſacra frequenter hoc loquendi modo (nullam intelligendo potationem Sacramentalem) vtitur: Apocal.14.
Babylon vino fornicationis ſuæ potauit omnes gentes. Et rurſus: Eccl. 15.
Aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum. Et iterum: *Qui* Ioan.4.
autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, &c. Ad quem modum Apoſtolus agit de myſtica potatione, quando nimirum, cùm tanquam recentes plantulæ Chriſto per Baptiſmum inſiti ſimus, eiuſdem ſpiritu potamur, vel potius rigamur, vt verbum Græcum ἐποτίσθημεν ſonat, & Chryſoſtomus, Theophylactus, & Oecumenius ibidem teſtantur; in qua ſignificatione idem Apoſtolus hac ipſa voce ſuperius, & aliquoties vſus fuerat, quando diceret Corinthiis: *Apollo rigauit, &c. Et neque qui rigat, &c.* Item: *Qui plantat & qui rigat vnum ſunt.* Sumitur enim, ſicut illi rectè probant, à diuerſis herbis in eodem horto plantatis, elegans metaphora vel ſimilitudo. Nam ſicut illæ, quamuis diuerſæ ſint, vna tamen aqua rigãtur, vt radices agant, confirmentur & creſcant; ſic vos in Chriſto complantati, per ſacrum Baptiſma, licet plures ac diuerſiſſimi, vno tamen Chriſti ſpiritu potamur, ſiue rigamur, quo maiora ſpiritus ac gratiæ paulatim incrementa ſumamus. Hæc ergo myſtica ſpiritus rigatio ad Sacramentalem calicis hauſtum non pertinet, ſicut ex eodem Apoſtoli textu manifeſtè intelligitur. Cùm enim dixiſſet: *Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi,* mox addit: *Et omnes in vno ſpiritu potati ſumus.* Atq; vt intelligatur non de Sacramentali calicis, ſed de myſtico ſpiritus potu ſermonẽ fieri, quo nimirum nouellæ plantulę, per ſacrum Baptiſma Chriſto recèns inſitæ, potãtur, ſeu rigantur, vt creſcant: Proſequitur, Apoſtolus eundem myſticum ſenſum explicans, quomodo per illũ ſpiritus potum,

Hom. 30. in 1.Cor. Enarrat. in 1.Corinth.

1.Cor. 3.

Potatio ſpiritualis exemplo herbarum declaratur.

Chryſoſt. Theophylact. Occum.

potum, licet diuerſa membra ſimus, in vnum tamen corpus coaleſcamus, & eodẽ Chriſti ſpiritu viuamus. Quod
Rom. 12. ſi nihilominus Aduerſarij cõtendant, Apoſtolum de calicis hauſtu locutum eſſe, quæritur ab eis; Qui ſint iſti omnes vno ſpiritu potati? Infantéſne volunt eo numero comprehenſos eſſe an excluſos? Si comprehenſos volũt, probent, neceſſum eſt, eos ex calice tũc bibiſſe: ſin excluſos putant, quomodo ſumus vno ſpiritu omnes potati? Quod ſi contendunt ſolos adultos intelligẽdos eſſe, rurſus quæritur: Vnde hoc illi probent, cùm hæc eorũ opinio nec Scripturę ſacrę, nec Eccleſię Catholicæ, nec Orthodoxis Patribus, nec rationi ſit conſentanea, & manifeſtè repugnat Apoſtolo Paulo, qui verbis pręcedẽtibus: *Omnes in vnum corpus Chriſti baptizati ſumus*, eandem vocem, *Omnes*, etiam ad infantes extendit, vt hinc certò cõſtaret poſteriori parte: *Omnes vno ſpiritu potati ſumus*, etiã infantes eſſe comprehenſos. Et quamuis permitteremus Aduerſariis, Apoſtolum eſſe locutum de Sacramẽtali calicis hauſtu, quo panis etiam per ſynechdochen intelligatur, vt quidam eorum philoſophari ſolẽt: Non tamen hinc illi probarent, ex Chriſti præcepto primos fideles calicis hauſtum ſumpſiſſe, vel etiam eorũ poſteros ad eundem diuino præcepto teneri. Nam illi multa fecerunt, quæ nullam præcepti vim habent, nec poſteros ad imitandum obligant, ſicut de Corinthiis paulò pòſt declarabitur. Vnde nec ſub ratione præcepti à Paulo referri manifeſtè videmus.

Ephes. 4.

1. Cor. 12.

Aduerſarij conſtringuntur.

ASSERTIO IX.

Exemplo Chriſti minimè Chriſtiani omnes ad vtriuſq; ſpeciei communionem obligantur.

Exemplum Chriſti non obligat fideles ad calicem.

ARgumentis hoc in loco ſe deſtitutos eſſe declarant Aduerſarij, quando circa calicis vſum exemplum Chriſti nobis obiiciunt: quaſi verò, quæcunque Chriſtus cum Apoſtolis egit, ea quilibet Chriſtianus imitari mox exemplo Chriſti ſit obligatus. Quamuis enim, vt rectè dixit quidam: *Omnis Chriſti actio noſtra ſit inſtructio*, & ipſemet Chriſtus exemplum ſuum nobis propoſuit, dum ait: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis*: non tamen exemplum Chriſti vim habet obligandi, niſi tantùm in iis, ad quæ, vel per Eccleſiam ſuam (qualia ſunt Sacramentalia, aut Adiaphora, quæ nonnunquam præcipiuntur, aut prohibentur) vel per ſemetipſum immediatè nos ipſe voluit obligare, vt ſunt articuli fidei, eſſentialia, vt vocant, Sacramentorum, præcepta moralia, deſiderium ſalutis & ſtudium virtutum, in quibus nos ſui requirit imitatores, dum ait: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*. Et iterum: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Item: *Tollite iugum meum ſuper vos.* Et alibi: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me.* Deniq; *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* Quo ſenſu quoq; dixit Apoſtolus: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Veruntamen præter hæc ſunt alia tam ſpiritualia, quàm & media quædam opera, quæ Adiaphora dicũtur, & à Domino facta ſunt, ſed nos ad imitandum non obligant. Creauit ille namq; cœlum & terram, patrauit frequẽter magna & ſtupẽda miracula, quæ nobis non incumbunt imitanda. Et, quæ præſentis inſtituti ſunt, vltimã cœnam ipſe cum ſolis Apoſtolis tranſegit in magno cœnaculo, idq; die Iouis veſperi, poſt typicã agni Paſchalis cœnam, & in pane azymo, præmiſſa pedũ lotio-

Exemplum Chriſti in quibus & quando obliget.

Exemplum Chriſti in quibus nos nõ obliget.

Greg. in hom.

Ioan. 13.

Matth. 11.

5.

11. 16.

Ioan. 13.

1. Pet. 2.

Matth. 26.
Marc. 14.
Luc 22.
Ioan. 13.

lotione; quæ quidem omnia, & pleraque ſimilia, cùm nec Chriſtus imitanda nobis præceperit, nec Eccleſia Dei iudicauerit retinenda, nec Aduerſarij retineant, ſed nec obſeruatu neceſſaria rectè putent; quid ergo mirum, ſi circa ſimiles ritus & cærimonias, (qualis eſt ritus ſub vtraque ſpecie communicandi) licet Chriſtus etiam laicis porrexiſſet; nihil illius tamen exemplo nos obligari credamus? Cui quidem Orthodoxæ ac ſalutari doctrinæ, ſi non acquieſcent Aduerſarij, reddant ergo rationem, cur ipſimet non hæc omnia, tanquam Chriſti præcepta, ſeruent, quæ Chriſtus in vltima cœna circa pedum lotionem, tempus, locum, & alia ſimilia geſſit? Conſultius proinde fecerint, ſi venerandæ Dominicæ cœnæ myſteria ad Eccleſiæ ritum ſalua tenuerint: & rudi plebeculæ calicis præceptum, quod nullum certè vnquam à Chriſto datum fuit, perſuadere deſinant ac Chriſti Domini nouum ac ſalutiferum Teſtamentum inuiolatum ſeruent, quòd non calicis potatione, ſed acerbiſſima Chriſti morte & amara ſanguinis eius effuſione, perpetuò confirmatum eſſe conſtat.

Hebr. 9.

ASSERTIO X.

Nec Corinthiorum, nec Apoſtolorum, aut Apoſtolicorum fidelium exemplo datū eſt præceptum, quo vel primi Chriſtiani, vel eorum poſteri ſub vtraque ſpecie communicare ſint, vel vnquam fuerint obligati.

NOn ſatis ſuæ cauſſæ fidere videtur Aduerſarij, cùm ad imbecillia, vt præcedenti aſſertione argumen-

Exemplum Corinthiorũ non obligat nos ad calicem.

Corinthij ab Apoſtolo grauiter reprehenſi.

Exemplis abutuntur Aduerſarij.

ta recurrunt. Obiiciunt namque Corinthiorum exemplum, quaſi verò nos tanquam præcepta debeant obligare, quæcunque Corinthij fecerunt, qui multis vitiis ac flagitiis obnoxij frequenter ab Apoſtolo tanquam ebrioſi, fornicarij ac ſchiſmatici grauiter ac meritò reprehenſi fuerunt. Quòd ſi tantum exemplis Aduerſarij tribuunt, cur non audiunt, nec ſuſcipiunt, quando nos ipſis viciſſim ipſius Chriſti exemplum de ieiunio, caſtitate, paupertate, patientia, & mundi contemptu, aut etiam exemplum primorum fidelium, qui habebant omnia cõmunia, proponimus? Nec propterea Corinthiorum exemplo nos vrgere meritò poſſunt, quòd illis Apoſtolus vtriuſque ſpeciei communionem tanquã ſalutarem conceſſit, cùm nec id myſterio vacet, nec abſque grauiſſima ratione factum eſſe conſtet. Cùm enim ſciret Apoſtolus duos eſſe ritus ſub vna vel ſub vtraq; ſpecie communicandi, quorum neuter à Chriſto præceptus, ſed vterq; licitus, ac ſalutaris eſſet, videretque conuerſis Iudæis quidem vnam, gentibus verò ſpeciem vtramque fore gratiorem; in rebus licitis & adiaphoris Apoſtolus vtriſque ſeſe libenter accommodauit. Vt nimirum his vtraque, illis altera tantùm ſpecies porrigeretur, ſicut alia multa (non tamen illicita) initiò naſcentis Eccleſiæ diſſimulabant Apoſtoli, quin & permittebant, adeoque faciebant ipſimet, vt omnibus omnia fierent, & ſic plures Chriſto lucrifacerent. Et quoniam apud gentiles mos erat, vt omnes guſtarent de vtraque parte ſacrificiorum, quæ dæmoniis immolabantur, non item apud Iudæos, qui tempore legis de altera tantùm ſacrificij parte ſumebant, nunquam de oblato liquore bibentes: Hanc ob rem Apoſtoli Iudæis alteram, Gentibus vtramque tanquam gratiorem ſpeciẽm facilè conceſſerunt, ne viderencomm

Corinthiis cur vtraque ſpecies conceſſa.

Act. 2.

Chriſtus nec ſub vna, nec ſub vtraque cõmunicandum præcepit.

Apoſtoli in licitis & adiaphoris ſe conuerſis accõmodârunt.

1. Cor. 9.

1. Cor. 10.

Vna ſpecies cur Iudæis gratior fuerit.

dèren-

derentur minus participare de ſacrificio Chriſti, quàm antea participabāt de ſacrificio idolorum. Hinc etiam accidit, vt Apoſtolus Paulus vnius tantùm ſpeciei meminerit, quando de Chriſtianis omnibus in vniuerſum
1. Cor. 10. loquitur. *Quia vnus panis & vnum corpus, &c. Et quia omnes de eodem pane participamus.* Ex quo facilè intelligitur exemplo Corinthiorum præceptum ſtatui non poſſe, quaſi Chriſtiani omnes ad vtramque ſpeciem obligentur, cùm & ex Iudæis Chriſtiani ſub vna tantùm ſpecie Sacramento vterentur. Sed hæc ad Aduerſariorum argumenta, ex Scripturis petita, reſpondiſſe ſufficiat.

CAPVT SECVNDVM,

IN SEDECIM ASSERTIONES EST DISTRIBVTVM, QVIBVS PAtrum quorundam ſententiæ, ab Aduerſariis ad probandam ſub vtraque ſpecie communionem adductæ, explicantur; ſimulque declaratur, eaſdem Patrum ſententias, nullo modo communionem ſub vtraque ſpecie comprobare: Nullus enim eſt ex Orthodoxis Patribus, qui præceptum diuinum communicandi ſub vtraque ſpecie agnouerit.

ASSERTIO PRIMA.

Nullus vnquã Orthodoxus Pater, aut Eccleſiæ ſcriptor, docuit vel credidit, ritum ſub vtraque ſpecie cõmunicandi à Chriſto præceptum,

ceptum, aut vllo modo fidelibus ad ſalutem neceſſarium, & vnius ſpeciei communionem improbandam eſſe.

Vna ſpecies ab omnibus Eccleſiæ Patribus eſt approbata.

ASSERTIONEM hanc longè veriſſimam eſſe, D. Auguſtinus tam ſuo, quàm aliorũ omnium Orthodoxorum Patrum nomine luculenter his verbis comprobat: *Non præcepit ſaluator*, inquit, *quo deinceps ordine ſumeretur Sacramentum; vt Apoſtolis, per quos diſpoſiturus erat Eccleſias, ſeruaret hunc locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, vt poſt cibos alios ſemper acciperetur; credo quòd eum morem nemo variâſſet, &c.* Sic in præſenti meritò nos dicimus: Quòd ſi Chriſtus aliquo præcepto fideles ſuos, ad vtriuſque ſpeciei communionem obligâſſet; credimus quòd eiuſmodi præceptum nemo vnquam variâſſet, ſed potius omnes omnibus ſeculis, iuxta Chriſti mandatum, ſub vtraque ſpecie Euchariſtiam ſumpſiſſent; nec extitiſſet quiſquam ita temerarius, aut arrogans, aut tam propriæ, quàm alienæ ſalutis immemor, qui, tanquã ſacrilegus, Chriſti Sacramentum mutilando, vnam tantùm ſpeciem ſumpſiſſet, aut ab aliis ſumi permiſiſſet. At conſtat Eccleſiæ Patres, viros, inquam, tanta ſanctimonia, quanta rerum ſacrarum eruditione clariſſimos (quos etiam Aduerſarij aliquando recipiunt, adeoque Diuos ac Sanctos appellant) nullam vnquam circa ſpeciem vtramque præceptum, vel etiam neceſſitatem agnouiſſe, ſed è diuerſo, communionem vnius ſpeciei tanquam piam, ſanctam, & ex omni parte ſufficientem, & integram, frequenter ſumpſiſſe, & aliis porrexiſſe, ſicut in ſequẽtibus apparebit. Quod illi profectò nunquam feciſſent, ſi vel minimum alicuius præcepti.

Epiſt. 118. ad Ianua.

Patres Eccleſiæ ab Aduerſariis Diui & Sancti vocantur.

cepti ſignum potuiſſent deprehendere. Verùm etſi minimè nouum ſit, tamen & admirationem & ſtuporem in animis noſtris illud meritò commouet, quòd hac in re tam ſolerter & accuratè nobis priſcos & Orthodoxos Patres obiiciunt, quos tamen pro ſua arrogantia, dum erroribus ſuis aduerſantur, ſuperbiſſimè reiiciunt, quemadmodum Lutherus ſcribit: [a] *Iam quanti errores in omnium Patrum ſcriptis inuenti ſunt? quoties ſibi ipſis pugnant? quoties inuicem diſſentiunt?* Et alibi: [b] *Diuina Maieſtas mecum facit, vt nihil curem, ſi mille Auguſtini, mille Cypriani, mille Eccleſiæ Henricianæ contra me ſtarent, Deus errare & fallere non poteſt.* Similiter aduerſus Cochlæum: *Quod ſi qui ſunt ex Patribus, qui ſenſerunt Sacramentum ſua virtute iuſtificare, eſto etiam Auguſtinus, vt Cochlæus oſtendit, nihil moror hominum dicta, ſibi ipſis pugnantium, & pleraq; humano ſenſu extra Scripturas docentium.* Sic Philippus Melanchthon: *Statim,* inquit, *initiò Eccleſiæ Scriptores veteres obſcurauerunt doctrinam de iuſtitia fidei, & auxerunt cærimonias, & finxerunt eſſe peculiares cultus; fuerunt duriores, quàm oportuit in præcipiendo cœlibatu, miſcuerunt adhuc aliquam verecundam inuocationem mortuorum.* Sic alibi: *Multum ſtipularum (quæ contagia opinionum Apoſtolus nominant) Auguſtinus & alij Sancti ſuper fundamentum exſtruxerunt circa cærimonias.* Caluinus verò pro ſuo illo ingenio vehementer in ſanctos Patres debacchatus eſt: *Sed quia veteres,* inquit, *quoque illos video, aliò hanc memoriam detorſiſſe, quàm inſtitutioni Domini conueniebat.* Et paulò pòſt: *Excuſari tamen non poſſe arbitror, quin aliquid in actionis modo peccauerunt: Imitati ſunt enim potius Iudaicum ſacrificandi morem, quàm aut ordinauerat Chriſtus, aut Euangelij ratio ferebat; Non contenti enim ſimplici & germana Chriſti inſtitutione, ad legis vmbram nimis deflexerunt.* Eodem mo-

Aduerſarÿ Patres Eccleſiæ aliquando oẽs & omnino reiiciunt.

Lutheri iudicium de Patribus Eccleſiæ.

Melanchthonis iudicium de Patribus Eccleſiæ.

Caluini iudicium de Patribus Eccleſiæ.

a In aſſert. art. per Bullam Leo. 10. damn.
b Contra Reg. Ang.

Inſt. lib. 4. cap. 18. nu. 11.

do alibi: [a] *Parum me mouent, quæ in veterum ſcriptis de ſatisfactione paſſim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos (dicam ſimpliciter, omnes ferè, quorum libri exſtant) aut hac in parte lapſos eſſe, aut nimis aſperè & durè locutos.* Sic capite ſequenti: [b] *Veteres illos mandato Dei ac legitimo exemplo destitutos fuiſſe abreptos denique in errorem, dum nimium publico mori & vulgi imperitiæ dederunt.* Sed & Magdeburgenſes, vt illorum nomine cæteros omnes comprehendamus, dum de doctrinæ inclinatione agunt, vetuſtiſſimorum Patrum doctrinam, ad errorem, ad næuos, ad ſtipulas referunt, atque in ipſis myſterium iniquitatis operatum fuiſſe, inuerecundè ſcribunt. Quòd ſi ergo Patres peccârunt, ſi abrepti ſunt in errores, ſi mandatis Dei deſtituti, ſi obſcurârunt doctrinam veritatis, ſi ſtipulos tantùm opinionum attulerunt; quid eſt, quòd Aduerſarij ad ſua præſidia contra Eccleſiam Dei, Patres frequenter aduocant? Intelligo quid velint, vt nimirum, poſtquam fundamentum Eccleſiæ Chriſti, & Apoſtolorum doctrinam euulſerint (quod efficere nunquam poterunt) & Eccleſiæ columnas, videlicet ſanctiſſimos Patres concuſſerint, nouos ſibi lateres ad confuſam turrim exædificandam primùm coquant: Deinde ſe tandem claros ad poſteritatem, tanquam maiorum Patrum correctores, tranſmittant. Verùm videamus, quantum Patres illi, quos ſibi iam aſciſcunt, errori ſuo patrocinentur.

[a] Inſt. lib. 3. cap. 4. nu. 38.

[b] lib. 3. cap. 5. num. 10.

Cent. 3. c. 4

Magdeburgenſium iudicium de Patribus Eccleſiæ.

ASSERTIO II.

Diuus Ignatius nullam ſub vtraque ſpecie communicandi neceſſitatem agnouit.

Primum

Epiſt. ad Philadel. PRimum in acie conſtituunt D. Ignatium, quem ſic loquentem introducunt: *Vnus panis pro omnibus confractus, & vnus totius Eccleſiæ calix.* Ergo, vt ipſi concludunt, omnes ad vtramq; ſpeciem obligantur. Quid verò his verbis Ignãtij cõcluditur, niſi idipſum, quod Chriſtus docuit, quodque Eccleſia conſeruauit & amplexa eſt? Vnus nimirum panis omnium cõfractus, vnus Chriſtus, vna Chriſti caro, vnum Chriſti corpus ſemel oblatũ eſt ad multorũ exhaurienda peccata. Atq; ſic vnũ eſt poculum, vnus calix, vnus ſanguis, per quẽ Chriſtus ſemel introiuit in ſancta; vnum ſine dubio Chriſti corpus, quod, etſi ſpecies in Sacramento panis franguntur, tamen non diuiditur, nec amplius diſſoluitur. Ita prorſus vnus eſt calix vniuerſis diſtributus, cuius oẽs participes efficiuntur, quicunq; probati etiã corpus Chriſti ſub ſpecie panis manducant. Sed vnus eſt calix totius Eccleſiæ, vt antiqua verſio habet, quem in Sacramento, ſiue ſub vna, ſiue ſub vtraque ſpecie ſumimus. Conſtat autem eo loco, primarium D. Ignatij ſcopum fuiſſe, verbis iſtis declarare, non quòd omnes fideles ex vno calice biberent, (quod nec fieri potuit) ſed quòd calices, qui paſſim per Eccleſiam totam, plures ac diuerſi conſecrantur, reuera non plures, aut diuerſi, ſed vnus idemq; ſit calix, ratione videlicet ſanguinis Dominici, qui non diuerſus, ſed vnus & idem eſt ſemper, ſicut Chriſti quoque corpus in cœlis modò glorioſum, & in terris per vniuerſam Eccleſiã, licet in pluribus locis & hoſtiis conſecratum habeatur, prorſus tamen vnum & idem eſt corpus. Hunc D. Ignatij genuinum eſſe ſenſum, euidenter demonſtrant, tam præcedentia, quàm eiuſdẽ loci ſubſequentia verba, quibus ille Philadelphienſibus fidei, prædicationis, gratiarũ actionis, carnis & ſanguinis Chriſti, panis & calicis,

D. Ignatij verba de vtraque ſpecie declarantur.

Hebr. 9.

1. Cor. 10.

& miniſtrorum Eccleſiæ Dei Patris, Dei Filij, Dei Spiritus ſancti, denique Baptiſmi & Eccleſiæ vnitatem diligentiſſimè cõmendatam & inculcatam voluit. Ad eundem modum Aduerſarij quibuſdam aliis D. Ignatij verbis abutuntur, quæ ſic habent: *Panem Dei volo, panem cæleſtem, panem vitæ, qui eſt caro Ieſu Chriſti filij Dei viui, &c. & potum volo ſanguinem eius, &c.* Proculdubio non alio ſenſu D. Ignatius hæc verba, quàm ipſe Chriſtus hæc eadem Ioan. 6. locutus eſt. Conſtat, quando panis ille cœleſtis communicantibus datur, etiam in eodem pane Chriſti ſanguinem potum dari; quandoquidem ſub ſpecie panis, tàm caro Chriſti, quàm & ſanguis eius ſumitur. Neque enim Ignatius, ſicut nec Chriſtus, vllam de ſpeciebus mentionem fecit, ac proinde non ad certum ſpecierum numerum, ſed ad carnem & ſanguinem ſuum, ſub vna, vel ſub vtraque ſpecie ſumendum, nos Chriſtus obligauit. Epiſt. ad Rom.

ASSERTIO III.

Iuſtinus Martyr nullum agnouit Chriſti præceptum, quo ſub vtraque ſpecie communicare fideles obligentur, nec quicquam vnquam ſcripſit, quod vnius ſpeciei communioni repugnet.

Iuſtini Martyris verba de vtraq; ſpecie declarantur.

ETſi Aduerſariorum pleriq; Iuſtinum, quẽ vti obſoletũ non magni faciũt, pro ſua cauſſa patronũ citẽt, tamen eorũ aliqui, cùm ipſum bona fide adducere videntur, nihil concludunt; aliqui verò cùm cæſim & truncatim producunt, auctorẽ ipſum in ſua capita cõuertunt. In Apol. 2. pro Chriſtianis.

Ac

Ac proinde in Iuſtini ſententia duo ſunt animaduertenda: Alterum, quod enarret modum & vſum, quo Chriſtiani illi, cum quibus agebat, ſub vtraq; ſpecie Sacramentum ſumebant; Alterum, quod referat, Chriſtum corpus & ſanguinem ſub ſpecie panis & vini ſolis Apoſtolis tradidiſſe. In quibus illud primùm non video, quid contra nos hæc faciant; cùm libenter fateamur, ſicuti poſtmodum docebimus, aliquando Chriſtianos ſub vtraque ſpecie Sacramentum, quod & in quibuſdam prouinciis permiſſu Eccleſiæ Catholicæ factitari hoc tempore videmus, aliquando verò ſub vna tantùm ſpecie ſuſcepiſſe. Quòd autem Iuſtinus refert, eos, quibuſcum viuebat, accepiſſe Sacramentum ſub vtraque ſpecie, de induſtria & vltrò concedimus, ita tamen, vt non neget, etiam abſtemios, vel alios qui per naturam vel conſuetudinem vino non vterentur, ſub vna tantùm ſpecie panis Sacramentum accepiſſe. Hac etenim narratione Iuſtinus reddit rationem Imperatori Antonino ſacrificij Chriſtianorum, in quo peractis gratiis, populo communio dabatur ſub vtraque ſpecie, ita tamen, vt ex illo vſu, Eccleſiæ præceptum aut mandatum, nemo concludere poſſet. Cùm autem diſertis verbis vltimò pronunciet, ſolis Apoſtolis corpus & ſanguinem communicâſſe, non aſſequor, quare aliqui Aduerſarij cæſim & corruptè Iuſtinum afferre conati ſunt, niſi planè cæcutientes auctorem contra ſe decertantem excitârint. Hoc enim eſt, quod ſuperiùs docuimus, ſecūdum Clementem, Oecumenium, & hunc Iuſtinum; Apoſtolis ſolis, quos in vltima cœna ſacerdotes creauerat, Chriſtum, cùm pleriq; alij diſcipuli & fideles adeſſe poſſent, ſub vtraque ſpecie corpus & ſanguinem tradidiſſe. Ex quo illud manifeſtè ſequitur, Iuſtinum potius id,

In Apol. 2. pro Chriſtianis circa finem.

Iuſtinum Aduerſarij corruptè citant.

quod Eccleſia Catholica diuinitus inſtructa docet, quā quæ Aduerſarij imperitæ multitudini obtrudunt, profiteri voluiſſe,& ſolis Apoſtolis dixiſſe: *Bibite ex eo omnes,* Marcumq; benè concluſiſſe: *Et biberunt ex eo oēs*, vt ſic, Matth. 26. Chriſtum nullo modo Sacramentum ſub vtraq; ſpecie Marc. 14. præcepiſſe, intelligatur. Iam verò, ſi Aduerſarij auctoritate Iuſtini hac in re tantoperè nitūtur, cùm tamen partes noſtras ille tueatur; quid eſt, quòd non eundē recipiunt, quādo apertiſſimè hac in narratione de Euchariſtia, Pontificem celebrare,& offerre Deo Patri diſertis verbis explicauit? Hîc eorum laruas intelligo, quibus indoctos terrere conātur. Quid illis facilius eſt, hunc auctorē nunc probare, nunc deierare, quemadmodū Magdeburgēſes, vt de aliis probris taceam, circa hominis iuſtificationē,& liberam voluntatem, eundem errâſſe liberè, vt ſolent, aſſerunt.

Iuſtinū Aduerſarij nūc probāt, nūc improbant.

Cent. 2. c. 4.

ASSERTIO IIII.

Clementis Alexandrini quibuſdā verbis Aduerſarij malè abutuntur, dum inde conātur vtriuſq; ſpeciei communionem eſſe præceptā adſtruere. Quamuis Clementis verba ſic habeant: Bibere Ieſu ſanguinem, eſt participē eſſe incorruptionis diuinæ, &c. *perperam illi tamen hinc inferūt: Ergo tenentur omnes ex calice neceſſariò bibere.*

Lib. 2. pædag. ca. 2.

Clementis Alexandrini verba de

QVorſum hæc obſecro D. Clemētis verba adferuntur, quæ cōſtat ab eo non de Sacramentali, ſed de merè

merè ſpirituali, Chriſti ſanguine, hoc eſt, de gratia, qua nos Chriſtus viuificat ac refocillat, dicta fuiſſe? Duplicē enim ille Chriſti ſanguinem cōſtituit: Corporalem, quo redempti ſumus, & ſpiritualem, quo participes incorruptionis reddimur. Ad hunc enim ſpiritualem gratiæ diuinæ ſanguinem, prædicta D. Clemētis verba certiſſimè pertinent. Quòd ſi quis hunc effectū (incorruptionis diuinæ) corporali vel Sacramentali quoq; ſanguini volet attribuere (quod fieri poſſe nemo diffitetur) cōcedat ille quoq; neceſſum eſt, eundem effectum tam in vna panis ſpecie nihilominus, quàm in altera, vel in vtraq; reperiri, dicente Chriſto: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternū.* Vnde quod ad hunc ſpectat effectum, nihil ſubtrahitur piis fidelibus, qui prætermiſſa vini ſpecie, altera cōtenti, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum percipiūt. Veriſſimè dum manducamus, ſub quacunq; ſpecie corpus Chriſti, bibimus ſine dubio ſacratum etiam ſanguinem, quò refecti & potati in illa ſacerrima cœna, incorruptionis diuinæ, cum ſummo animorū fructu, euadimus participes. Verùm quis hoc loco nō ſupra modum admiretur Aduerſarios, præſertim Magdeburgenſes, quòd hæc Clementis verba recipiant & vrgeant, cùm alioqui Clementem tanquā nullius auctoritatis, vel pretij ſcriptorem, tam facilè reiiciant atq; contemnant? Sic enim de eo Magdeburgenſes ſcribunt: *Clementē in omnibus ſcriptis ſuis nuſquā apparet vim peccati originalis intellexiſſe. Nimium enim vbiq; tribuit humanis viribus, &c.* Et paulò pòſt ſubiungunt, eum nunquā bene definire peccatum. Sequēti quoque titulo de libero arbitrio ita ſcribunt: *Eodem modo (vt Irenæus) liberum arbitrium vbiq; aſſerit; vt appareat in eiuſmodi tenebris non tantùm fuiſſe omnes eius ſeculi Doctores,* quos etiā, aiunt, ſeipſos, eiuſmodi ſpinis & labyrinthis inuol-

bibēdo ſanguine declarantur. *Sanguis Chriſti duplex.*

Ioan. 6.

Ca. 4. Cēt. 2. p 3. tit. de peccato orig.

Magdeburgenſium de Clemente Alexandrino iudiciū.

Tit. de lib. arb ibid.

inuoluiſſe, ex quibus ſe explicare non ſemper potuerint, ſed nec quidem quid dicerent, vbique ſatis attenderint. Item in titulo de operibus: *Nuſquam*, inquiũt, *videas Clementẽ in hac parte ſibi ſatis conſtare, ſed à ſentẽtia ſua ſubinde variare, & interdum ea ponere, quibus ſibi manifeſtè contradicit; vt cùm ſalutem æternam aliàs fidei, aliàs operibus, modò vtriſq; ſimul aſcribit, &c.* Quæ tamen contraria non ſunt. Nam qui vtriſq; tribuit, & fidei tribuit & operibus. Et iterum alibi ſcribunt, Clementem periculoſas opiniones ſpargere, & fęces turbidas trahere: & in multis articulis adcò lubricum eſſe, ac ſibi frequenter contradicere, vt quid conſtanti ſententia affirmet, vix interdum agnoſcas, &c. Cùm igitur Magdeburgenſes ita de Clemente ſentiant ac ſcribant; cur prædictis illius verbis (quæ tamen ipſi non intelligunt) calicis hauſtum, tanquam omnibus neceſſarium, adſtruere nituntur? Cur illius, inquam, auctoritate ſatagunt errorem ſuum tueri, cùm nullam penitus auctoritatem tanto viro tribuendam eſſe cenſeant? Quod idcirco diſſimulandum hoc loco non fuit, vt pius Lector Aduerſariorum circa Patres Orthodoxos aſtutam calliditatem (ne dicam aliquid grauius) manifeſtè animaduertat. Quantæ verò ſint fuerintq; ſemper auctoritatis in Eccleſia Dei, Clemens Alexand. Irenæus & Iuſtinus; id, cùm ſit omnibus notiſſimum, probatione nõ eget. Interim ſanctiſſimis & clariſſimis illis Patribus gratulandum eſt, præclaram eorum laudem, Aduerſariorum calumniis non modò nihil eſſe diminutam, ſed magnum etiam incrementum ſumpſiſſe. Atq; in hac re cùm religione mirificè cauſſa noſtra triumphat.

Titul. de pœnit. ibid.

Aduerſariorum calũniis Patrũ laus magis illuſtratur.

ASSER-

ASSERTIO V.

Errant Aduerſarij in eo, quòd ex his Origenis verbis; (Chriſtianus populus is, qui in vſu habet ſanguinem bibere) *conantur hauſtum Dominici calicis omnibus fidelibus neceſſarium probare.*

ADuerſarij etſi in omnibus ſuis rebus, tum maximè, dum priſcos Patres afferunt ad ſuorum errorum cõfirmationem, ciſternas planè diſſipatas, circa quas, vt
4 Reg. 10. à Iehu fratres Ochoziæ, planè ipſi iugulantur, imprudẽter admodum effodiunt: Nam dum ingeniis ſuis vltrà quàm par eſt, tribuunt; facilè vetuſtos illos Patres eruditione & ſanctimonia clariſſimos, vel contemnunt, vel curſim cæcutiẽtes ita legunt, vt quã humiliter, diuineq; illi Patres ſacras Scripturas interpretentur, nõ intelligãt. Atq; hoc ipſum iam vſu venit, cùm Origenẽ in Numeros ſcribentẽ pro ſua opinione afferunt: qui certè cùm lõga
Num. 23. oratione vaticinium Balaam diuinantis, Iſraël deuoraturum prædam, & occiſorum ſanguinẽ bibiturum explicat, nullam planè pcepti ſub vtraq; ſpecie Sacramẽtum ſumendi mentionem facit, ſed duplicis potius ſanguinis, quẽ populus Chriſtianus in vſu habet bibere. Aut enim Chriſti ſanguinem bibit in Sacramẽto Euchariſtiæ iuxta illud: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis me⁹ verè eſt potus. Aut bibit Chriſti & Apoſtolorum ſanguinẽ, hoc eſt ſalutarem Euangelij doctrinam, quę de vera vitę, ſcilicet Chriſto, ac veris palmitibus, nimirum Apoſtolis emanat.
Ioan. 15. Quam ſanè doctrinã, vti ſanguinem vuæ meraciſſimum, bibere populus Chriſtianus ſolet: *Bibere autẽ,* inquit Origenes,

Origenis verba de ſanguine Chriſti declarantur.

Sanguis Chriſti aliquando doctrinam Apoſtolorum ſignificat.

genes, *dicimur ſanguinem Chriſti, non ſolùm Sacramentorum ritu, ſed & cùm ſermones eius recipimus, in quibus vita conſiſtit; ſed & illi nihilominus vulnerati ſunt, qui nobis verbũ eius prædicàrunt, & ipſorum enim, id eſt, Apoſtolorum eius verba, cùm legimus, & vitam ex eis conſequimur, vulneratorum ſanguinem bibimus.* Quibus ex verbis, ne violenter quidem, minimam præcepti ſub vtraq; ſpecie communicandi ſignificationem extorſeris. Quis enim eſt, qui hanc totam Origenis libenter non amplectatur & recipiat ſententiã, ſi non ignoret Chriſtum dixiſſe: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Atq; ideò populus Chriſtianus, & ſub vna ſpecie, & ſub vtraq; ſanguinẽ vuæ in torculari crucis expreſſæ, bibit magna cũ voluptate meraciſſimũ & puriſſimum. Verùm enimuerò, quid obſecto eſt, quod tanta calliditate populũ ipſum Chriſtianum Aduerſarij ſolicitant & cõturbant, cùm ipſum Origenem, dum nobis armatum opponunt, nudum & inermẽ turpiter abiiciunt & contemnunt? Quid enim aliud eſt, quàm ſacroſanctam religionem ludificari & euellere? Hinc Magdeburgẽſes ideò exploſum volunt Origenẽ; quòd Hom. in Ezechielem Angelos inuocandos docuerit; quòd lib. in Iob ſcripſerit, eundem per opera tantùm eſſe iuſtificatũ, nullam fidei mentionẽ faciendo; quòd aſſerat, neminem abſq; operib⁹ iuſtificari; quòd affirmet, Paulũ à iuſtificatione tantùm opera legis reiicere; quòd Sanctos inuocãdos dixerit; quòd de Eccleſię poteſtate & officio nõ mediocres habeat næuos; quòd peccati originalis vim nunquã ſatis intellexerit; quòd ſtatuerit poſt hãc vitam eſſe Purgatorium; quòd legem obſeruatu poſſibilem dixerit; quòd liberum arbitrium eſſe in homine putauerit; quòd ſatisfactionem, lacrymas, contritionem, & bona opera crediderit eſſe cauſſam remiſſionis peccatorum;

Hom. 16. in cap 23. Num.

Ioan. 6.

Magdeburgenſium cẽſura de Origene.

Cẽt. 3. c. 4. part. 2. & cap. 10.

Origenis dogmata Catholica re. iiciuntur à Magdeburgenſibus.

quòd

quòd in exercitiis externis nimium fuerit ſuperſtitioſus; quòd non molli lecto, ſed humi vel in pauimēto cubando dormiuerit; quòd vna veſte cōtentus abſq; calceis inceſſerit; quòd in ſumma paupertate conſtitutus, oblata munera reiecerit; & à vino oleoq; abſtinuerit; denique, quòd in maxima abſtinentia vixerit. Nam ſi Magdeburgenſes Origenem (licet immeritò) propter eiuſmodi Catholicæ fidei dogmata, & ob laudabilia pietatis opera, tanquã hominem erroneum, traducunt & abiiciunt; cur igitur Origenis auctoritate nunc ſuum de præcepto calicis errorem defendere conantur? Sed ad ciſternas diſſipatas eos redire, & iugulari ſuis armis ſinamus.

ASSERTIO VI.

D. Cyprianus nullam ſub vtraq; ſpecie communicandi neceſſitatem docuit, ſed nec agnouit quidem.

Lib. 1. epiſt. 2. quæ in ordine aliis 54. ad Corn.

Cypriani verba de ſanguine Domini declarantur.

D. Cyprianus in hęc quidē verba locutus eſt: *Quomodo docemus aut prouocamus eos in cōfeſſione nominis Chriſti ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinē denegamus, &c.* Veruntamen his verbis nō aſſerit Cyprianus vſum calicis, vel à Chriſto præceptũ (quod hinc Aduerſarij malè concludunt) vel etiã ad ſalutem vnquam neceſſarium fuiſſe. Quamuis enim negandum non ſit, Cypriani temporibus pleroſq; fideles ſub vtraq; ſpecie cōmunicâſſe; non tñ hinc ilicò ſequitur, id eos Chriſti præcepto coactos feciſſe, aut etiam Cyprianum, vel minimã alicuius præcepti ſignificationē inſinuâſſe; cùm Cyprianus non de ſpeciebus, ſed de ſanguine Dñi ſumendo loquatur, quatenus militaturi ſanguinem ſuum pro Dñi gloria

Sanguis Domini quomodo Martyribus dabatur.

gloria fuſuri eſſent: Domini verò ſanguinem vel ſub vna panis & vini ſpecie ſumere potuerant. Neque enim Cyprianus de modo ſumendi fuit ſollicitus, vt putant Aduerſarij, ſed ne militaturis Sacramentalis communio denegaretur. Ac proinde Cyprianus ad ſanguinē, quem Martyres effuſuri erant, alludens; ſanguinem etiā Chriſti effuſum quacunq; ſpecie ſumerent, nulla ratione eis negandum, vnà cùm Africanis Epiſcopis putauit, cùm Euchariſtiam peterent; etiamſi pro commiſſis peccatis iniunctam pœnitentiam penitus non compleuiſſent, Hoc enim ipſum tēpeſtas ſecūdæ in Chriſtianos perſecutionis, quæ indies exurgebat, poſtulare videbatur. Hinc venuſtè ſæpius hac epiſtola ſanguinem vſurpat (quanquam etiam ſæpe corpus & ſanguinem coniungit) vt Martyrū ſanguis, Chriſti ſanguini reſpōderet, quem certè Martyribus, etiamſi cæteris ſub ſpecie vini non daretur, miniſtrari quodāmodo rationi conſentaneum erat. Vnde etiam, quemadmodum Chriſti poculum ſiue calicem, ſic martyrij poculum appellat, vt ſi hoc Martyres erant bibituri, quare etiam illud non potaturi? Sapienter, proinde, iure communicationis ſanguinem quacunque ſpecie eis dare oportere arbitratur; vtpote, qui cùm ſua corpora hoſtiam viuentem Deo exhiberēt, maiori etiam vinculo, iure communicationis cum Chriſto, quàm cæteri, vnum corpus efficerent. Etenim, ſi cæteri Chriſtiani, membra corporis ſint, iure communicationis corporis & ſanguinis Domini, vt Apoſtolus ait, quare non maiori iure Martyres communicationis membra Chriſti habebuntur, qui non modò ſunt de carne eius & oſſibus, vt reliqui Chriſtiani, ſed facti ſunt magis propè in Chriſti ſanguine, cùm ſuum proprium effuderint, ita vt cum Pontifice ſummo & æterno, ſemel Rom. 12. 1. Cor. 12. Epheſ. 4. Epheſ. 5. Epheſ. 6.

quaſi introirent per eiuſdē Chriſti & ſuum ſanguinem in ſancta, quod Apoſtolus diſertè explicat, cùm ait: *Quia ergo pueri communicârunt carni & ſanguini; & ipſe ſimiliter participauit eiſdem.* Ex quo illud ſequitur, Martyres, qui calicem paſſionis erant bibituri, non oportere à ſumptione corporis & ſanguinis Chriſti excludi, ſiue ſub vna, ſiue ſub vtraque ſpecie fieret. Quòd porro Cyprianus alibi coarguit quoſdam ſacerdotes, qui circa calicis oblationem & adminiſtrationem, non id faciebāt, quod in cœna Chriſtus fecerat, & aliis faciendum præceperat, non eò vergit, quaſi Cyprianus voluerit, vt ſacerdotes populo calicem ex Chriſti mandato porrigerent, ſicut plerique corruptè Cyprianum interpretantur: Nullius enim ille præcepti meminit, ſed tantùm reprehendit ſacerdotes quoſdam, vt vocant Aquarios, qui circa calicem non id faciebant, quòd fecerat ipſe Chriſtus, quandoquidem non, ſicut Chriſtus, vinum, ſed aquam conſecrabant, offerebant, ac populo dabant. Sic nec vllam difficultatem habent alia quædam D. Cypriani verba, quæ ſerm. de cœna Domini ſcripta reliquit: *Lex prohibet eſum ſanguinis, Euangelium præcipit, vt bibatur, &c.* Hæc enim calicem non probant, quandoquidem, vt Cyprianus ſubiungit: *Potus & eſus ad eandem rationem pertinent.* id quod idem Cyprianus diſertiſſimis verbis, tanquam ſui fidiſſimus interpres luculenter in præcedentibus demonſtrat, dum ait: *Manducauerant & biberant omnes de eodem pane ſecundum formam viſibilem.* Quid igitur maniſeſtius, quàm quòd ſub vna panis ſpecie, corpus & ſanguinem Domini manducauerint & biberint, ſicut in hodiernum diem credimus & ſeruamus? Quam fidem Catholicam idem Cyprianus miraculo confirmatam teſtatur, quando narrat fœminam quandam vehementer

Heb. 2.

Lib. 2. epiſt. 3. in ordine 63.

Aquarij à D. Cypriano reprehenſi ſunt.

Serm. de cœna Domini.

Vna ſpecies probatur miraculo.

Serm. de lapſis.

(nec immeritò) perterritam, quòd ignis erumperet ex arcula, cùm irreuerēter eam aperiret, ac Domini corpus ſumere vellet. Vnde non modò ſequitur, Cyprianum de calicis vſu, nullum agnouiſſe præceptum, ſed etiam eo tempore fuiſſe conſuetudinē in Eccleſia, vt fideles S. Euchariſtiam, ſub vna tantū panis ſpecie, domi ſuæ diebus aliquod aſſeruarent, atq; deinde ſumerent, quod etiam [a] Tertul. [b] Hieron. & [c] Ambroſ. manifeſtè teſtantur. Quæ conſuetudo perdurauit vſq; ad Conciliū Cæſarauguſtanum, cuius Canone 3. propter abuſus quoſdā fuit abrogata, & anathematizati ſunt illi, qui Euchariſtiæ gratiam acceptā in Eccleſia non cōſumebant. Porro quòd etiam quibuſdā infirmis atq; infantibus, S. Euchariſtia ſub altera tantū vini ſpecie, certas ob cauſſas, porrecta fuerit, nō ſolùm idem [a] Cyprianus commemorat, ſed etiā D. [b] Auguſt. teſtatur. Inſuper D. Cypriani temporibus, Euſebio teſte, contigerunt memorabiles hiſtoriæ, quæ probant vnius ſpeciei communionē, etiam apud Nouatum (Eccleſiæ ſimiam) nedū apud Catholicos, in vſu fuiſſe. Cùm enim Nouatus oblata diſpenſaret, & cuiq; partem ſuam diſtribueret; miſerrimos homines, loco benedictionis, & gratiarū, quas agere debuiſsēt, iurare cogebat. Suis enim vtriſq; manibus apprehendit, nec dimiſit manus cōmunicaturi, niſi prius iureiurando ſe obſtrinxiſſet, his aut ſimilibus verbis: *Iura mihi per corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu, te me nunquam deſerturū, nec ad Corneliū reuerſurum.* Atq; hic miſer homo non antè deguſtauit, quàm illi ſeſe deuouiſſet, & qui illū accipiebat panem, pro, *Amen*, quod dicere debuerat, reſpondebat; *Non deinceps ad Cornelium reuertar.* Atque ſic, vt ex hiſtoria liquidò conſtat, de panis ſpecie protiunculam percipiebat. Vnde colligitur, hæc duo Nouatum cum Catholicis habuiſſe communia:

Vna ſpecies à fidelibus domum ferebatur & ibi obſeruabatur.

Vini ſpecies fuit aliquādo infantibus & agris data.

Vnius ſpeciei communio fuit apud Nouatianos in vſu.

[a] Lib. de corona militis.
[b] Apol. pro lib. contra Iouin.
[c] Oratione funebri, de fratre.

[a] Serm. de lapſis.
[b] Epiſt. 23. lib. 6. cap. 35 & 36. Eccl. hiſt.

nia:

nia: Alterũ quidem, quòd videret ſub ſpecie panis corpus & ſanguinem Chriſti contineri (in quo ſuperauit pleroſq; modernos Aduerſarios:) Alterum verò, quòd ſub vna ſpecie communicare pium & ſanctũ eſſe crederet. Quem quidem ritum, cùm ille, ſicut alia multa, ab Eccleſia Catholica ſumpſerit ac retinuerit; manifeſtum euadit, in Eccleſia ritum ſub vna ſpecie communicandi, ſi non vbique, ſaltem multis in locis vſitatum fuiſſe. Cæterùm, cùm conſtet ex Cypriano, nullum ab Aduerſariis præceptum, vt ſinguli ſub vtraque ſpecie Sacramentum accipiant, poſſe probari; quid eſt, quòd tam ingenioſè nobis fucos obtrudunt? qui licet Cyprianum perlubenter pro ſe contra nos loquentem audirent: tamen virum illum ſapientia & pietate ornatiſſimum, in omnibus penè articulis, qui iam in controuerſia ſunt, tanquam hominem de plebe leuiſſimum, & circumforaneum, indigniſſimè exploſum volunt. Id manifeſtè probant ſanctorum Patrum cenſores omnes Aduerſarij noſtri, præſertim Magdeburgenſes, quando Cyprianum deliràſſe, & planè erràſſe ſcribunt, potiſſimùm in his quæ docuit; videlicet, Euchariſtiam in altari ſanctificari; ſacerdotes calicem ſanctificare, & Deo Patri ſacrificium offerre; ſanctos defunctos orare pro viuentibus; vnum Epiſcopum eſſe in Eccleſia; Romanam Eccleſiam eſſe omnium matrem & principalem; eandemque ſuper Petrum ædificatam; Chriſtum continentiam ſuaſiſſe; pœnitentiam eſſe ſatisfactionem, & exomologeſim peccatorum, &c. Hæc quoniam vera & Catholica docuit Cyprianus, atque ſuo proprio ſanguine conſignata ad poſteros mandauit; ideò delirus, erroneus, ſuperſtitioſus ab his nouis cenſoribus haberi debet. Quid iſtud tandem eſt, niſi veneran-

Cent. 3. ca. 4. part. 2. & cap. 10.
lib. 1. Epiſt. vlt.
lib. 2. ep. 3.
lib. 1. ep. 1.
lib. 3. ep. 11.
lib. 4. ep. 8.
lib. 1. ep. 3.
lib. de habitu Virg.
Serm. de lapſis.

Cyprianus vt delirus reiicitur ab Aduerſariis.

Cyprianus ob dogmata Catholica ridetur.

nerandam Patrum ſanctiſſimorum auctoritatem inuerecundè ludificari, & Eccleſiam Dei, matrem noſtram, contemptui exponere? Sed iſtis omiſſis ad alia tranſeat oratio.

ASSERTIO VII.

D. Chryſoſtomus nullum ſub vtraque ſpecie cõmunicandi praeceptum vnquam agnouit.

VNam aut alteram D. Chryſoſtomi ſententiam, quam Aduerſarij ad errorem ſuum confirmandum afferunt, ſilentio prætermitterem (eò quòd in verbis illis nulla prorſus præcepti alicuius ſub vtraque ſpecie Chriſtum ſumendi fiat ſignificatio) niſi reformidarem, Aduerſarios rem leuiſſimam, tanquam arduam, de induſtria me ſubterfugiſſe arbitraturos. Ac proinde, vt illis morem geram, cùm D. Chryſoſtomus ſcribit: *Eſt autem vbi nihil differt ſacerdos à ſubdito, vt quando fruendum eſt horrendis myſteriis: ſimiliter enim omnes, vt illa percipiamus, digni habemur. Non ſicut in veteri lege, partem quidem ſacerdos comedebat, partem autem populus, & non licebat populo participem eſſe eorum, quorum particeps erat ſacerdos; ſed nunc non ſic, verùm omnibus vnum corpus proponitur, & poculum vnum, &c.* Non video quibus in verbis Aduerſarij vim præcepti ponere velint. Nondum fortaſſe capiunt, toties iam à nobis eſſe cõceſſum, vnum eſſe Chriſti corpus, vnum ſanguinem, vnum panem vitæ, & vnum calicem totius Eccleſiæ, vt ſcribit Ignatius. Vnde ſapienter & veriſſimè idem Chryſoſtomus ſcribit, in noua lege ſacerdotem & populum corporis & ſanguinis æquè eſſe manducando participes: imò verò populum etiã multum cum ſacerdote offerre (quam vocem non æquis auribus

Hom. 18. in 2. Epiſt. ad Corinth.

Chryſoſtomi quædam verba de ſanguine Domini declarantur.

1. Cor. 10. Ioan. 6.

Epiſt. ad Philadel. Vt ſuprà.

ribus

ribus ſine dubio, ex Chryſoſtomo Aduerſarij audiunt) quãdo, vt ipſe loquitur, in horrendiſſimis myſteriis bene precatur ſacerdos, & populus ſacerdoti dicendo: *Et cum ſpiritu tuo.* Ex quo docet & Apoſtolicos viros, & ſacerdotes tanquam Eccleſiæ honoratiora membra (vt præcipiebat Corinthiis Apoſtolus) à populo honorificè ſuſcipiendos eſſe: quandoquidem populus cùm ſacrificij fieret particeps, à ſacerdotibus honore afficeretur; quanquam minimè fas erat (vt idem Chryſoſtomus ait) *non initiatis omnia detegere, &c.* Hac itaque ſententia non ait Chryſoſt. planè neceſſarium, vel à Chriſto præceptum fuiſſe, vt populus ſub vtraque ſpecie communicet; ſed quòd populo Chriſtiano non perinde ſicut laicis Iudæis (ſcilicet iure diuino) prohibitum ac penitus illicitum ſit, participem fieri eorum, quorum particeps eſt ſacerdos. Nam quod attinet ad poculum, ſublata iam legali prohibitione, Chriſtus Eccleſiæ ſuæ liberum iſtud reliquit, vt in Euchariſtica oblatione, poſſit etiam populo tantundem, quantum ſacerdoti conficienti, diſtribui. Sed quoniam hæc noua noui Teſtamenti libertas Eccleſiæ poteſtati ſubiecta eſt; poteſt Eccleſia, quando ſic expedire iudicat, & S. Euchariſtiam, ſub vna tantùm ſpecie, & ſub vtraque populo diſpenſare. Quo caſu, nec minus populus ſub vna, quàm ſacerdos ſub vtraque ſpecie, nec ille partem tantùm, ſed æquè atque hic, Chriſtum totum & integrum percipit. Sic alia quoque Chryſoſtomi verba (quibus ait:) *Reputate ſalutarem ſanguinem quaſi è diuino & impolluto latere effluere & ita approximantes labiis puris accipite)* nõ loquuntur expreſſè de calice vel ſpecie vini, ſed monent duntaxat, vt Domini ſanguinem puris labiis ſumamus; quod perinde de ſola panis ſpecie poteſt intelligi, quemadmo-

Sacrificium Miſſa ex D. Chryſoſt. probatur.

1. Cor. 12.
Phil. 2.
1. Tim. 5.

dum ſub illa nobis ſanguis Domini porrigitur. Porro nec vlla calicis neceſſitas poteſt colligi ex illa eiuſdem ſententia, quæ ſic habet: *Non videtis, quanta infantes animi alacritate mamillas arripiunt, qua impreſſione papillis infigunt labra? non minore cupiditate nos quoque ad hanc menſam & ad huius calicis ſpiritualem accedamus papillam. Imò verò maiori deſiderio, quaſi lactantes pueri gratiam ſpiritus ſugamus, &c.* Hæc ille. Sed eſto, hoc loco fiat mentio calicis, non tamen ſequitur idcirco, eos ex Chriſti præcepto vel obligatione diuina, ad ſpiritualem calicis papillam acceſſiſſe. Hoc enim non affirmat Chryſoſtomus, qui duntaxat refert calicem eo tempore (per Eccleſiaſticam ſcilicet diſpenſationem) in vſu fuiſſe.

Hom. 83. in Matth. ad populũ Antiochenũ.

ASSERTIO VIII.

D. Ambroſius nihil minus credidit, quàm calicis hauſtum omnibus à Chriſto præceptum eſſe.

Ambroſij quadã verba de poculo ſanguinis exponũtur.

LEgitur quidem D. Ambroſius ad Theodoſium Imperatorem in hæc verba locutus: *Quomodo huiuſmodi manibus ſuſcipies ſanctum Domini corpus, qua temeritate ore tuo poculũ ſanguinis pretioſi percipiès?* Veruntamen hinc nulla calicis neceſſitas probatur, ſed tantùm aſſeritur, Theodoſius Imperator ſub vtraq; ſpecie communicâſſe, quod eo tempore liberum ac licitum fuit, & nunc etiam quibuſdam, ſed rectè credentibus, eſt conceſſum. Porro nec eſt, quòd offendatur quiſpiam aliis eiuſdem Ambroſij verbis, quibus ait: *Teſtamentum ergo ſanguine conſtitutum eſt, quia beneficij diuini ſanguis teſtis eſt, in cuius typum nos calicem myſticum ſanguinis ad tuitionem corporis,*

Hiſt. trip. lib. 9. cap. 30.

Theodoſius Imperator ſub vtraque ſpecie communicauit.

In cap. 11. Epiſt. 1. ad Corinth.

ac animæ noſtræ percipimus: quia ſanguis Domini, ſanguinem noſtrũ redemit, id eſt, totum hominem ſaluum fecit; Caro enim Saluatoris pro ſalute corporis, ſanguis verò pro anima noſtra effuſus eſt, &c. His enim verbis non probat, calicem myſticum ſanguinis ex præcepto Chriſti datum fuiſſe laicis, qui citra calicem ſub vna quoque panis ſpecie ſanguinem Domini percipiebant ad corporis & animæ tuitionem. Quin & illi, de quibus Ambroſius loquitur, nulla præcepti neceſſitate coacti, ſed Eccleſia ſic diſponente calicem myſticum licitè ſanctéque perceperunt. Simili modo nec quicquam concludunt alia quædam Ambroſij verba, quæ ſic habent: *Si quotieſcunque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem effunditur; debeo meritò ſemper accipere, quia ſemper pecco, debeo ſemper accipere medicinam, &c.* Nulla hoc loco calicis aut alicuius ſpeciei fit mentio, ſed tantùm ſanguinis, quem etiam nos ſub vna panis ſpecie ſumere, inficiari Aduerſarij non poſſunt. Quis enim eos, qui vnam percipiunt panis ſpeciem, vnquam negauerit corpus ac ſanguinem Domini percipere?

ASSERTIO IX.

D. Auguſtinus nullam vnquam ſub vtraque ſpecie communicandi neceſſitatem vel obligationem agnouit.

Res in vado nobis eſt, cùm ad ſuam cauſſam, quam ſibi è manibus vident eripi, ex D. Auguſt. vix vnam ſententiam, nec bene ſuo errori cohærentem obiiciunt. Ait enim Auguſtinus: *A cuius tamen ſacrificij ſanguine in alimentum ſumendo, non ſolùm nemo prohibetur; ſed ad biben-*

Tom 4. quæſt. 57. in Leuit.

Auguſtini quadã verba de potu ſanguinis exponũtur.

bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam. Intelligo, planè ſine ambagibus, verba ſunt. Sed hîc nomen præcepti, nomen mandati exſpectabam, quo diceret Auguſtinus, omnibus mandari, ſingulis & imperari, vt Sacramentum ſub vtraque ſpecie ſumerent. Sed tantùm audio, omnes exhortari ad ſanguinem bibendum. Hîc vbi vinum? vbi ſpecies altera? Sed nunquid Eccleſia Catholica ſanguinem bibendum negat? imò verò cum Chriſto imperat: *Niſi manducaueritis carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ioan. 6. *Olim quidem*, vt Auguſt. ait, *à ſanguine ſacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, populus prohibebatur; iam verò ex vnius ſacrificij, in quo vera eſt remiſſio peccatorum* (ſic enim Auguſt. disertè loquitur) *quod veteribus illis ſignificabatur, ſanguine, vt omnes bibamus exhortamur, ſi vitã habere volumus.* Crediderim iam Aduerſarios pœnitere ſe Auguſtini patrocinium aduocâſſe, qui cùm nullum præceptum afferat Sacramentum ſub vtraque ſpecie ſumendi, contrà potiùs illorum mentem & ſententiã manifeſtè ſacroſanctum myſterium corporis & ſanguinis Chriſti, ſacrificium vnum in remiſſionem peccatorum eſſe teſtatur. Ex quo iam pridẽ erroris & hæreſeos proculdubio Aduerſarij clariſſimum Eccleſiæ lumen Auguſtinũ condemnârunt. Quòd porro D. Auguſt. nullum vnquã de ſumenda vini ſpecie præceptũ agnouerit, id ipſemet abundè teſtatur, dum ægrum quendã ſic alloquitur & admonet: *Illud etiam viuificũ Dominici corporis ſupplementũ ſuſcipere, fili mi, ne renuas, quin potius illud auidiſſimè quæras, fideliter comedas. Cibus enim ille incomparabilis, ineffabilis, viaticũ tibi erit ſaluberrimũ, redemptionis tuæ pretiũ, redemptoris monimentum, & redempti munimentũ.* Et rurſus alibi explicans illa verba: *Panẽ noſtrũ quotidianũ; Norunt*, inquit, *ſpiritalẽ alimoniam*

Sacrificium Miſſæ probat Auguſt.

Vnam ſpeciem probat Auguſt.

Tom. 9. lib. 2. ca. 4. de Viſit. infir.

Tom. 10. ſerm. de Orat. Do-

min.adCathecum.& Neoph. *niam fideles, quam & vos ſi puri eſtis, accepturi iam eſtis de altari Dei*. Et tandē ſic cōcludit: *Ergo Euchariſtia panis noſter quotidianus eſt*. Ecce vides eo tempore apud Chriſti fideles in vſu fuiſſe vnius ſpeciei communionem, cui plenarium quoq; Sacramenti fructum ſic attribuit, vt maiorem vtrique ſpeciei non potuiſſet tribuere. Et iterum ad eundem ſenſum idem Auguſtinus loquitur: *Quanta ſolicitudine obſeruamus, quando nobis corpus Chriſti miniſtratur, vt nihil ex ipſo de noſtris manibus in terram cadat*. Item: *Omnes viri quando communicare deſiderant, lauant manus, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi Chriſti corpus accipiunt*. Quid his verbis luculentius probatur, quàm eo tempore communionem vnius ſpeciei ſatis vſitatam in Eccleſia fuiſſe; præſertim cùm olim quibuſdam in locis alia quoq; conſuetudo fuerit, vt viri quidem manibus, fœminæ verò linteo ſacram Euchariſtiam acciperent. Interim negandum nō eſt, paulò pòſt Auguſtini tempora, communionem tam vnius, quàm vtriuſq; ſpeciei, per occidentales Eccleſias ita liberam & indifferentem exſtitiſſe, vt iidem homines publicè nonnunquam vtraque reficerentur, nonnunquam tantùm ad vnam accederent. Vnde quoq; vetuſtiſſimi Patres aliquando de vna, nonnunquam vtraq; ſpecie, tanquam de rebus Adiaphoris, mentionem faciunt.

Euchariſtia dicitur panis quotidianus.

Lib.50.homel.26.

Euchariſtia olim à viris manibus, à fœminis linteo accipiebatur.

Vnius & vtriuſq; ſpeciei communio fuit aliquando indifferens.

ASSERTIO X.

Gelaſius Pontifex nullum ſumendi calicis præceptum agnouit.

De conſ. diſt. 2. cap. comperimus.

VErùm Gelaſius Pontifex, aiunt Aduerſarij, Canonem hunc edidit: *Comperimus quòd quidam ſumpta*

Gelaſij Pōt. quadā verba de Sacra

mētis integrū exponuntur.

tantummodo corporis ſacri portione, à calice ſacri cruoris abſtineant; qui proculdubio (quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur obſtringi) aut Sacramenta integra percipiāt, aut ab integris arceantur: quia diuiſio vnius & eiuſdem myſterij, ſine grandi ſacrilegio non poteſt prouenire. Hæc ille. Sed eſto, nos hunc Gelaſij Canonem agnoſcere & venerari, non tamen hinc vnius ſpeciei cõmunio quicquam oppugnatur, nec vlla calicis obligatio cõuincitur. Nam eo Canone reprehendit Gelaſius quoſdam ſacerdotes (iuxta gloſſam & communem Theologorum & Canoniſtarum ſententiam) qui, tanquā ſacrilegi, ſolam panis ſpeciem, neglecto calice, conſecrabant, offerebant, & in ſacrificio ſumebāt; vel ſi calicē fortè conſecrâſſent, eum ipſi non ſumebant, ſed porrigebant aliis ſumendum. Vnde Gelaſius, non ſolùm eos, ſed etiam Manichæos meritò tanquam ſacrilegos redarguit, qui calicem non horrebant modò, ſed etiam deteſtabantur, credētes vinum eſſe malum, imò fel principis tenebrarum, nec ſub eius ſpecie ſanguinem Domini contineri; ſicut nec credebant, Chriſtum veram carnem ac verum ſanguinē aſſumpſiſſe. Quid ergo mirum, ſi tales Manichæos, tāquam ſacrilegos, aut integra Sacramenta percipere, aut ab integris (quæ ipſi non credebant integra) voluerit arceri? Quos etiam hāc ob cauſſam, vt Platina teſtatur, eiecit ex vrbe, combuſtis eorū libris. Hunc verò Canonis illius eſſe ſenſum Germanum, inſinuat his verbis Leo Pont: Gelaſio non multò antiquior; *Abdicant ſe* (videlicet Manichæi) *Sacramento ſalutis humanæ, et Chriſtum Dominum noſtrum, ſicut in veritate carnis noſtræ denegant natum; ita mortuum verè, & reſurrexiſſe à mortuis non credunt, & ob hoc diem ſalutis ac lætitiæ ſui ieiunij mœrore condemnant. Cumq; ad tegendā infidelitatem ſuam noſtris audeant intereſſe myſteriis, ita in Sacramentorum communione ſe temperant,*

Aug. hæreſi 46.

Serm. 4. de Quadrageſima.

perant,

perant, vt interdum tutius lateant; ore indigno Chriſti corpus accipiunt, ſanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinant; quod ideò veſtram volumus ſcire ſanctitatem, vt nobis huiuſmodi homines, & his manifeſtentur indiciis, & quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, notati & proditi, è Sanctorum ſocietate ſacerdotali auctoritate pellantur. Hæc ille. Ex prædictis igitur Gelaſij ac Leonis decretis, teſtimoniiſq; euidenter concluditur, tunc temporis ab illis Pontificibus ad confutandos & deprehendendos Manichæos, & eorum ſectatores, Priſcillianiſtas, vtramq; ſpeciem per Eccleſiam ad tempus, & quibuſdam in locis fuiſſe præceptum. Deinde autem, intincta hoſtia in vinum vel ſanguinem, conati ſunt poſtea aliquibus in locis Leonis & Gelaſij decretum eludere: quandoquidem hoc eorum religioni non repugnabat, ſicut nec vuis veſci, vt propterea tertium Bracarenſe Concilium, repetito Iulij Pont. decreto, ſtatuerit, non eſſe pro complemento communionis intinctam hoſtiam populo porrigendam, tanquam id eſſet Euangelicæ & Apoſtolicæ traditioni contrarium.

Vtraq; ſpecies aliquãdo fuit in Eccleſia præcepta.

Hoſtia vino intincta quomodo introducta & abrogata.

Cap. 1.

ASSERTIO XI.

Nec Theophylactus vnquam affirmauit, nec ſenſit quidem calicis vſum, populo Chriſtiano ad ſalutem neceſſarium eſſe.

FRuſtra nobis obiiciũt Aduerſarij Theophylactum, qui cùm Apoſt. Pauli fidiſſimus interpres fuerit, ſic mentem eius bona fide declarauit, his verbis: *Tremendus hic*

Athanaſij & Theophylacti Verba de calice declarantur.

hic calix pari cunctis conditione eſt traditus. Nam, cùm Paulus Corinthiis ſcribat eoſque redarguat, quòd non iam amplius cœnam Dominicam manducarent, dum locupletes & potentes quidam, deſpectis calamitoſis, ſuam cœnam, non Domini, præſumerent ad manducandum: Theophylactus ſecutus optimã interpretandi rationẽ, ſeſe menti Apoſtolicæ accommodauit, & tãquam cum Apoſtolorũ Corinthiorum potẽti locutus ait: *Quo ergo pacto ſolus præpotens debaccharis?* quaſi dicat, quid eſt, quòd cibo potuque obrueris? quid eſt, quòd tibi menſam ſolus lautam apparas? quid eſt, quòd hanc Dominicam cœnam efficis priuatam? ſiquidem (vt iidem paulò ſuperiùs loquuntur) *Quamdiu fuerat communis, & Domini eſſe dicebatur, ſunt namq; et ſeruis Dominorum bona communia, et quoniam veſtrum ſinguli præueniendo propriam cœnam edunt, ita vt pauperes haudquaquam operiantur, ſed ſeorſim & ſoli cibum ſumant, fœdâſtis profectò hanc cœnam, quippe quam ex communi & Dominica priuatam feceritis.* Hæc Theophylactus, qui deinde concludit: *Tremendus hic calix pari cunctis conditione traditur*, hoc eſt, tam ſeruis, quàm dominis, tam pauperibus, quàm opulentis traditur & offertur, nõ quidem cum mandato ſub hac vel illa ſpecie ſumendi præcipitur; ſed menſa illa ſacerrima exemplo Chriſti per Apoſtolorum ſucceſſores, ſacerdotes nimirũ eiuſdem Chriſti manus vicarias gerentes, ſacrificando celebrandoque apparatur; ita nempe, vt nõ modò ſeruus & pauper tantum ex ſacratiſſima cœna, quantum dominus & diues, ſed etiam tantum, quantum ipſe ſacerdos (vt ſuperiùs ex Chryſoſtomo docuimus) delibare poſſint. Ter venerandum Chriſti corpus, & tremendus eiuſdem ſanguis ad manducandum pari cõditione cunctis traditur. Neq; verò quiſpiam ſibi in hoc ſplendido epulo aliquid detra-

Corinthiorum abuſus circa cœnæ ſumptionẽ arguitur.

Athan. & Theophyl. in cap. 11. epiſtol. 1. ad Corinth.

detractum fuiſſe, ſi vinum propinatum in calice non fuerit, leuiter queratur: quandoquidem hic panis viuus, ita opimus eſt, ita omni ſapore plenus; vt ſine dubio vuæ viuæ ſanguinem viuum in ſe copioſiſſimè contineat, & abundātiſſimè effundat. Ex quo patet, non omnibus ſub ſpecie vini Sacramentum, ex verbis Theophylacti imperari.

ASSERTIO XII.

Gregorius III. nunquam ſcripſit nec credidit quidem, vtriuſq; ſpeciei communionem populo Chriſtiano eſſe neceſſariam.

Epiſto. ad Bonif. habetur in Tom. 2. Concil.

Gregorij III. quadā verba de ſanguine Domini explicantur.

ETſi Gregorius III. quidem, à S. Bonifacio Germaniæ Apoſtolo & Legato conſultus, in hunc modum reſcripſerit (*In Miſſarum ſolenniis obſeruandū eſt, quod Dominus Ieſus Chriſtus ſanctis ſuis tribuit diſcipulis: Accepit namq; calicem, & dedit eis, dicens: Hic eſt calix noui Teſtamenti in meo ſanguine, Hoc facite, quotieſcunque ſumitis. Vnde congruum non eſt, duos vel tres calices in altari ponere, cùm Miſſarum ſolennia celebrantur*) non ideò tamen, hinc neceſſariò probatur, vtriuſque ſpeciei communionem, omnibus fidelibus à Chriſto fuiſſe præceptam, cùm id tantum agatur, quo modo Miſſarum ſolennia ritè celebranda ſint. Et quamuis concedatur pleroſque tunc communicâſſe ſub vtraque ſpecie, quorum gratia plures calices in altari fuerint poſiti: non tamen propterea ſequitur, eos ex Chriſti præcepto ſic communicâſſe. Quod etiam Magnus Gregorius antè in cōcione Paſchali dixit: *Quid ſit ſanguis agni, iam non audiendo, ſed bibendo didiciſtis, &c.* Ex quo minimè conuincitur omnes fideles tunc ſub vtraque ſpecie communicâſſe, cùm de ſpeciebus nihil

planè dicatur,& Domini ſanguis etiã ſub vna panis ſpecie bibatur, iuxta prædictam Cypriani ſententiam. Tantùm abeſt, vt iſtis D.Gregorij verbis aliqua ſub vtraque ſpecie communicandi neceſſitas innuatur. Ac licet etiam D.Gregorius de ſpecie ſanguinis loqueretur, nihil tamẽ aliud affirmaret, quàm illos, ad quos ſermonem habebat, tunc ſub vtraq; ſpecie communicaſſe, quod nos facilè concedimus (quandoquidem & hoc tempore, quidam Catholici, nullo præcepto coacti, ſic communicant) dummodo nullum hinc Aduerſarij, ſicuti pleriq; faciunt, calicis præceptum aſtruere moliantur.

Sermo. de cœna Domini.

ASSERTIO XIII.

Paſchaſius nunquam docuit, calicis vſum à Chriſto fidelibus eſſe præceptum.

PAſchaſius Corbcienſis Abbas, ante ſeptingentos annos clarus, in ſuo libro, quem de corpore & ſanguine Domini contra Bertramum presbyterum, in veritate Euchariſtiæ errantem, latenter ſcripſit, Catholicè admodum & religioſè, tum Sacramentarios huius temporis & Aduerſarios ſolidè refutat, tum ſacrum Miſſæ Canonem doctiſſimè & piiſſimè interpretatur. Ex quo mihi non mediocriter Aduerſarij riſum mouent, cùm eiuſdem auctoris verba aſtutè faſcinant, nobiſque pro ſua ſententia obiiciunt; ait enim: *Sacerdos ergo inuocat, ſed ipſe benedicit, & frangit hunc panem, & per manus miniſtrorum diſtribuit credentibus, dicens: Accipite & bibite ex hoc omnes, tam miniſtri, quàm reliqui credẽtes.* Hęc ille quidem. Sed vbi quæſo Chriſti præceptum? vbi mãdatum? quibusnam verbis ſpecies vini imperatur? Audio panem

Paſchaſij verba quadam de ſanguine bibendo exponuntur.

Cap. 15.

nominari, vt accipiatur & bibatur, & hoc eſt quod & ipſe Paſchaſius præcedenti capite declarat, & Eccleſia Catholica confitetur, nempe corpus & ſanguinem, tum ſub altera, tum ſub vtraque manducari & bibi, adeò vt iuſtiſſimè & grauiſſimè reprehendi debeant laici, qui, cùm ſub vna panis ſpecie corporis & ſanguinis Domini participes fiunt, vtramque ſine Chriſti imperio, vel vlla neceſſitate, miniſtrari ſibi imperitè poſtulant, quaſi non credant ſub vna ſpecie totum Chriſtum contineri. Sed & hîc illud animaduerſione dignum eſt, Paſchaſium non tantùm referre, quid Chriſtus in cœna vltima geſſerit (in qua nullum præceptum datum calicem bibendi concludit) quandoquidem in illa non diſtribuit Apoſtolis per miniſtrorum manus; Sed etiam declarare vim totius conſecrationis corporis & ſanguinis, à verbis Chriſti (non vt modò ſomniant Aduerſarij à fide ſuſcipientis) emanare & proficiſci. Ac proinde ait Paſchaſius: *Hoc eſt*, inquit Chriſtus, *corpus meum, quod pro vobis tradetur, in hoc verbo creatur illud corpus: Hic eſt calix ſanguinis mei noui & æterni Teſtamenti, in hoc quippe verbo ſanguis efficitur, quod antea vinum & aqua fuerat.* Hæc ille. Quem cùm nobis Aduerſarij falsò obiiciunt, videant iam, quomodo ſui erroris ab eodem meritò damnentur, dum ipſi nobis corpus Chriſti, & ſanguinem, neſcio quibus vmbris in pane ſub pane, vt pudet loqui, pinſunt & compingunt. Verùm, etſi ſatis ſuperq; pateat Catholicæ Romanæq; Eccleſiæ Paſchaſium ſuffragari, minimeque erroribus Aduerſariorum patrocinari: hîc tamen non poſſum non iuſtiſſimè ipſis indignari, quorum, cùm aliqui Paſchaſium aſpernantur, quòd Canonem Miſſæ ſit piè interpretatus, alij, quod nomini Chriſtiano contumelioſum eſt, indignè, ne dicam

Euchariſtiæ conſecratio dependet à verbis Chriſti, non à fide ſuſcipientis.

Tranſubſtantiatio probatur.

perfidè Paſchaſium multis in locis laniando corruperint. In quo manifeſtè ſe veritatis & oſores & hoſtes eſſe declarant. Quis proinde Iobum Gaſtium Sacramentariũ æquo animo feret; qui cùm anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo octauò putaret exempla Paſchaſij non exſtare plura, quàm vnicum, quod ipſe Haganoë repererat, adeò animi impotens fuit, vt contra fas iusq; omne auctorem corrumpendum, fœdeque laniandum ſumpſerit, vt ex Paſchaſio vetere & Catholico, planè nouus & Sacramentarius appareret. Nam vbi Paſchaſius ſacerdotem; ille Miniſtrum verbi & Eccleſiæ: vbi Paſchaſius altare; ille menſam Domini: vbi Paſchaſius immolationem; ille Chriſti interceſſionem: vbi Paſchaſius celebrare dixerat; ille mãducare & bibere ſubſtituit: vbi Paſchaſius ſcripſerat Baptiſmus, Chryſma, corpus quoque & ſanguis Domini; ille Chryſma prætermiſit, & ad marginem adſcripſit: duo ſunt Sacramenta. Item Paſchaſius habet, Sacramentum, quod per ſacerdotem ſuper altare in verbo Chriſti, per Spiritum ſanctum diuinitus conſecratur; ille Sacramentum, quod à credente in verbo Chriſti diuinitus per Spiritum ſanctum reuera eſitatur, mutauit. Vbi Paſchaſius ait: *Quia quotidie labimur, quotidie pro nobis Chriſtus myſticè immolatur*; Illè Paſchaſij textum ita correxit: *Quia quotidie labimur, quotidie Chriſti interceſſione opus eſt.* Et demum cætera, quæ nõ potuit hominis aſtutia immutando corrumpere, planè obliterando, & relinquendo temerè ſuſtulit. Hic æquus Lector iudicet, & cenſeat an iuſtè, meritoq; in eiuſmodi hominem commoueri, præter meam conditionem debeam? Quas autem illius corruptelas, quàmprimùm Catholici doctique viri deprehenderunt, eas cum vetuſtiſſimis & incorruptis exemplis Coloniæ repertis dili-

Paſchaſius per Iobum Gaſtiũ quomodo corruptus?

Vide epiſt. vel præfat. Nicolai Mammerani.

genter conferentes, mox amouerunt, & Paſchaſium repurgatum, correctum & integritati ſuæ reſtitutum, primùm Coloniæ, ac poſtea Louanij, tum Pariſiis bona fide imprimi curârunt. *Paſchaſius à corruptelis, à quibus & vbi repurgatus.*

ASSERTIO XIIII.

Algerus, ſicut & Paſchaſius, ab Aduerſariis perperã allegatur, ac ſi quibuſdam D. Auguſtini verbis innixi, calicis hauſtũ omnibus fidelibus ad ſalutem eſſe neceſſarium, illi tradidiſſent.

Lib. 2. de Sacramento, cap. 8. ALgerus quidem hæc verba tribuit D. Auguſtino: *Nec caro ſine ſanguine, nec ſanguis ſine carne iure communicatur.* Veruntamen cùm nec ille citet locum, nec aliàs poſſint apud Auguſtinum hæc verba reperiri, meritò viri doctiſſimi ſuſpicantur, vel Algerum deceptum, Auguſtinumque pro Paſchaſio (qui ea commemorat tanquam ſua) poſuiſſe, vel certè loco Paſchaſij, nomen Auguſtini per librariorum negligentiam irrepſiſſe; quod aliis quoque Patribus nonnunquam accidiſſe conſtat. Verùm vtut ſit, quocunque prodierint auctore ſuprà dicta verba, certè calicem omnibus eſſe neceſſarium non probant, nec vnius ſpeciei communionem quicquam oppugnant. Non enim vllam ſpecierum faciunt mentionem; ſed tantùm declarant, nec carnem ſine ſanguine, nec è diuerſo ſanguinem abſque carne iure cõmunicari. Cùm igitur ſub vna panis ſpecie communicantes non ſolam, hoc eſt, exanguem & mortuam carnem, ſed Domini quoque ſanguinem, adeoque vnum *Algeri verba declarantur.* Cap. 19. *Caro & ſanguis Christi ſimul ſumuntur.*

totum & integrum Chriſtum ſumant; profectò nihil aduerſus hanc ſententiam delinquunt, ſed ritè communicare probantur. Simili modo loquendi Paſchaſius, (à quo videtur Algerus hæc verba ſumpſiſſe) frequentius & pluribus in locis vtitur. Nam ita ſcribit in præcedentibus: *Non rectè caro Chriſti, ſine diuinitate ſumitur, nec diuinitas ſine carne præſtatur.* Cap. 17. Neque quiſquam, vt arbitror, tam abſurdus aut rudis exiſtit, qui velit hinc inferre, ſub vna quidem ſpecie carnem ſolam, ſub altera verò diuinitatem duntaxat reperiri. Cæterùm, quòd nec caro ſine ſanguine, nec abſque carne ſanguis, & quod ſub vna panis ſpecie tam caro quàm ſanguis Chriſti rectè ſumantur, his & quidem diſertis verbis idem Paſchaſius demonſtrat, dum de manna loquitur. *Cæterùm,* Cap. 14. inquit, *ſi quis ex eo non credit illud, quod in Euangelio prædicatur, prioribus, inquam, illis deterior videtur, qui ſub vnius ſpeciei guſtu omnem ſaporem, & omne delectamentum fideperceperant. Nec tamen illud tunc aliud monſtratum, licet quicquid ſaporis & delectamenti eſt interius, ſub vno eodemque colore totum manna præſtiterit; potior quippe virtus rerum eſt, quàm ſpecies & fucatus color. Idcirco virtus magis conſideranda eſt, quàm color ſeu ſapor exterius.* Sic ille. Si ergo in figura vnicum, ſiccum alimentum omnia præſtabat fidelibus; quantò magis ipſum corpus Chriſti ſanguine plenum, vnica ſpecie ſumptum, omnia perficit? Et quid opus eſt pluribus, quandoquidem idem Paſchaſius manifeſtè teſtatur, carnem & ſanguinem Cap. 2. & 20. & 21. manducari, & cibo Dominicæ carnis interiorem hominem inebriari, & Sacramentum hoc bibi, quoties dignè vel comedimus, vel potamus? Nihil igitur mirum, ſi Paſchaſium ſecutus Algerus vel Auguſtino vel quocunque auctore protulerit ſupradicta verba:

Manducando corpus Chriſti homo inebriatur.

ba: *Nec caro ſine ſanguine, nec ſanguis ſine carne iure communicatur.*

ASSERTIO XV.

D. Bernardus, ſub vtraque ſpecie communionem omnibus eſſe in vltima cœna à Chriſto mandatam, nullo modo docuit.

Serm. 3. de ramis Palmarum.

EX D. Bernardi verbis, cùm ait: (*Nam de Sacramento quidem corporis & ſanguinis ſui, nemo eſt, qui neſciat hanc quoque tantam & tam ſingularem alimoniam ea primùm die exhibitam, ea die commendatam, & mandatam deinceps frequentari*) nullum penitus præceptum ſumendi Sacramentum ſub vtraque ſpecie, quod ad omnes pertineat, erui poteſt. Nam etſi libenter, vltroque concedamus, commendatam & mandatam præſentibus tunc Apoſtolis, cùm à Chriſto in eadem cœna ſacerdotio imbuerētur, hanc ſalutarem corporis & ſanguinis Domini alimoniam celebrandò & offerendò frequentari, vt ſuperiùs declaratum eſt: tamen nulla argumenti vi concluſeris omnibus & ſingulis eandem alimoniam ſub vtraq; ſpecie imperatam. Deinde verò, quandoquidem hæc corporis & ſanguinis Chriſti alimonia, non minus ſub vna, quàm ſub vtraque ſpecie contineatur, & adminiſtretur; nec minus vna panis, quàm vtraque panis & vini ſpecies, corporis & ſanguinis Domini Sacramentum rectiſſimè dicatur: non video vllum omnibus præceptum ſub vtraq; ſpecie communicandi mandari. Accedit huc, quòd D. Bernardus non de ſpeciebus, ſed de corpore & ſanguine Chriſti loquatur. Conſtat autem (vt hactenus frequenter eſt demonſtratum) & qui

Bernardi verba de inſtitutione Eucharistiæ declarantur.

Alimonia corporis & ſanguinis Chriſti ſub vna ſpecie continetur.

Vna panis ſpecies rectiſſimè Sacramentum dicitur.

ſunt inter Aduerſarios magis cordati, facilè concedunt; ſub vna panis ſpecie, ſicut & ſub altera corporis & ſanguinis Chriſti plenam & integram alimoniā nobis præſtari. Illis igitur verbis D. Bernardus non magis vtramque, quàm vnam ſpeciem nobis commendatam voluit; quod & præcedentibus eiuſdem ſermonis perſpicuè declarauit. Poſtquam enim oſtendiſſet, quemadmodum in cœna Chriſtus Apoſtolos refeciſſet; tandem hæc, de altera ſpecie panis, verba ſubiunxit: *Super omnia autem* (inquit) *caro Domini verè eſt cibus, & cibus vita, panis de cælo viuus.*

ASSERTIO XVI.

In Libro, qui Micrologus inſcribitur, nihil etiam reperitur, quo poßint Aduerſarij calicis vſum, fidelibus ad ſalutem neceſſarium, aſtruere.

CItant Aduerſarij quendam Bernonem pro eo videlicet auctore, qui Micrologum edidit; Sed Berno Cap. 19. certè non eſt ille, nec abſolutè calicis neceſſitatem affirmat, quicunque ſit auctor; ſed tantùm innixus ſupradicto Gelaſij Canoni: *Comperimus, &c.* non aliud, quàm ipſe Gelaſius, hac in parte ſentire voluit. Cùm igitur ſit abundè ſuperiùs declaratum, illum Gelaſij Canonem, nihil ad tuendum calicis præceptum Aduerſariis patrocinari, non attinet hoc loco pluribus Lectorem verbis onerare. Quòd autem auctor ille prorſus nullam calicis neceſſitatem agnouerit; facilè conuincitur ex eo, quod ipſemet aſſerat, tempore ſuo quibuſdam ægrotis S. Eucharistiam ſub vna tantùm ſpecie, vel, vt ipſius verba ſonant, Cap. 17.

nant,

nant, tertiam hoſtiæ partem datam fuiſſe, vbi & affirmat fideles in Eccleſia publicè ſemel in anno ſub vna ſpecie communicâſſe, videlicet in ipſo Paraſceues die, quo calix conſecrari non ſolebat. *Cap 19.*

CAPVT TERTIVM,

ABSOLVITVR QVINQVE ASSERTIONIBVS, QVIBVS LEVES QVÆDAM Aduerſariorum rationes ordine confutantur, & euidenter demonſtratur, nullam eſſe vel vnquam fuiſſe rationem, cur Christus Dominus omnes in vniuerſum Chriſtianos, ad calicem ſumendum obligare voluiſſet.

ASSERTIO PRIMA.

Aduerſarij malè contendunt communionem ſub vtraq; ſpecie omnibus eſſe neceſſariam, quaſi Chriſtus eam inſtituerit & præceperit his verbis: Accipite, Bibite, *adeoq; Teſtamento ſanguinis legauerit, deniq; Apoſtolis miniſtrauerit.*

NE imperiti ab imperita multitudine iudicentur Aduerſarij, modis omnibus elaborant, vt argumenta, quibus animos imbecilles ſubuertant, variis fucis adornent & veſtiant, vt vel ſic multa conglobâſſe potius, quàm pauca ignorâſſe exiſtimētur. Nunc enim ſacras Scripturas (vt omnibus commune eſt, teſte Ambroſio, hæreticis) tanquam *Aduerſariorum vafricies & calliditas ad decipiendum.*

Aduerſarij qualiacunque ſua argumenta varijs modis & fucis variant & alius proponunt.

fundamenta ſumma adducunt; nunc ex iiſdem noua argumenta, tanquam nouos arietes confingunt; quæ ſi enodare & explicare contenderis, è veſtigio fucum deprehendas. Pauca ſua illa argumenta & trita, cùm primùm ab acie Dei viuentis, ſummis viribus ſubrui animaduertunt, mox illa obruta ex cineribus tanquam noua excitant. Atq; ſic vnum & idem ſub variis laruis tanquam in proſcenio ſub variis perſonis, callidè & admodum aſtutè obtrudunt. Antea, vt ex Scripturis probarent vtramque ſpeciem eſſe omnibus neceſſariam, vrſerunt; Chriſtum, antequam pateretur, ſub ſpecie panis & vini ſacram cœnam inſtituiſſe, eundemque his verbis, *Accipite, Bibite*, vſum fuiſſe, tum ſanguinem, *nouum Teſtamentum*, appellâſſe, demum Apoſtolis miniſtrâſſe. Atque hæc quidem, cùm refutari animaduertunt, eadem, verùm aliter atque aliter induta & quaſi armata, in aciem iam producunt; vt cùm antea ſub chlamyde Scripturarum prodierint, nunc ſub lorica rationum apparere cogant: quæ ſi parumper pupugeris, continuò eadem illa obſoleta, malè ex Scripturis detorta, deprehendes. Quid enim aliud ſibi volunt hæ argumentorum congeries, *Chriſtus ſub vtraque ſpecie inſtituit*; *Chriſtus his verbis, Accipite, Bibite, vſus eſt*; *Chriſtus ſanguinem nouum Teſtamentum legauit*; *Chriſtus Apoſtolis ſub vtraque ſpecie miniſtrauit*, quàm illa eadem repetere, ac ſæpiùs inculcare: *Bibite ex eo omnes*; *Hoc facite, quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem*; *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti*, quæ toties iam & refutata ſuperiùs, & ad ſanam interpretationem reuocata ſunt, vt nihil planè contra Eccleſiæ Catholicæ & Romanæ ſententiam concludant? Eſto breuiter ad primum

Matth. 26. 1 Cor. 11. Marc. 14.

mum (quamuis iam in præcedentibus refutatum ſit) ne eludere videamur: *Chriſtus inſtituit*, hoc eſt, Chriſtus in cœna vltima, dum Apoſtolos ſacerdotio initiauit, diuini huius Sacramenti & ſacrificij ritum ordinauit, quid tandem concludunt? Omnes num ideò ſub vtraque ſpecie Sacramentum ſumere oportebit? An non omnia tandem, quæ Deus olim & Chriſtus vltimis temporibus, dum ſalutem in medio terræ operaretur, inſtituit, omnibus & ſingulis imperata eſſe voluit? Quæſo ad mentem reuocent, quæ ad ſalutem hominum à Deo ordinata & inſtituta ſunt, atque manifeſtum nobis faciant, ſi ad ea omnia & ſingula Chriſtianos obſeruanda obligant; ac primum nobis demonſtrent, an pueri, infantes, an mulieres, an poſt Baptiſmum amentes huius Sacramenti, vti duodecim Apoſtoli, ſacerdotio ſint initiati? An hac inſtitutione omnes, dum Sacramentum ſuſcipiunt, ſacerdotes creentur, poteſtatemque Sacramentum conficiendi, accipiant? Alioquin, quid eſt, quòd tam inani labore ſeſe diſcruciant, dum toties ad ſuos Miniſtros reuertuntur, vt Sacramentum ſumant, cùm iam prima ſuſceptione ſacerdotes & Apoſtoli ſint initiati? Ridiculum planè eſt ita de iis, quæ Chriſtus inſtituit, ſentire, vt ad omnes & ſingulos Chriſtianos ſub pœna ęterni ſupplicij pertinere iudicemus. Multa quippe Dominus Ieſus inſtituit, ad quæ tamē exequenda, vel ſeruanda, noluit omnes & ſingulos Chriſtianos obligatos eſſe. Inſtituit namq; & confirmauit matrimonium; nec tamen ideò voluit omnes ad ſubeundū matrimonij vinculum teneri, quin potius Euāgelicos Eunuchos ipſe nobis commendauit. Inſtituit quoque ſacerdotium; ſed

Inſtitutio Euchariſtiæ quomodo à Chriſto facta.

Inſtitutiones Chriſti non omnes & ſingulos obligant.

Gen. 2.
Ioan. 2.
Eph. 5.
Matth. 19.

Inſtitutiones Chriſti variæ recenſentur.

non propterea ſequitur, Chriſti præcepto Chriſtianos Matth. 16.
omnes, ad ſtatum illum ſic adſtrictos, vt velint nolint, Luc. 22.
vel inuiti ſacris initiari cogantur. Nunquid omnes Apo- 1. Cor. 12.
ſtoli? Nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Pa- Eph. 4.
ſtores & Doctores? Inſtituit porro Chriſtus Euangelicam prædicationem, atque Sacramentorum adminiſtrationem; verùm non idcirco quilibet obligatur ex Chriſti præcepto, vt ſubeat & exerceat eiuſmodi miniſteria ſacra, quæ potius iis prohibentur, qui legitimè, Heb. 5.
ſicut Aaron, vocati non ſunt. Hîc denique Chriſtus Dominus inſtituit vtramque ſpeciem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, idque non propter vnam Eccleſiæ partem, ſed ad vtilitatem Eccleſiæ totius. Nam principalis ac ſumma calicis inſtitutio, maximè ſpectat ad perficiendum Euchariſticum & incruentum ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech, ad repræſentationem Pſal. 109.
Dominicæ paſſionis, in qua ſanguis fuit à ſanctiſſimo Heb. 5. & 7.
Chriſti corpore ſeparatus. Quod quidem myſterium per calicem ſecundum vini ſpeciem Chriſtiano populo deuotè recolendum, piè in mentem reuocatur.

Euchariſtia propter totam Eccleſiam eſt inſtituta.

Calix præcipuè inſtitutus eſt propter ſacrificium, vt per eum repræſentetur paſſio Domini.

Quòd autem aiunt, Chriſtum omnibus propoſuiſſe communionem ſub vtraque, dum ait: *Bibite, Hoc facite*, ſuperuacaneum eſſe iudico atque intempeſtiuum, rurſus ad lineam reuocare, quæ abundè ſuperiùs explicata Cap. 1. aſſ. 2. & 3.
ſunt, atq; refutata; vbi planè docuimus, verba hæc Chriſti: *Bibite ex eo omnes*; Et, *Hoc facite quotieſcunq; bibetis in me-* Matth. 26.
am commemorationem, minimè ad omnes pertinere; quin 1 Cor. 11.
& illa: *Bibite ex eo omnes*, in ipſa cœna, teſte Marco, im- Marc. 14.
pleta fuiſſe: *Biberunt*, ait enim, *ex eo omnes*, ſcilicet Apoſtoli, qui omnes tunc præſentes aderant. Hæc verò: *Hoc facite quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem*, cùm ad Apoſtolos ſacerdotio initiatos, ac eorũ poſteros

dicta

dicta ſint, diligenti ritu ab Eccleſia ſeruari, quandoquidem omnes ſacerdotes legitimo ordine imbuti, dum incruento holocauſto operantur, hoc faciunt populo præſente, ad Chriſti Domini commemorationem: Imò verò & omnes ſiue ſub vna, ſiue ſub vtraque ſpecie Sacramentum ſumant, ad Chriſti commemorationem id faciunt. Quanquam enim ſit longè veriſſimum Euchariſtiam ſacram & ſpiritualem omnium fidelium vtilitatem, & ad publicum totius Eccleſiæ bonum inſtitutam eſſe; præſertim, cùm pro peccatis omnium, & ad augmentum gratiæ diuinæ, quin etiam ad conſequendum aduerſus hoſtes noſtræ ſalutis, Dei patrocinium offeratur: non tamen ex eo ſequitur, omnes & ſingulos fideles ad vtriuſque ſpeciei ſumptionem obligari. Porrò de Teſtamento ſanguinis Chriſti non attinet hîc aliquid repetere, quàm nouum Ieſu Chriſti Teſtamentum, quod agnoſcimus & profitemur, eſſe remiſſionem peccatorum, & vitam æternam. Hoc enim Apoſtolus ex Hieremia propheta multis & quidem diſertis verbis confirmat; cuius quidem Teſtamenti, cùm æquè ſub vna, quàm ſub vtraq; ſpecie communicantes copioſè participes fiant; non eſt, quòd Aduerſarij tantopere ſpeciem alteram propter Chriſti Teſtamentum vrgeant. Neq; enim, vt loco ſuprà citato luculenter demonſtratum eſt, nouum Ieſu Chriſti Teſtamentum in ſumptione, ſed in effuſione ſanguinis cõſiſtit; cùm enim ſanguis noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur, nominatur; non tam eius ſumptio, quàm oblatio, ſeu immolatio, ſeu effuſio, teſte Chriſto, nobis inſinuatur. Quòd tandem Aduerſarij ſolùm in bibendo velint Apoſtolos imitari, mirum profectò videtur. Nam ſi putant imitandos Apoſtolos, cur eos cæteris etiam in rebus

Sacrificij effectus.

Teſtamentum Chriſti ad quid inſtitutum.

Hebr. 8.
Hier. 31.

Matth. 26.
Marc. 14.

Aduerſarij ſolùm Apoſtolos in bibẽdo ſolùm imitari.

imitandos non iudicant? cur non omnibus relictis, ipſi quoque nudi, cum nudis Apoſtolis, nudum Chriſtum ſequuntur? cur non cum Apoſtolis in caſtitate, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate Chriſto Domino militant ac ſeruiunt? Quòd ſi credunt (ſicut veriſſimè credunt & prædicant) his Apoſtolorum exemplis non obligari fideles ad imitandos Apoſtolos, cur eos ad calicem, Apoſtolorum exemplo, putant obligatos? Et quamuis huic Apoſtolorum facto quædam obligationis ius ineſſe probaretur, quid hæc ad ſingulos Chriſtianos obſecro? quandoquidem Apoſtoli cùm ex calice biberent, tunc faciebant, quod à Chriſto præcipiebatur. Verùm, ſicut in præcedentibus fuit inſinuatum; propterea Chriſtus Apoſtolis vtramque ſpeciem porrexit, vt hoc exemplo conſtaret, licitum eſſe ſub vtraque ſpecie communicare. Matth. 4. Marc. 1.

ASSERTIO II.

Malè fingunt ex calicis hauſtu ſingularem quendam ſolatij fructum, qui non item ex corpore Dominico, ſub ſpecie panis accepto, communicantibus præſtetur.

HAc etiam Aduerſariorum ratione manifeſtè conſtat, totum eorum deſiderium & ſolatium, magis fortè ad calicem, quàm ad ſanguinem Domini anhelare. Nam ſi Domini ſanguinem quærunt, ſicut ſe facere oſtendunt; ecce ſub vna panis ſpecie, ſanguinem ipſum ſimul cum Dominico corpore percipiunt: quòd & eorum quidam non grauatè admittunt. Cùm igitur non alius ſanguis, nec plus vel minus, in calice, quàm vna

panis ſpecie contineatur; quid aliud per calicem Aduerſarij, quàm merum hauſtum vini, quærere videntur? In quo tamen (ſi rem penitus inſpiciamus) nec omnino deſipere videntur; quandoquidem, ſicut apud eos nulla conſecrandi poteſtas (niſi à nobis exierint ſacerdotes); ſic nullus in illorum calicibus Domini ſanguis, ſed naturale vinum reperitur, quale ſolent in ſympoſiis ſuis potitare. Quæ res diſplicere non poteſt, ſed periucunda grataque popularibus hominibus exiſtit, qui fœcundis præſertim calicibus gaudere plerunque conſueuerunt. Quod ſi dicant Aduerſarij, ſe non in calice, ſed in omni Chriſti verbo ſolatium illud quærere, meminerint idem eiuſdem ſolatij verbum corpori quoque penitus annexum fuiſſe. Etenim non fruſtrà Chriſtus addidit: *Quod pro vobis datur, &c.* Nec fruſtrà gratiam & vitam æternam ſoli panis ſpeciei toties apud Diuum Ioannem attribuit: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Itaque nullum ſolatij, vel promiſſionis verbum ſanguini peculiariter eſt additum; quod non etiam corpori legatur ſæpius annexum & attributum eſſe. Sed nec ignorant Aduerſarij conſolatorium illud calicis verbum, non ad eos tantùm, qui bibunt, ſed etiam ad alios plurimos, dicente Chriſto, pertinere: *Qui pro vobis & pro multis effundetur.* Non ait pro vobis tantùm, qui bibiſtis, ſed addit etiam pro multis, qui non biberunt. Nec dicit: *Qui bibetur*, ſed: *Qui effundetur in remiſſionem peccatorum.* Vnde aduertant diligenter, ne meritò ſolatium, quod in calice quærere ſe dicunt, ad vini guſtum transferre iudicentur.

Calix Aduerſariorũ non ſanguinem, ſed vinum continet.

Vnius ſpeciei tantus eſt fructus, quantus vtriuſq.

Luc. 22.

Ioan. 6.

Luc. 22. Matth. 26. Marc. 14.

Calicis fructus non ad bibentes tãtùm, ſed etiam ad alios pertinet.

ASSER-

ASSERTIO III.

Ratio eſt inualida, qua putant Aduerſarij, Sacramentum ſub vna ſpecie ſumptum, non eſſe integrum Sacramentum.

Luth. ca. 1. de capr. Babyl. de Sacram. panis.

ASſerunt illi quidem ſub vna panis ſpecie non integrum eſſe Sacramentum; ſed quod aſſerunt, neq; verbo Dei, neque Patrum teſtimoniis, neque vlla ratione probant. Et quamuis allegant Gelaſij Canonem, quo dicitur: *Aut integra Sacramenta percipiant, &c.* Non tamen his verbis negat Gelaſius, ſub vna panis ſpecie integrum Chriſti Sacramentum contineri. Quin potius hoc ipſum ille contra prædictos Aduerſarios verbis ſubſequentibus probat, quando ſpeciem vtramq; non integrum Sacramentum, ſed integra Sacramēta vocat, dum dicit: *Ab integris Sacramentis arceantur*, vt ſciamus vtramuis ſpeciem integrum eſſe Sacramentum. Et quidem integrum eſt Sacramentum alterutra ſpecies; cùm habeat omnia requiſita, videlicet materiam & formam, miniſtrum, intentionem, effectum, nec deſit quicquā eorum, quæ ad integritatem ſunt neceſſaria. Verùm quid Aduerſariis in mentem venit, vt integrum, ſicut aiunt, ſingulis dari velint; cùm nec Chriſtus Apoſtolis ſuis integrum, ſed fractum & diuiſum porrexerit. Nam, vt aiunt Euangeliſtæ: *Accepit panem, gratias egit, fregit.* Et de calice ſimiliter ait: *Accipite & diuidite inter vos.* Ergo quod inter omnes fractum & diuiſum eſt, certè non poteſt integrum cenſeri. Ac licet Aduerſarij velint hanc integritatem aliter interpretari, nimirum, vt integrum cenſeatur Sacramentum, non quando totum Sacramentum, ſed cùm aliquam ſaltem partem vtriuſq; ſpeciei perci-

Chriſtus Apoſtolis non integrū ſed fractū & diuiſum Sacramentum dedit.

Matth. 26. Luc. 22.

Aduerſariorum integritas in Sacramento qualis & quàm abſurda.

percipiunt: eſt tamen eiuſmodi nouus & inuſitatus in-tegritatis modus, qui nec in rebus prophanis vllo modo admitti ſolet. Etenim illi non facilè dicent eum integras manus habere, qui tantùm vnam manus vtriuſque partem habeat; nec affirmabunt, eum integros pedes habere, qui pedis vtriuſque abſciſſis partibus, claudicauerit. Hoc igitur modo ſi deſiderant illi integrum Sacramentum, neceſſarium videtur, vt quilibet eorum integrum exhauriat calicem, totamque panis ſpeciem abſumat, cæteriſque nihil relinquat. Verùm ignorare non poſſunt, integritatem Sacramenti (iuxta communem Theologorum ſententiam) in præſenti materialibus rebus potiſſimùm conſtare, ſine quibus Sacramentum integrum dici non poteſt, nimirum ſigno viſibili, cauſſa gratiæ, & gratia, quæ Sacramenti effectus dicitur. Quod igitur tam ad effectum, quàm ad ipſam effectus cauſſam pertinet, nemo facilè negauerit, qui vel mediocriter harum rerum cognitione ſit imbutus, quin ſub vna ſpecie non minus, quàm ſub vtraque ſit integerrimum Sacramentum: Nam qui ſpeciem vnam ritè ſuſcipit, integerrimum Sacramenti conſequitur effectum, nimirum Chriſtum totum, qui totius effectus cauſſa veriſſima eſt, & tam ſub vna, quàm ſub vtraq; ſpecie totus & integer exiſtit & ſumitur, ac integram quoque gratiam communicantibus præſtat. Iam verò, cùm certiſſimè conſtet, ſpeciem panis, vel ſpeciem vini, vnà cum corpore Chriſti, eſſe ſignum huius Sacramenti ſubſtantiale, vt loquuntur; quis eſt ita rerum imperitus, qui eius ſigni integritatem, vel ſub panis ſpecie, vel vini deſiderari arbitretur? Eiuſmodi autem inter hoc ſacerrimum, & alia Sacramenta diſcrimen eſſe manifeſtè conſtat; quòd ſigna ſubſtantialia aliorum Sacramentorum,

Integritas Sacramẽti in quibus conſiſtat.

Vnius ſpeciei communione Chriſtus totus et integer ſumitur.

Integritas ſigni ſubſtãtialis.

Eucharistia quomodo diſtinguatur ab alijs Sacramentis.

P ſenſi-

ſenſibilia & diuerſa à re ſignata ſint : in hoc verò non ſolùm ſpecies externæ panis & vini, ſed & corpus Chriſti ſignum eſt efficientis & largientis gratiam. Atque hæc vera & ſolida ſigna Sacramenti, cùm integra ſint, tam ſub vna, quàm ſub altera ſpecie; ſuperuacaneum eſt, cõqueri, Chriſtianis auferri Sacramenti integritatem, quandoquidem ſignum integrum, corpus Chriſti; integram cauſſam, quæ eſt Chriſtus, Sacramenti, ſub ſpecie panis Chriſtiani recipiant. Quòd ſi de ſigno qualitatis huius Sacramenti, hoc eſt virtutis, agitur, atque Aduerſarij arbitrantur fieri iniuriam laicis, quòd integra ſigna virtutis non adminiſtrentur; in denſis verſantur tenebris, vtpote qui inficiari non poſſunt, æquè virtutem integram Sacramenti, tam ſub vna, quàm ſub vtraque ſpecie percipi. Etenim cùm in vſu Sacramenti maximè illud ſpectetur, vt recipiens Sacramentum; Chriſto copuletur, diuinaque gratia imbuatur: proculdubio ea alimonia contentus eſſe debet, qua integræ virtutis Sacramenti particeps euadit. Vnde ſi integritas ſigni ſiue ſubſtantialis, ſiue, vt aiunt, qualitatis, hoc eſt, Chriſti corpus, & Chriſti gratia conſideretur; manifeſtum euadit, integerrimè Sacramentum, & perfectiſſimè ſub altera ſpecie ad Chriſti intentionem, ſecundum eiuſdem inſtitutionem recipi. Quòd ſi autem de integritate ſigni quantitatis oriatur difficultas; facilè conceſſero, Sacramentum ſub vna ſpecie integrum non ſuſcipi: Sed cùm ratio eiuſmodi integritatis, ſi vſum ſpectes, ad perfectionem Sacramenti non referatur; magnoperè de eâdem non eſt contendendum, niſi in re minima Sacramenti moleſti eſſe velimus. Hæc autem accidentalis integritas, ſiue maior ſit, ſiue minor, nihil addit, nec è diuerſo quicquam ab ea demit, & res eſt Adiaphora, quæ parum

Integritas ſigni qualitatis.

Integritas ſigni quantitatis.

rum

tum aut nihil momenti continet, ſalua nimirum integritate ſubſtantiali, quæ nobis, ſiue ſub modica, ſiue ſub magna quantitate, & tam ſub vna, quàm ſub vtraque ſpecie Chriſtum totum & integrum, ac per eum quoque totum Synaxeos fructum liberaliter præbet ac præſtat. Nam quemadmodum in Sacramento Baptiſmi ſubſtantialis ſigni integritas conſiſtit in externa ablutione, ſiue per aſperſionem, ſiue per ſuperinfuſionem, ſiue per immerſionem aquæ trinam vel vnam, illa copioſius fiat, aut parcius (quæ ſpectant ad integritatem accidentalem, nec multùm habent momenti, cùm ſint Adiaphora, ſuasque retineant ſignificationes, ſiue hoc, ſiue alio modo fiant): ſic omnino res habent in hoc Sacramento, quòd ſpectat ad integritatem accidentalem, quæ pluribus aut paucioribus ſpeciebus, eorumque maiori vel minori quantitate, continetur. Et quamuis concederemus per vtramque apertius, quàm per vnam ſpeciem paſſionem Domini ſignificari (quemadmodum rubrum vinum melius, quàm album exprimit ſanguinem, & hoſtia cum imagine crucifixi perfectius, quàm ſi ea careat, repræſentat paſſionem Domini): non tamen idcircò ſub vtraque ſpecie præceptum vel neceſſitas, quoad ſingulos, probaretur; quemadmodum nec ideò conuincitur immerſio trina prorſus neceſſaria, quòd illa clarius ſanctiſſimæ Trinitatis tres perſonas, quàm immerſio ſimplex, nobis repræſentat; nec propterea rubrum vinum dicitur eſſe neceſſarium, quòd illud manifeſtius ſanguinis Dominici typum nobis exprimat.

ASSERTIO IIII.

Aduerſarij non ciuiliter argumentantur cùm contendunt, vtramq́; ſpeciem, neceſſariò requiri, quòd abſq́; potu nullum conuiuium perfectum eſſe poßit.

At ægerrimè ferendam hanc leuem argumentandi in re tam ſeria rationẽ, cenſerem, ſi non ſuſpicarer quaſi ex mediis poculis ad contumeliam ſacerrimæ religionis depromptam eſſe. Eiuſmodi enim ſatyrica ex tripode ſui illius Apollinis, tanquam oracula, deſumpta volunt, vt ſic facilè ex ſympoſiis, ad conuiuia ſacra, diſerti ac lauti deſcendant. Videant igitur ne cùm lætiores & lepidiores ex ſuis menſis ad ſacram cœnam venerint, vti olim Corinthij ab Apoſtolo, grauiter reprehendantur. Quid enim eſt, quòd tantoperè nouo vino delectentur; cùm ex corpore Chriſti vnà cum ſacratiſſima carne, fons ſanguinis, ad optimum quemque Chriſtianum inebriandum, abundatiſſimè emanet. Vaniſſimè proinde hanc ſacroſanctam eſcam cùm ſympoſiis & effuſis conuiuiis comparant, cùm ignorare non poſſint, hanc ſalutarem eſcam, eius eſſe conditionis, vt cum ſumma ſatietate, vt olim manna in deſerto, cibum & potum ſufficienter ſuppeditet, ac proinde rectiſſimè, [a] Cypriano & [b] Auguſtino teſtibus, panem hunc ſacroſanctum & manducari & bibi à nobis, prolatum ſit. Quò fit, vt ſuauiſſimò epulo potus deſiderari non poſſit, quando cibus, dum carne viuifica Chriſti ſatiat, ſanguine etiam precioſiſſimo & ſuauiſſimo inebriet. Vnde cùm leuiter per ludibrium à nobis expoſcunt, vt coco & piſtori pocillatorem adhibeamus; decla-

Calix Aduerſariorũ probatur à conſuetudine conuiuij communiꝰ.

1. Cor. 11.

Exod. 16. Sap. 16.

Vnius ſpeciei communio famem ſitimq́; animæ tollit.

a Serm. de cœna Domini.

b Epiſtola 152. c. 5.

declarant ſe ſacroſanctam cœnam ſuis conſuetis poculis execrari. Verùm cùm nō obſcurè intelligant, hanc menſam ita nobis eſſe apparatam, vt nec caro in ſanguine, nec ſanguis in carne deſiderari vllo modo poſſit; abſque ratione & fruſtra, vt laicis vinum apponatur, expoſtulant. Quòd enim in conuiuio communi ſoleat apponi non tantùm cibus, ſed etiam potus, hinc illud accidit, quod corporalis ille cibus, non ita ſit integer, plenus atque perfectus, vt tam ſitim, quàm famem ſedare poſſit. Ante lapſum protoplaſtorum longè perfectior cibus homini datus fuit, qui tam eſcæ, quàm potus officium præſtabat. Nam in paradyſo Deus Adæ dedit non potum, ſed eſcam, qua veſceretur; Sic etiam Chriſtus Dominus, bis aliquot hominum millia ſolo cibo abſq; potu ſatiauit. Sic denique panis ille viuus, qui de cœlo deſcendit, cùm ſub vna panis ſpecie ſumitur (quia corpus & ſanguinem Domini continet) egregiè corpus & animam reficit, ac etiam vtriuſque eſuriem ſitimque mirificè expellit. Verùm ſi Euangeliſtæ & Apoſtolo credimus, tempore cœnæ ſacrum panem; calicem verò poſtquam cœnauit Chriſtus Apoſtolis miniſtrauit, vt intelligeremus, pane hoc cœleſti abundātiſſimè famem ſitimque ſedari, atque eo ipſo cœnam perfectè iis apparari, qui Sacramento ſolùm potientes, ſacris non operantur. Qui verò ſacrificant, decenter admodum, ſi, vt olim Aaron, qui à filiis ſuis abſoluto ſacrificio acceptum victimę ſanguinem ad cornua & per circuitum altaris fudit; Sic etiam verum ſanguinem, qui à Chriſto in cornibus altaris crucis fuſus eſt, ad altaris ſui cornua, hoc eſt, in ſeipſos atque in penetralia infundant.

Protoplaſtis in paradyſo ſolus cibus eſt datus.

Geneſ.2. Matth.15. Ioan.6. Marc. 6. & 8. Luc.9.

Luc.22. 1.Cor.11.

Calix Chriſti poſt cœnā datus eſt, ſpecies verò panis ſola in ipſa cœna.

Leuit.9.

ASSERTIO V.

Non ſolidè argumentantur Aduerſarÿ,cùm dicunt,partem Baptiſmi & pœnitentiæ aboleri poſſe ab Eccleſia,ſi concedamus Eccleſiam poſſe partem Euchariſtiæ auferre.

SI ea quæ ſuperiore aſſertione dicta ſunt, memoria non exciderunt, facilè totius argumenti ſolutio patere potuit. Nam Euchariſtiam ſic à Chriſto conſtitutam eſſe docuimus, vt potius ſigno eſſentiali, cauſſa efficienti & ipſo effectu gratiæ, quàm ſpeciebus conſtare diceremus; adeò, vt qui ſub vna ſpecie Sacramentum ſuſceperit, integris Sacramenti partibus, ipſoque ſimul abſolutiſſimè potiretur. Ac proinde cùm ſpecies vtraque ad accidentalem quantitatis integritatem referri debeat, non in ea, Eccleſia laborandum eſſe cenſuit, vtpote quæ potuit pro temporis & locorum ratione immutari, dummodo integræ eſſentiæ partes nulla ratione violarentur aut abrogarentur. Quo fit, vt etiam aquam à Baptiſmo nullo modo Eccleſia remoueri velit, quamuis pro trina immerſione aſperſionem vſurpauerit, vt enim trina immerſio minimè Sacramentum Baptiſmi perfectius reddit: ſic nec duæ ſpecies Sacramentum Euchariſtiæ, ſi vſum Sacramenti ſpectes, magis abſolutum efficiunt. Eiuſmodi enim adiuncta ſunt Sacramentorum, ſine quibus perfectio integerrima eſſe poteſt; ita tamen; vt vel aquæ ablutio in Baptiſmate, vel ſpecies ambæ, in Euchariſtia non auferantur. Nam etſi Eccleſia ſubinde trina merſione,aliquando vna ablutione in Baptiſmate

Baptiſmi eſſentialia mutari non poſſunt, ſed accidentalia poſſunt.

vſa eſt; nunquam tamen planè aquam (vti Caluinus non neceſſariam arbitratus eſt) abrogari voluit: atque eodem modo, quamuis ſubinde Eccleſia pro loco & tempore nonnunquam ſolum calicem quibuſdam, aliquando aliis ſacrum panem tantùm miniſtrari permiſit; tamen nunquam eos vtraque ſpecie orbari voluit, vtpote quæ ſciret non permanſuram in Chriſtiano populo vitam æternam, ſi carne Chriſti & ſanguine perpetuò ad conſummationem ſeculi priuaretur. Atque proinde Aduerſarij perperam argumentantur, dum aiunt, Eccleſiam vtramque ſpeciem aliquando ſublaturam, quandoquidem in vna diſpenſatum eſſe voluit. Etenim ſi pars ſigni accidentalis ad tempus ſuſpenditur, non continuò ſignum eſſentiale Sacramenti è medio tolli dicitur. Sed hactenus eorum argumenta hoc modo refutâſſe ſufficiat.

Caluinus aquam Baptiſmi negat eſſe neceſſariam.

CAPVT QVARTVM,

DECEM ASSERTIONES CONTINET, QVIBVS EX SACRIS LITERIS tam veteris, quàm noui Teſtamēti declaratur, communionem vnius ſpeciei ab ipſis mundi primordiis, Deo ſic diſponente, variis typis ac figuris nobis valde commendatam, nedum inſinuatam fuiſſe.

ASSER-

ASSERTIO PRIMA.

Ab initio mundi per lignum vitæ, quod in paradyſo Dominus plantauit, fuit communio vnius ſpeciei præfigurata.

DEvs Opt. Max. ita ſuauiter ac ſapienter ab origine mundi cuncta diſpoſuit & vſque gubernat; vt ſacroſancta Chriſtianæ pietatis myſteria, variis vmbris ac tegumentis primùm obſcuris quidem adumbraret, deinde verò pro temporum ac hominum ratione paulatim illuſtrioribus figuris ac typis manifeſtârit, donec optata veniret plenitudo temporis, in qua (ceſſante nimirum primo tabernaculo) Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum introiret in ſancta, æterna redemptione inuenta, & diſcuſſa parabola, viam ſanctorum propalaret, & ablatis figuris (in quibus omnia contingebant illis) manifeſta veritas ob oculos poneretur, ſepoſitis item exemplaribus verorum, ad ipſa vera atque cœleſtia pertingere liceret, denique profligatis vmbris atque egenis ſeu typicis elementis, ipſum corpus nobis conſpiciendum exhiberetur. Hinc etiam accidit, vt ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quatenus ſub vna tantùm panis ſpecie communicantibus porrigitur, multis & quidem eximiis, ſed aliquando ſecretioribus, nonnunquam magis apertis figuris, typis ac ſymbolis ab initio mundi ſignificatum & commendatum fuerit, donec ipſa veritas (hoc videlicet gratiæ tempore) ceſſantibus figuris locum & vſum ſuum obtineret. Certè lignum vitæ, quod in paradyſo poſitum,

Sap. 8. — *Gal. 4. Heb. 9.* — *1. Cor. 10.* — *Gal. 4.* — *Gen. 2. 3.*

Myſteria diuina variis figuris olim inſinuata ſunt.

Vnius ſpeciei communio variis figuris adumbrata. Vnius ſpeciei typum geſſit lignum vitæ.

tum, de ipſo comedentibus, Scriptura teſte, vitam immortalem præſtat, & de quo ſic ait filius Dei: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradyſo Dei mei*, non minus, quàm manna abſconditum, corporis Dominici ſub vna panis ſpecie figuram expreſſam geſſit. Quòd his verbis D. Auguſtinus teſtatur: *Vincenti*, inquit, *dabo manducare de manna abſcondito, id eſt, de pane, qui de cælo deſcendit: cuius figura fuit manna in eremo, quod, ſicut ipſe Dominus dixit, multi manducantes mortui ſunt; ſed & nunc, quicunque manducat indignè, iudicium ſibi manducat. Idem panis eſt etiam lignum vitæ.* Cui ſententiæ Rupertus Tuicienſis inſignis Eccleſiæ Doctor ſubſcribit, dum ait: *Chriſtus lignum vitæ eſt, cuius & in cæleſti paradyſo viſione, & in præſenti Eccleſia, corpore ſanctæ reficiuntur animæ.*

Apoc. 2.

Tom. 9. hom. 2. in ca. 2. Apoc.

Lib. 2. in cap. 2. in Apoc.

ASSERTIO II.

Agnus Paſchalis, quem ex præcepto Dei comedebant Iſraelitæ, typus illuſtris fuit communionis vnius ſpeciei.

Exod. 12.

IN Exod. non ſolùm præcepit Dominus Moyſi, vt agnus Paſchalis quotannis mactatus & immolatus à filiis Iſrael comederetur, quatenus illi ſumma animorum gratitudine iugique memoria repeterent, ac perpetuò retinerent ſumma Dei miracula & opera glorioſa, tanquam eximia beneficia, quibus populum illum è duriſſima Pharaonis tyrannide redemptum in libertatem aſſeruit; Sed multas quoque præſcripſit cærimonias variis myſteriis plenas, quibus agnum Paſchalem decenter manducari voluit. Quoniam igitur agni

Vnius ſpeciei typum geſſit agnus Paſchalis.

Paſchalis inſtitutio, cum omnibus eiuſdem cærimoniis, earumq; myſteriis, ad ſolam comeſtionem, nulla prorſus facta potus mentione, tendit atque pertinet, & agnus ille Paſchalis fuit illuſtriſſima perfectiſſimaque corporis Dominici figura, iuxta ſententiam Apoſtoli: *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*; dubitari non poteſt, 1.Cor. 5
quin ritus communicandi ſub vno comeſtionis modo, per illum agnum præfiguratus fuerit, atque ideò licitus, pius, ſufficiens, ac ſanctus probetur. Nam quemadmodum agnus typicus, poſtquam immolatus eſſet, iuſſu Dei manducabatur: Sic & verus agnus Dei, qui tollit peccata mundi, quamprimùm incruento & Euchariſtico modo, iuxta præceptum Chriſti eſt immolatus, etiam communicantibus manducandus ſalubriter porrigitur. Quò fit, vt figuræ veritas, in his maximè præcipuis myſteriis, vt par eſt, quàm optimè conſonet. Et quamuis cum agno Paſchali vini quoque libamina fortaſse appoſita fuiſſent, non tamen omnes perinde vinum bibere, ſicut agnum manducare, ipſa lege cogebantur.

Agnus primò immolatur, deinde manducatur.

Alioquin nec Rechabitæ ex patris præcepto abſtinentes à vino, nec qui natura erant abſtemij, nec etiam Nazaræi Paſcha legitimum & integrum vnquam celebrâſſent. Hiere. 35. Num. 6.

ASSERTIO III.

Manna, quod Dominus è cœlo filiis Iſrael in deſerto pluit, illuſtris fuit communionis vnius ſpeciei figura. Exod. 16. Num. 11.

Dominus

DOminus Deus filiis Iſrael in cibum manna de cœlo dedit; quo in ſolitudine ſunt aliti: donec venirent in terram promiſſam: Quod autem manna plenum ac manifeſtum Dominici corporis, ſub vna panis *Vnius ſpeciei typus fuit manna.*
ſpecie contenti, typum geſſerit, non modò fatetur cum
De cõſ.diſt. 2.cap.Vbi. vetuſtis Patribus Hilarius, dum ait: *Eadem ratio eſt in corpore Domini, quæ in manna, quod in eius figura præceſſit*, ſed ipſe quoque Chriſtus Dominus idem diſertis verbis, &
Ioan.6. euidenti comparatione demonſtrat: *Ego ſum*, ait, *panis vitæ. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mun-*
Sap.16. *di vita.* Itaque ſi manna (tanquam panis cœli) omne delectamentum & omnis ſaporis ſuauitatem in ſe habebat: longè magis viuus ille panis, quem Chriſtus carnem ſuam, ſub panis ſpecie contentam, affirmat, non ſolùm vberem ac ſalutarem tam cibum, quàm potum, ad ſedandam ſpiritualem animæ famem ac ſitim, abundè ſic communicantibus præbet; ſed immortalem
Ioan.6. quoque vitam, à Chriſto toties ibidem promiſſam, certiſſimè largitur. Alioquin nec conueniret manifeſtiſſima Chriſti comparatio, quam inter mannam & panem viuum ſeu carnem ſuam inſtituit; nec efficax eſſet tanta, totieſque repetita, de carnis ſuæ fructu promiſſio; nec figuræ ſuæ veritas vllo modo conſonaret. Imò verò multis modis hæc illa inferior & obſcurior haberetur. Quæ profectò nemini citra grauem in Deum contumeliam, poſſunt in mentem vnquam venire.
Exod.17. Quòd autem de petra duriſſima hauſtæ & propinatæ

ſunt aquæ, non mannæ ariditas, non panis illius ſuauiſſimi durities poſtulauit, (communem enim tam cibi, quàm potus continebat ſaporem; quemadmodum ſub ſpecie panis, & caro & ſanguis Chriſti in Sacramento ſumitur:) ſed Hebræorum obmurmurantium ineffrenata ingluuies importunè aquas extorſit. Iurgatus eſt enim populus in deſerto contra Moyſem, vnde & nomen illius loci vocatum eſt, Tentatio, propter iurgium filiorum Iſrael, & quia tentauerunt Dominum, dicentes: *Eſt ne Deus in nobis, an non?* Illis autem poſtulatus aquæ potus infeliciſſimè ceſſit. Quod eis profectò non accidiſſet, ſi tunc etiam, ſicut aliis temporibus, ſolo manna, quo fames & ſitis ſedabatur, contenti vixiſſent. Ita metuendum videtur; ne cotingat idem multis in populo Chriſtiano, qui plus nimio calicem ſitiunt; quaſi non poſſint abſque illius hauſtu fieri beati; & propterea iurgantur ac murmurant, non ſolùm contra Moyſen, ſed aduerſus Eccleſiam Dei vniuerſam, quàm etiam erroris ac perfidiæ non verentur arguere; vt fuerit illis calix non ſolùm tentatio, ſed etiam tanquam lapis offenſionis, & petra ſcandali; quin etiam, vt clarius loquar, fomes & occaſio reformidabilis cuiuſdam diſſenſionis, vel, vt ait Apoſtolus, diſceſſionis; cùm tamen hoc Sacramento fideles cum Chriſto, tanquam capite ſuo, & inter ſeſe, velut membra corporis myſtici, coniungi deberent. Itaque figuræ ſuæ veritas in eo pulchrè concordat, quòd nimirum, ſicut Deus filiis Iſrael in deſerto manna ſemper, ſæpiſſimeque ſolùm; aquæ veræ potum rariſſimè dedit: ita videmus diuina prouidentia diſpoſitum eſſe, vt verum ac cœleſte manna (qui Chriſtus eſt) ſub panis tantùm ſpecie quaſi perpetuò fidelibus in Eccleſia ſit exhibitum;

Calix extorſus, ſicut aqua ex petra propter murmur.

Calix quibuſdam petra ſcandali.

1. Cor. 10. Sap. 16. Exod. 17. Num. 20. 1. Pet. 2. Rom. 9. 2. Theſſ. 2. Exod. 16.

hibitum; quamuis & calicis vſus quibuſdam temporibus ac locis, eum legitimè petentibus, ſalubriter conceſſus fuerit.

ASSERTIO IIII.

Illa quoq; prophetia: Suſcitabo mihi ſacerdotem fidelem. Dimitte me obſecro ad vnam partem ſacerdotalem, vt comedam buccellam panis, &c. *apertè nobis alteram ſpeciem typicè fuiſſe ſignificatam demonſtrat.*

1. Reg. 2.

Vna ſpecies per buccellam panis inſinuata fuit.

HAnc aſſertionem eſſe veram, manifeſtis ſanctorum Patrum, nedum ipſiuſmet Scripturæ ſacræ teſtimoniis probatur. Nam, quòd ad ipſum prophetiæ huius locum ſpectat, nemo facilè dubitare poteſt; (cùm Dominus Deus ſacerdotem Heli eiuſque filios, propter ipſorum peccata planè reiecerit, ac ſe alium ſacerdotem promiſerit ſuſcitaturum ſibi fidelem, qui gereret typum veri ſacerdotis ſecundum ordinem Melchiſedech, ſcilicet Chriſti Domini, ſicut etiam eorum, quæ Chriſtus circa noui Teſtamenti ſacerdotium, & Euchariſticum Sacramentum erat poſtmodum, cùm plenitudo temporis veniſſet, inſtituturus. Nam, vt ait Apoſtolus: *Omnia in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos ſeculorum fines deuenerunt.* Vt igitur vmbræ corpus, & veritas figuræ ſuæ reſpondeat, certum eſt, per illam tortam ſeu buccellam panis, quem fideles iuxta partem ſacerdotalem in ſacrificiis tunc manducabant, alteram panis ſpeciem Euangelicæ Sy-

1. Cor. 10.

naxeos prophetice nobis inſinuatam, & idcirco piam ac ſanctam, nedum licitam in Eccleſia Dei ſemper fuiſſe. Ad hũc modum D. Cyprianus illam prophetiam intellexit, & poſteris ſuis declaratam reliquit. Ad eundem ſenſum de hoc myſterio ſcripſit Venerabilis Beda ſuper libros Regum; vbi prophetiam illam, ad Euchariſticum noui Teſtamenti Sacramentum, non verè minus, quàm eleganter applicat. Hoc ipſum ante Bedam multis iam ſeculis beatus Auguſtinus non ſolùm ita ſenſit & aſſeruit, ſed ex eodem Scripturæ loco perſpicuè nobis comprobatum atque teſtatum reliquit, cùm inter multa ſic ait: *Quod ergo addidit manducare panem, etiam ipſum ſacrificij genus eleganter expreſſit; de quo dicit ſacerdos ipſe: Panis quem ego dedero, caro mea eſt pro ſeculi vita: ipſum eſt ſacrificium, non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui legit, intelligat. Breuis itaq; eſt confeſſio iſta & ſalubriter humilis, qua dicitur; Iacta me in partem ſacerdotij tui, manducare panem, ipſe eſt obulus argenti, quia et breuis eſt, & eloquium Domini eſt habitantis in corde credentis.* Et paulò pòſt: *Ideò hic dicit manducare panem, quod eſt in nouo Teſtamẽto ſacrificium Chriſtianorum.* Hinc igitur patet hac prophetia Euchariſtiã, & maximè ſub vna ſpecie, deſignari.

Lib. 1. aduerſus Iudæos, c. 17.
Lib. 1. ca. 7. & lib. 30. quęſtionũ.
Lib. 17. de ciuit. Dei, cap. 5.

ASSERTIO V.

Panis propoſitionis manifeſtum geſſit typum Euchariſticæ communionis vnius ſpeciei.

PAnis ſanctus, qui & ſanctificatus, & propoſitionis panis ibidem nuncupatur, ſecundum D. Hieronymi & communem ſanctorum Patrum ſententiam, myſticum & euidentem S. Euchariſtiæ ſub vna panis ſpecie,

1. Reg. 21. In ca. 1. ad Titum. Orig. homel. 13. in Leuit.

Cyrill. lib. 4. ſuper Ioan. c. 28. — cie, typum geſſit. Etenim ille panis (nulla potus facta *Vnius ſpeciei typũ geſſit panis ſanctus & propoſitionis.*
mentione) ſanctificatis & mundis hominibus dabatur,
Beda ſuper 21. cap. 1. Reg. — vt vel inde conſtaret, Euchariſtiæ Sacramentum, indignè ſumentibus, non ad vitam, ſed ad mortem cedere,
Ioan. 13. — ſicut accidit Iudæ, in quem idcirco Satanas introiuit, quòd nec mundus, nec ſanctificatus eſſet, quando cum aliis communicaret. Itaque, ne veritas à figura ſua penitus diſcrepet, tam Scripturis, quàm rationibus conſentaneum eſt, nec quicquam inſtitutioni, vel præcepto repugnat, quòd viuus ille panis, qui de cœlo deſcendit, ſub vna tantùm ſpecie, mundis & ſanctifica-
Leuit. 23. — tis Chriſti fidelibus porrigitur. Idem cenſeri debet de panibus primitiarum, deque duobus Chriſti miracu-
Matth. 14. & 15. Marc. 6. Luc. 9. — lis, quando bis aliquot hominum millia panibus, vel cibo tantùm, abſque potu ſatiauit, & quòd apud Ioannem toties Chriſtus panem viuum de cœlo deſcendentem,
Ioan. 6. — abſque vlla potus mentione expreſſit, quòd item
1. Cor. 10. — Apoſtolus nos vnum panem & vnum corpus dixerit, quippe qui de vno pane (videlicet Euchariſtico) participamus.

ASSERTIO VI.

Matth. 6. — *His verbis*; Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie, *communio vnius ſpeciei à Chriſto non modò nobis inſinuata, ſed & verè commendata fuit.*

VT ab vmbris & figuris, ad veritatis lumen, deſcendam; operæ precium duxi, ſi ab eo exordiar, quod potiundi regni, & faciendæ Dei voluntatis Chriſtus caput

caput atq; optimam rationem eſſe voluit. Cùm enim ipſe Filius Dei in has terras deſcendiſſet, vt nos longè proculq́; diſſitos, in regnum ſuum adſciſceret, diuinitatiſque nos redderet participes; voluit, vt quemadmodum cibo vetito extorres regni ſui, voluntatiſq́; facti eramus; ſic pane viuo, hoc eſt, ſeipſo, aſſumpta carne, eius naturæ eſſemus conſortes. Atque ideò admirabili tum ſapientia, tum amore, naturam noſtram induit, vt eadem nutriri, quo magis ſuæ diuinitati ſociaremur, minimè abhorreſceremus. Hinc quoniã viuenti in perpetuũ coniungendi eramus, pane ſuperſubſtãtiali, perpetuo & quotidiano confortari neceſſe erat. Ac proinde, vt quotidie ſoliciti, hunc diuinum panem peteremus, imperauit; cùm aliàs de cibo, potu, veſtituque communi, ne eſſemus ſolliciti, nos accuratè ſit hortatus; vtpote, qui omnes vitæ commoditates ſuppeditaturus eſſet iis, qui primùm regnum Dei eiuſque iuſtitiam quærerent, quæ certè nullus vnquam adipiſci, iiſque adeptis frui poteſt, niſi pane viuifico, carne nimirum eius foueatur, & quotidie nutriatur. Hac ſolida Chriſti doctrina olim primi Chriſtianitatis fundatores & maiores noſtri, rebus omnibus contemptis & deſpectis, paupertati Euangelicæ operam dantes, in eam rem potiſſimùm incumbebant; vt pane illo diuino, qui quotidie in communione frangebatur, nutrirentur, quo regni Dei & diuinæ naturæ euaderent participes. Ex quo factum eſt, vt ſapientiſſimi ac religioſiſſimi Patres hæc verba: *Panem noſtrum*, ex cõtinua & ad ſe deriuata conſuetudine quotidie communicandi, Euchariſtiam interpretarentur. Quæ cùm his verbis atque Patrum ſententiis, ſub vna panis ſpecie nobis commendetur; mirum eſt, cur Aduerſarij à Chriſto eandem, ſub vtraq; ſpecie, imperatam eſſe contendant.

[Right margin: Matth. 6. Luc. 12.]

[Right margin: Actor. 2.]

[Left margin: *Communio quotidiana*]

Ac

Ac magis videtur mirum, non deeſſe cauillatores, qui ex illa Patrum pia conſuetudine ac ſententia, conantur inferre per modum abſurdi, quaſi primitiui Chriſtiani crediderint, ex præcepto Chriſti ſingulos ad quotidianam Euchariſtiæ ſumptionem obligatos fuiſſe; cùm tamen illi nihil minus, quàm hoc crediderint: Sciebant enim, Chriſtum non præcepiſſe: Panem meum quotidianum da mihi hodie; ſed, panem noſtrum quotidianum, vel ſuperſubſtantialem da nobis hodie: vt ſic illa Chriſti doctrina, ſi non in omnibus quotidie, ſaltem in multis vel in paucis impleretur. Verùm his omiſſis, ex Orthodoxis Patribus vnum aut alterum de hoc pane quotidiano, vel ſuperſubſtantiali, ſi placet, loquẽtem audiamus.

Tom. 10. 28. ſermo. de verb. Dom. Item vide Tom. 4. de ſerm. Dñi in mont. lib. 2. c. 7. — Auguſtinus ſic ait: *Memini ſermonis mei, cùm de Sacramentis tractarẽ; dixi vobis, quòd ante verba Chriſti, quod offertur, panis dicatur; vbi Chriſti verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, ſed corpus appellatur. Quare ergo in oratione Dominica, quæ poſtea ſequitur, ait: Panem noſtrum, panem quidem dixit, ſed* ἐπιούσιον *dixit, hoc eſt, ſuperſubſtantialem. Non iſte panis, qui vadit in corpus, ſed ille panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit.* Panis ſuperſubſtantialis quis dicatur? Iiſdem prope verbis Cyrillus

Catech. myſtagogica 5. — Hieroſolymit. hunc locum interpretatur: *Panem*, inquit, *noſtrum* ἐπιούσιον, *id eſt, ſuperſubſtantialem, da nobis hodie. Panis hic cõmunis, non eſt* ἐπιούσιος. *Panis verò iſte ſanctus ſuperſubſtantialis dicitur, eò, quòd ſubſtantiã animæ confirmet. Panis hic non in ventrem deſcendit, & in ſeceſſum emittitur, ſed per te totum ad corporis & animæ vtilitatem, diſtribuitur.* Atque

Serm 6. de orat Dominica. — ad hunc quoq; modũ Cyprianus ſcribit: *Panis vitæ Chriſtus eſt, & panis hic omnium non eſt, ſed noſter eſt: Et quomodo dicimus: Pater noſter, quia intelligentium & credentium pater eſt. Sic & panem noſtrũ vocamus, quia Chriſtus noſter, qui corpus eius contingimus, panis eſt. Hunc autem panem dari nobis* Panis quotidianus cur dicatur?

R quo-

quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedēte aliquo grauiore delicto, dum abſtenti & non cōmunicantes à cœleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur, ipſo prædicāte & monente: Ego ſum panis vitæ, qui de cœlo deſcendi. Si quis ederit de hoc pane, viuet in æternū. Panem autem quem ego dedero, caro mea eſt, pro ſeculi vita. Sic [a] Tertullian⁹, [b] Hierony. [c] Chryſoſt. [d] Ambr. [e] Theoph. doctrina & pietate clariſſimi Patres, interpretantur. Nec eſt, quòd Aduerſarij noſtri, vel hoc loco, vel pluribus aliis (quos iſtis aſſertionibus citamus) ſiue Scripturæ ſacræ, ſiue Patrum Eccleſiæ ſimilibus locis per ſynechdochen ſeſe putent euaſuros: Quaſi verò quandocunque nominatur panis myſticus, aut corpus, aut caro Chriſti, ſemper etiam calix neceſſariò ſit intelligendus. Nam quicquid ſit de rebus, vel humanis exemplis, profectò cùm agitur de ſacris dogmatibus ac myſteriis ad cultum Dei pertinentibus, non eſt cuiuis liberum, pro arbitratu ſuo, tropos aut metaphoras, aut ſynechdoches fingere, easque (quòd minus conuenit) tanquam Dei præcepta nobis obtrudere. Imò ſacris literis atque SS. Patrum hiſtoriis nunquam eſt aliquid affingendum, quod non ex præcedentibus vel conſequentibus euidenter erui poſſit, vel etiam non ex locorum ſimilium collatione, iuxta D. Auguſtini ſententiam, ſic intelligendum probetur, alioquin verba, quemadmodum ſonant, accipienda ſunt. Vnde D. Baſilius optimè dixit, eos, qui aperta verba Scripturæ trahunt ad aliam ſignificationem, perinde Scripturas interpretari, vt illi faciunt, qui ſomnia ſua interpretantur ad illud reſpicientes, quod antea cogitârunt, ac ſibi propoſuerunt. Ego verò cùm fœnum audio, fœnum intelligo, & ſtirpem, & piſcem, & iumētum, omnia, vt dicta ſunt, intelligo.

Ioan. 6.

[a] Lib. de oratione. [b] In Pſalm. 145. & dial. contra Pelag. & c. 6. in Matth. [c] Tom. 5. hom de orat. Dominica. [d] Lib. 5. de Sacramētis. [e] In 6. cap. Matth.

Synechdoche Aduerſariorū reiicitur.

Lib. 3. c. 26. de doctr. Chriſt.

Verba ſunt intelligenda vt ſonant.

Cōgreſ. 9. in hexam.

Lib de carne Chriſti

ligo. Ad quem etiam Tertullianus loquens modum: *Certè*, inquit, *peruerſiſſimum eſt, vt carnem nominantes, animam intelligamus; & animam ſignificantes, carnem interpretemur; omnia periclitabuntur aliter accipi, quàm ſunt, ſi aliter quàm ſunt, cognominãtur.* Neq; enim, vt loquitur Epiphanius, omnia diuina verba opus habent Allegoria, ſed prout ſe habent, accipienda ſunt. Vnde perperam agunt quidam, dum prophanos ſeu humanos ac naturales loquendi modos, ſacris miſcentes ac confundentes per (fractionem panis) vini ſpeciem ſeu calicem quoq; comprehendi contendunt, quemadmodũ nomine panis, potus, cæteraq; neceſſaria ſolẽt humano modo intelligi, licet non exprimantur, abutentes his Euangeliſtæ verbis: Cùm intraret Ieſus in domum cuiuſdam principis Phariſæorum Sabbato manducare panẽ, &c. Eſt enim diſpar longeque diuerſus intelligẽdi, credendi, loquendiq; modus, quando Deus nobis per Scripturam ſacram, per Eccleſiam, per ſanctorũ Patrum approbatas hiſtorias, per miracula, per myſticos vel obſeruatos ritus, aliquã manifeſtat, vel neceſſariò ſeruanda p̄cipit. Cùm enim myſterium aut præceptũ aliquod proponitur, cuius oporteat nos certiores ac participes fieri, id minimè ꝑ ſynechdochen, aut alios tropos intelligi poteſt, vt debet; ſed neceſſum eſt, vt id ipſum expreſſum & declaratũ habeatur. Nam ſi calix etiam omnibus peculiariter eſt præceptus, abſq; dubio diuerſam quoq; rationẽ habebit, à ſpecie panis, & ſecundũ Aduerſarios diuerſis & peculiaribus abũdabit myſteriis; quę cũ nomine panis intelligi nõ poſſint, ipſorũ Aduerſariorũ iudicio; quî fieri poterit, vt nomine panis per ſynechdochen calix intelligatur? Vnde ſi calix dicitur p̄ceptus, neceſſarium eſt, vt eius ſumendi præceptum, non per ſynechdochen cognoſcatur, ſed habea-

Tom. 1. li. 2 contra hęreſes Et in Ancorato.

Luc. 24.

Actor. 2.

Luc. 14.

Allegoria non vbique locum habet.

Sacris prophana miſcenda non ſunt.

Panis nomine in ſacris myſteriis nõ intelligũtur cætera.

Synechdoche non poteſt calici patrocinari.

tur

tur expreſſum, nec minus panis, quàm calicis myſteria luculenter,& abſque tropis,ab omnibus intellecta conſpiciantur. Itaq; Aduerſarij ſuo iugulantur gladio,quando eandem humanorum ac diuinorum ſeu myſticorum actuum eſſerationem aſſerunt. Cùm enim calicem legimus,calicem intelligamus, iuxta veriſſimam prædictorum Patrum ſentētiam,quam in ſacris ac myſticis rebus tanquam certiſſimam regulam ſequantur oportet, qui vocum nouitate decipi nolint.

ASSERTIO VII.

Apoſtoli in vltima cœna à Chriſto Sacramentum ſub vna panis ſpecie receperunt, antequam ſacerdotio eſſent initiati.

Ratio tanti huius Sacramenti poſtulabat, vt à Chriſto ſummo ſacerdote ſecundum ordinem Melchiſedech,ad alios poteſtas deriuaretur; qua, creſcente Eccleſia,eiuſmodi Sacramentū & cōficeretur,& perpetuò miniſtraretur;vt nullus violenter tantum munus ſibi arrogaret,ſed quiſq; ſe potius tanquam Aaron vocari humiliter pateretur. Et quoniam morituro Chriſto,ſimul omnia vetera ſacrificia interire oportebat; admodum opportunè nouum illud & iuge ſacrificium, eiuſdemq; ſacerdotes & miniſtros Apoſtolos inſtitui neceſſe fuit; qui loco ſummi ſacerdotis, & ſacris operarentur,& alios in poſterum ſacerdotio imbuerent. Sed quoniam ſic huius rei optimus ordo depoſcebat, vt Apoſtoli, antequam ſacerdotio initiarentur, prius laico ritu ſummi & Principis ſacrificij, Chriſto operante, ſub vna ſpecie panis, participes efficerentur; factum eſt, vt Chriſto, qui omnem legem adimplebat, antequam

Sacerdotij & ſacrificij inſtitutio.

Hebr. 13.

extra

extra caſtra, & ciuitatem pateretur, in ſancta intro-
Hebr. 9. iens corpus Deo Patri offerendo, per ſuum ſanguinem ſe ſanctificaret, atque ſacerdotem ſecundum ordinem
Pſal. 109. Melchiſedech ageret. In qua oblatione & ſacrificio cùm ſacerdos ſine populo eſſe non poſſet, Apoſtolos omnino adhiberi oportuit, qui huius noui ſacrificij participes effecti, populum primò agerent, antequam ad ſacerdotij dignitatem aſſumerentur. Neque verò quenquam ita rerum iſtarum ignarum exiſtimo, qui Apoſtolos à Chriſto ſacerdotes creatos eſſe ſine vlla ſacrorum ſignificatione, facilè credat. Nam cùm ante ſacram illam cœnam, nullius ſacrificij facti ſint per Chriſtum participes, nec ad vllum ſacrificium noui Teſtamenti & ſacerdotij ſint adhibiti conſortes; proculdubio ante hoc tremendum ſacrificium nondum ſacerdotes ſe eſſe intellexerunt, atque ſic in ipſo ſacrificij exordio, Chriſtum ſub ſpecie panis ſolum, laici prius ſuſceperunt, quàm à Chriſto ſacerdotio imbuerentur. Ac proinde poſtquam de ſacrificio ſub vna ſpecie, vt populus delibârint, teſti-

Apoſtoli, laici in vltima cœna quomodo fuerint; & ſub vna panis ſpecie communicauerint.

Luc. 22.
1. Cor. 11. bus Luca & Paulo, dictum eſt illis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis, ſi vniuerſam Eccleſiam, atque adeò clariſſimos, vetuſtiſſimoſq; Patres audimus, Apoſtolis atque eorum ſucceſſoribus corpus & ſanguinem Chriſti conſecrandi & offerendi poteſtatem, tum factam, tum mandatam eſſe contendimus. Quod ipſum quoque ſuperiùs D. Clèmentis, Iuſtini, & Oecumenij ſententiis diſertè probatum eſt, quibus hoc in loco, quæ Dionyſius, Irenęus & Cyprianus poſteritati mandârunt,
De Eccleſ. Hier. c. 3. addere lubitum eſt: Dionyſius enim ita ſcribit: *Quocirca reuerenter ſimul & ex Pontificali officio, poſt ſacras diuinorum operum laudes, quòd hoſtiam ſalutarem (quæ ſuper ipſum eſt) Pontifex litet, ſe excuſat, ad ipſum primum decēter exclamans:*

Apoſtoli quomodo creati ſacerdotes in vltima cœna.

Tu dixiſti: Hoc facite in meam commemorationem. Cyprianus verò: *Nam ſi in ſacrificio*, inquit, *quod Chriſtus obtulit, non niſi Chriſtus ſequendus eſt, vtiq; id nos obaudire & facere oportet, quod Chriſtus fecit, & quod faciendum eſſe mandauit.* Et quibuſdam interpoſitis. *Nam ſi Ieſus Chriſtus Dominus & Deus noſter ipſe eſt ſummus ſacerdos Dei Patris, & ſacrificium Deo Patri ipſe primus obtulit, & hoc fieri in ſuam commemorationem præcepit: Vtiq; ille ſacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id, quod Chriſtus fecit, imitatur, & ſacrificium verum & plenum, tunc offert in Eccleſia Deo Patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundum quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.* Hęc Cyprianus. Irenæus autem in hunc modum ait: *Sed & ſuis diſcipulis dans conſilium, primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed vt ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint; eum qui ex creatura panis eſt, accepit & gratias egit, dicens: Hoc eſt corpus meum; & calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & noui Teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in vniuerſo mundo offert Deo.* Iſtis ſententiis Patrum, doctrina & Martyrio clariſſimorum manifeſtiſſimè patet, & Chriſtum in vltima cœna corpus ſuum obtuliſſe, & Apoſtolis ſacerdotibusque poteſtatem dediſſe, idem conſecrandi & offerendi. Sic [a] Euſebius Pamphilus, [b] Chryſoſtomus, [c] Ambroſius, [d] Iuſtinus, [e] Clemens, & [f] Auguſtinus, [g] Heſychius, vt ſuperiùs docuimus, vnanimi conſenſu teſtificantur. Ex quo illud ſequitur, Apoſtolos, antequam eſſent in ſacerdotij huius noui ſacrificij dignitatem aſſumpti, venerandum Chriſti corpus ſub vna tantùm ſpecie, more laico ſumpſiſſe; vt cùm Chriſtus ſui corporis oblatione, ſacerdotem, ipſi populum laicum communione agerent. Atq; ſic poſtquam Chriſtus legem per omnia adimplẽs, & cœnam conſummans

Vnius ſpeciei communio Apoſtolis à Chriſto quando data?

Lib. 1. epiſt. 3.

Lib. 4 c. 32.

a Lib. 5. c. 3. de demõſt. Euang.
b Hom. 83. in Matth. 26 c. In ca. 10. ad Hebræos.
c In Pſal. 38.
d Apol 2.
e Lib 8 ca. vlt Apoſt. Conſt.
f Lib 3. de conſen Euang. c 25; Ser. de Feria 2. & 3. Paſch. Epiſt 59. ad Paulinum.
g In Leuit. cap. 9.

In Leuit. 16. cap. mans ſemetipſum pro domo ſua & vniuerſo nouo cœtu filiorum Iſrael immolauit: tunc, vt ait Heſychius à Chriſto chorus Apoſtolorum ſacerdotium ſortitus eſt.

ASSERTIO VIII.

Luc. 24. *Chriſtus poſt reſurrectionem duobus diſcipulis in caſtello Emaus, Euchariſtiam ſub vna panis ſpecie dedit.*

QVi ſacros illos vltimæ cœnæ ritus accurata mente conſiderat, facilè in eam, & opinionem & ſententiam deſcendit; vt aſſerat, Chriſtum duobus diſcipulis in caſtello Emaus, corpus ſuum ſub panis ſpecie tradidiſſe. Etenim cùm nullus ignorare poſſit, Chriſti benedictione, & diuina cum imperio precatione in vltima cœna, panem tantùm & vinum in eius corpus & ſanguinem verſa eſſe, ſicut præclarè Ambroſius, tum cæteri Patres teſtantur: proculdubio, cùm idipſum Chriſtus, accepto pane benè precatus ſit, & extemplò euanuit, verum ſuum corpus ſub illa tantùm ſpecie iiſdem miniſtrauit. Hæc enim manifeſtiſſima ſigna erant corporis Chriſti; Benedixerat quippe, & fregerat panem in vltima cœna: vt hoc certo ſymbolo verum ſuum eſſe corpus, Apoſtoli iudicarent. Atque ideò ſolidè à tanto ſigno argumentans Paulus, corpus Chriſti, panem qui frangitur appellauit. Hinc & illa Chriſtianorum ſecuta eſt loquendi conſuetudo, vt frangere panem, corpus Chriſti ſumere, vſitatiſſimè intelligeretur. Qua ex re liquidò conſtat, cùm protinus conſecrato, & fracto pane Chriſtus abierit, diſcipulos illos, nullo modo potuiſſe calicem, qui nec datus, nec conſecratus fuit,

Vnius ſpeciei communio duobus diſcipulis in Emaus eſt data.

Lib. de iis qui initiãtur myſteriis, cap. 9. & lib. 4 de Sacramen. cap. 4.

1. Cor. 10.

Actor. 2. & 20.

Calix in Emaus non eſt datus.

fuit, ſumere. Sed quoniam in fractione panis aperti ſunt oculi eorum, vt Dominum Ieſum cognoſcerent: ideò D. Auguſtinus fractionem illam, Euchariſticam & Sacramentalem interpretatur, dum ait: *Non incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuiſſe, ne agnoſceretur Ieſus; ſed tamen à Chriſto facta eſt permiſſio vſque ad Sacramentum panis, vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Chriſtus poſſet cognoſci.* Huic ſententiæ Theophylactus his verbis adſtipulatur: *Et quando permittit, tunc aperiuntur oculi illorum, & agnoſcunt eum: Inſinuatur & aliud quiddam, nempe quòd oculi eorum, qui benedictũ panem aſſumunt, aperiuntur, vt agnoſcant illum. Magnam enim & indicibilem vim habet caro Domini.* Ecce, his verbis manifeſtè vides Sacramentum Euchariſtiæ intelligi. Ad eundem planè modum D.[a] Chryſoſtomus, &[b] Venerabilis Beda, &[c] Euthimius, & complures alij, vt[d] Auguſtinus,[e] Heſychius,[f] Innocentius, locum illum exponunt, vt proinde leuis meritò cenſeri debeat, qui non ſolùm optimis rationibus, ſed tantis etiam ac tot Eccleſiæ Patribus poſthabitis, priuatam ſententiam ſuam ſequi velit. Vnde Melanchthon etiam, ne tantam ignorantiæ notam incurriſſe videretur, facilè ſubſcripſit communi prædictorum Patrum ſententiæ, dum ſic ait: *Non reprehendimus communem perſuaſionem veterum, qui arbitrantur Chriſtum ibi, Luc. 24. conuiuantem dediſſe duobus illis viris Sacramentum corporis & ſanguinis ſui, & credibile eſt Apoſtolos paſſim in ædibus amicorum, Actor. 2. concionatos & conuiuatos eſſe, & ibi diſtribuiſſe Sacramentum piis auditoribus.* Cur igitur plerique neglecto præceptore ſuo, nedum poſthabitis tot ac tantis Eccleſiæ Patribus innixi prudentiæ ſuæ, benedictionem & fractionem illam panis Sacramẽtalem fuiſſe negant?

Fractio panis Euchariſtica & Sacramentalis probatur.

Lib. 3. de conſen. Euang. c. 25. Serm. 1. feriæ 2. & ſer. 3. feriæ 3. Paſch.

In cap. 24. Luc.

a Hom. 23. ſup Matth.
b In 24. ca. Luc.
c In 24. ca. Luc.
d Tom. 4. lib. 3. de cõſen Euãg.
e Lib 9. in Leuit.
f Lib. 6. ca. 7. & 9. de Miſſa.

Melanchthon fractionem panis in Emaus Sacramentum fuiſſe concedit.

De vſu integri ſacrã.

negant? Nec eſt quod Aduerſarij verba ipſa conſecrationis, *(Hoc eſt corpus meum)* deſiderari dicant. Etenim ſatis ſuperque illis verbis: *Benedixit & fregit*, inſinuauit ſe conſecrâſſe; maximè cùm tota ratio conſecrationis, partim quidem ex cœnæ ritu, partim verò ex prima creſcentis Eccleſiæ conſuetudine, partim denique colligatur ex Paulo, qui panis fractionem appellat, vt etiam propterea Sacramentum rectè intelligatur. Neque
Actor. 2. enim conſueuit D. Lucas formam verborum Baptiſmi,
9. 10. aut aliorum Sacramentorum referre, cùm enarrat va-
16. rios baptizatos paſſim fuiſſe. Sed mirum eſt, cur hoc in loco Aduerſarij verba Sacramenti huius, à Luca poſtulent; cùm in ſuis illis cœnis plerique per contemptum iis non vtantur, adeò, vt exiſtiment non verba Chriſti, ſed propriam cuiuſque fidem, quam potius opinionem dixerim, contra omnium Catholicorum indubitatam ſententiam, conficere Sacramentum. Verùm, ſi ſacram Chriſti benedictionem & venerandam panis fractionem cum Eccleſia ſuſceperint, atque conſecrationem veram intellexerint; proculdubio, ita Chriſtum in Sacramento cognoſcent, vt depoſito proprio ſenſu, vnà cum
Luc. 24. illis duobus diſcipulis in ſanctam Hieruſalem, ad cœtum Apoſtolorum, & Eccleſiæ gremium, omni ſapientia imbuti, reuertantur.

Aduerſarij frequenter in cœnis ſuis non vtuntur verbis conſecrationis.

Aduerſariorum error, quòd Sacramentum fide hominum cõſecretur.

ASSERTIO IX.

Ex Cap. 6. Ioannis euidenter probatur, Euchariſticam ſub vna tantùm panis ſpecie communionem à Chriſto promiſſam, & id-

circo laudabilem, ſalutarem & ſufficientem eſſe.

QVoniam ſuperiùs declaratum eſt, inaniter & fruſtra Aduerſarios ex 6. cap. Ioannis patrocinium ſuæ opinionis protuliſſe ad confirmandam vtriuſq; ſpeciei communionem; operæ pretium duxi, ſi iam paucis commonefaciam, in hoc capite potius multis Chriſti verbis eandem nobis ſub altera ſpecie commendari. Etenim Chriſtus, communi Patrum teſtimonio, diſertè ac manifeſtè hoc capite ſui ſacroſancti corporis & ſanguinis veritatem in hoc venerando Sacramento, quod erat in cœna vltima inſtituturus, docet, ac ſimul etiam non obſcurè declarat cauſſam, effectum, vſumque huius Sacramenti aptiſſimum & conuenientiſſimum. Caro namque Chriſti & ſanguis diuinitati coniuncta eiuſmodi ſunt, vt ſub ſpecie panis edentibus vitam æternam, hoc eſt, gratiam diuinam, qua vita æterna propagatur, certiſſimè conferant. Ac proinde cùm idem Chriſtus ſummo cum amore carnem ſuam & ſanguinem manducandum præciperet, & omnino eis mandaret, qui ſibi obtemperare vellent; rationem adhibuit, & modum attemperauit, quo ſine vllo horrore, & edendi difficultate, carnem & ſanguinem ſumerent: *Ego enim*, inquit, *ſum panis vitæ. Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi. Hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Panis quem dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Atque hic eſt modus, hæc eſt ratio, hæc eſt ſpecies vna & vſitatiſſima, proinde & ſapientiſſimè à Chriſto declarata, qua virtutem

Cap. 1. aſſ. 1.

Vnius ſpeciei communio à Chriſto nobis cõmendatur.

Ioan. 6.

Veritas corporis & ſanguinis Chriſti in Sacramento probatur.

Vnius ſpeciei effectus plenarius probatur.

Ioan. 6.

Vnius ſpeciei modus à Chriſto declaratus.

tem & ſummum huius Sacramenti beneficium commodè admodum conſequi poſſumus. Ac proinde mirum non eſt, ſi hoc totum caput 6. quod pro nobis eſt, Aduerſarij ad inanes figuras & ad nouas interpretationes contra omnium maiorum ſententiam, ſuppreſſa & contempta Sacramenti veritate, traducere conantur. Hoc enim capite, ſiue veritatem in Euchariſtia corporis & ſanguinis negent, ſiue Chriſtum pani compingant, ſiue vtramque ſpeciem laicis mandatam eſſe populariter aſſeuerent, ſe dum hoc agunt, fidem in Chriſtum labefactare, & cum Capharnaitis retrocedere à doctrina veritatis demonſtrant. Nam, vt Theophylactus ait: *Panis, qui in myſteriis à nobis aſſumitur, non ſolùm figuram gerit carnis Chriſti, ſed ipſe eſt vera caro Chriſti. Non enim dixit: Panis quem ego dabo, figuram carnis meæ gerit, ſed caro mea eſt. Tranſmutatur ſiue transformatur autem inenarrabilibus ſiue arcanis verbis iſte panis, per myſticam benedictionem & habitationem Spiritus ſancti in carne Chriſti.* Iam verò cùm ſolùm fiat panis ſpeciei aliquoties mentio, nec vinum, nec aliquis alius liquor præter Chriſti ſanguinem quidem nominetur; quis non videat, Chriſtum panis ſpeciem ideò præcipuam Sacramenti huius inſinuâſſe, vt declararet ſuo mandato abundè ſatisfactum iri, ſi laici ſub ſpecie panis carnem & ſanguinem ſuum manducarent. Tota hæc proinde Chriſti doctrina à panibus hordeaceis, quibus ad ſaturanda quinque hominum millia nullus potus adhibitus fuit, & à veteri manna, quod omnem ſaporis, non admixto aliquo liquore, ſuauitatem continebat, deducta eſt: qua peropportunè turbam maximè & laicum populum inſtituebat vnà cum diſcipulis, nondum ſacerdotio imbutis; qua ratione & modo

In 6. cap. Ioan. In Matth. 26. In Mar. 14.

Veritas corporis & ſanguinis Chriſti in Sacramento probatur.

Ioan. 6. Matth 15. Marc. 6. Luc. 9. Sap. 16.

ſuam carnem manducare, & ſanguinem bibere, ſine vlla difficultate commodè poſſent. Neque verò ratio huius Sacramenti, ſi vſum & fructum conſideres, aliud deſiderare videtur, quàm vt Chriſtum ſiue ſub altera, ſiue ſub vtraque ſpecie manducemus. Etenim cùm is ſummus ſit Chriſti in nos amor, vt per ſuiipſius ſumptionem eidem coniuncti, diuinis donis cumulemur; abundè tantæ voluntati reſpondebitur, ſi ſub vna ſpecie panis, quàm maximè turbæ hoc loco & Apoſtolis nondum in ſacerdotes conſecratis commendat, ſacratiſſimo corpore, & ſanguine ad ſuæ totius vitæ ſanctiſſimæ memoriam alamur, & confortemur. Nam cùm Dominus noſter 6. Ioan. rudi adhuc multitudini rationem ſacerrimi corporis & ſanguinis manducandi traderet, ſpeciem panis tanquam vſitatam & cõuenientem illis voluit commendare, ſub qua omnium ſuarum actionum memoriam habentes, ſuiipſius corporis, & omnis gratiæ euaderent manducando participes. Hinc illud omnino ſequatur oportet, magis rationi & non ſacrificantium conditioni eſſe conſentaneum, vt ſub vna ſpecie panis, ſi mentem Chriſti hoc in capite ſequi velint, Sacramento vti ſit liberrimum.

ASSERTIO X.

Apoſtolorum tempore ſub vna ſpecie communio fuit in Eccleſia Dei, libera & pia cõſuetudine vſurpata.

INtelligebant Apoſtoli proculdubio ſe miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum & multiformis gratiæ Dei, à ſummo ſacerdote Chriſto, ita eſſe conſtitutos, 1. Cor 4. 1. Pet. 4.

tutos, vt quæ ab eodem audiuiſſent, vidiſſent, & hauſiſſent, in adminiſtratione Sacramentorum populo Chriſtiano accuratè traderent. Quoniam autem memoria *Vnius ſpecies communio exemplo Chriſti per Apoſtolos introducta.*
Ioan. 6. firma & recenti tenebant; Chriſtum ſic ante plenam inſtitutionem docuiſſe turbas, & laicum populum de veritate ſui corporis & ſanguinis in Sacramento, vt potius ad vnam panis ſpeciem, nulla facta vini mentione, dum ſumere vellent, inclinârit; deinde poſt Sacramenti inſti-
Luc. 24. tutionem duobus diſcipulis in caſtello Emaus ſub vna panis ſpecie miniſtrâſſe: non poterant Apoſtoli & diſcipuli, doctrina & exemplo Magiſtri perfectè informati, non eandem rationem diligentiſſimè ſeruare atque po-
Gal. 1. & 2. ſteris mandare. Vnde Paulus reuelatione Chriſti & Apoſtolorum conſuetudine ſolidè inſtructus, ad memoriam reuocans Sacramenti inſtitutionem, aliam rationem ſacrificij & conſecrationis, aliumque eiuſdem Sa-
1. Cor. 10. cramenti vſum eſſe manifeſtè docet. Nam, cùm ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nōne participatio ſanguinis Chriſti eſt? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Chriſti eſt?* Sacrificij & conſecrationis myſterium inſinuat. Siue enim laicus corpus Domini ſub panis ſpecie ſumat, ipſe etiam verè ſanguini communicat; ſiue non ſumat, ſed ſacrificio deuotè tamen interſit ſanguinis in cruce effuſi, ipſa ſacerdotis benedictione ſpiritualiter eſt particeps. At verò, cùm de adminiſtratione & vſu huius Sacramenti ſiue ſacrificio agit Paulus, mox to-
1 Cor. 10. tam rationem ad vnam ſpeciem panis deducit: *Quoniā,* inquit, *vnus panis, vnum corpus multi ſumus, Omnes qui de vno pane & de vno calice participamus.* Atque vt hoc ipſum confirmet, conſuetudinem in ſacrificiis Iudæorum ad *Vnius ſpecies cōmunio à Diuo Paulo commēdatur & traditur.*
Leuit. 10. mentem reuocat. *Videte,* inquit, *Iſraël ſecundum carnem, nonne qui edunt hoſtias participes ſunt altaris?* Hîc vides ca-

licem non repeti, quoniam vſus Iudæorum non ferebat, vt vinum in ſacrificiis biberent. Ex quo manifeſtè & clarè admodum patet, à Paulo hoc ſacroſanctum corporis & ſanguinis Domini Sacramentum & ſacrificium, facta Iudæorum & gẽtilium ſacrificiorum comparatione, probari, & idem ſub vna ſpecie panis abundantiſſimè miniſtrari. Atq; hoc ipſum, quod Paulus ſcribebat Corinthiis, gentilitiis cærimoniis plus æquo addictis, ante eorum ad fidem conuerſionẽ, idipſum Apoſtoli vulgata conſuetudine & approbata vſurpârunt. Erant aũt circiter tria milla hominũ, poſtquam diſcipuli Spiritu ſancto illuſtrati fuerant; omnes perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis & orationibus: Sic planè Troadi vna Sabbati, Paulo præſente & auctore, factum eſt, cùm conueniſſent ad frangendum panem; vbi primi Chriſtiani ſub vna ſpecie ſine vlla controuerſia Sacramento potiti ſunt. Quibus ex locis manifeſtum euadit, Apoſtolos atque eos, qui recèns ad fidem transferebantur, ſub vna ſpecie Sacramẽto corporis & ſanguinis Chriſti vſos fuiſſe. Neque enim alius quiſpiam panis, aut epulum prophanum his Scripturis ſacris intelligi poteſt, ſi mentem tum ad exordia inſtitutionis Sacramenti, tum ad ea, quæ à priſcis Patribus tradita, modò in Eccleſia geruntur, reuocauerimus. Sic enim Chriſtum Matthæus, Marcus, Lucas, Paulus coniunctis ſentẽntiis egiſſe teſtantur, adeò, vt benedictio ſiue conſecratio & fractio ſigna ſint euidentia & manifeſta Sacramenti corporis & ſanguinis Domini. Quæ, cùm Chriſtus Apoſtolis diuino ſuo iudicio voluit eſſe commendata; per maiorum manus ſeu traditiones in Eccleſia ad hoc vſq; tempus perdurârunt. Nam non ſolùm ſacerdos in ſacerrimo Miſſæ ſacrificio cum

Vnius ſpeciei communio per Apoſtolos quomodo introducta.

Actor. 2.

Actor. 20.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

longa

Apolog. 1. longa gratiarum actione (vt Iuſtinus etiam ſentit) conſecratum panem frangit, ſed & populus Chriſtianus tum doctrinæ ſacræ, qua eruditur, tum oblationi facultatum, tum precibus pro ſua pietate dat operam. Atque hæc omnia, vtpote doctrinę Chriſti & Apoſtolorum auditio, ad pauperes & myſteria altaris oblatio, oratio, & gratiarum actio, conſecratio, panis fractio, adeò ad cultū diuinum atq; Chriſtiani populi ſacra pertinere iudicantur; vt ad profanos cibos omnino transferri ſine ſtultitia

Actor. 2. nō poſſint. Hoc ipſum Lucas palàm facit; vt, cùm fractionem panis ita inter res diuino cultui & ſacris cōiunctas, vtpote doctrinā Apoſtolorum, oblationem & orationē poſuerit, ridiculum ſit planè & propemodū ſacrilegium ad cibum communem & vulgarem transferre, cùm eadem paulò pòſt in fine capitis, à cibo & menſis cōmunibus omnino ſeparet, cùm ait: *Quotidie quoq; perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panē, ſumebāt cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis.* Vides hîc ſacram menſam, fractionem nimirum panis, à cibo cōmu-

Actor. 20. ni diſtingui. Simili modo 20. cap. Act. eiuſmodi fractionē panis ait factam eſſe vna Sabbati, hoc eſt, feſto die, cùm diſputando fidem propagaret, atque aſſereret Paulus, ita vt non in epulis conuiuans, ſine timore ſemetipſum paſcens, ſed diuino doctrinæ pabulo & ſano corporis

Iud. epiſt. Chriſti cibo, ſe & alios ſaturans, vſq; ad multam noctem perdurauit. Quanquā illud negari non debet in exordio Eccleſiæ naſcentis, ita ſacroſancta panis fractione vſos fuiſſe Chriſtianos, vt peractis longis antelucano tēpore gratiarū actionibus, oēs, ſicuti [a] Tertul. & [b] Iuſtinus locupletes teſtes ſunt, poſt ſumptū Euchariſtiæ Sacramentū cibo cōmuni, quem agapen vocitabant, cū exultatione & ſimplicitate cordis, fatigati refocillarētur. Quò factū

[a] Lib. 2. ad vxor. lib. de orat. lib. aduerſus gentes, ca. 39. [b] Iuſtinus 2. Apol.

eſt,

eſt, vt cùm Corinthij inſolentiùs, & ſuo more Græco effuſiùs epulis indulgerent, grauiter à Paulo ſint caſtigati, quòd cœnam Domini vinolentis ſympoſiis deturparent. Hoc ipſum etiam D. Chryſoſtomus planum facit his verbis: *Quemodmodum in tribus millibus, qui principio crediderunt, omnes communiter comederunt, & in communi omnia poſſederunt; ita & tunc, cùm hoc ſcripſit Apoſtolus, factum eſt, &c.* Et paulò pòſt: *Communes autem faciebāt menſas inſtitutis diebus, vt decebat, & collectione perfecta poſt myſteriorum communicationem, ad commune omnes epulum conueniebant.* Auguſtinus autem, vti Chryſoſtomus, per fractionem panis, Sacramentum ſine vlla controuerſia intelligit. Sic enim ad Caſulanum ſcribit: *Et ita eadem nocte fracturus Paulus panem, ſicuti frangitur in Sacramento corporis Chriſti, produxit ſermonem vſq; ad medium noctis; vt poſt Sacramenta celebrata, rurſus vſq; ad diluculum alloquens congregatos, quoniam multum feſtinabat, vt luceſcente proficiſceretur Dominico die.* Interim diffitendum non eſt, D. Auguſtinum arbitrari, huic panis fractioni, nō additum fuiſſe Troadi alium cibum ob auiditatem audientium verbum Dei, & feſtinationem Pauli: *Quamuis*, inquit, *ab iſtis auidiſſimè Paulum audientibus, atque ideò magna ſiti non aquæ, ſed verbi ſine ſatietate quicquid influebat haurientibus, non tantùm carnale prandium, verùm etiam cœna contempta eſt.* Ex quo patet, non niſi per fractionem panis Sacramentum corporis Chriſti intelligi debere, quemadmodum & doctiſſimi Patres ſunt interpretati, quibus etiam [a] Caluinus, [b] Lutherus, & plerique Aduerſarij, ipſa veritate compulſi, conſenſerunt. Verùm, nec in eam tamen doctrinæ leuitatem labendum eſt, vt ſacram hanc panis fractionem ad vtriuſque ſpeciei communionem contra omnem rationem & maiorum conſenſum trahamus.

Cùm

Margin notes:

Hom. 17. in 1. Cor. 11.

Epiſt. 86.

Vnius ſpeciei communionem D. Paulus ſumpſit & aliis porrexit.

Actor. 20.

Ibidem.

Fractio panis Sacramentalis apud Paulū fuit.

[a] Lib. 4. inſtit. cap. 17. ſect. 35.

[b] Tom. 7. German. VVitt. in ſer. de Euchar. & fraternitatib. & Tom. 1. Ienenſi, pūcto 18.

Cùm enim vnam ſpeciem, panem nimirum, Lucas aliquoties ſingulis capitibus, 2. 20. 27. abſque vlla vini mentione vſum Sacramenti commemorando inculcet & repetat, quî fieri poteſt, vt in tam celebri & frequenti narratione calicis oblitus fuerit, ſi communi populo Chriſtiano calicem Apoſtoli, vel Paulus adminiſtrâſſet? Hîc Aduerſarij validè tropis, vt ſolent, in aperta luce armentur, neceſſe eſt, ſi id quod manibus & oculis tenemus, ex ſenſibus, atque adeò ratione nobis eripere cogitent. Etenim non intelligo, cur Diuus Lucas hunc Sacramenti vſum (ſi calicem coniunctum habuiſſet) quem maximè poſteritati monimentis literarum ſacrarum mandari oportebat, in tam crebra panis repetitione neglexerit. Adeóne hebes (abſit verbo maledictum) adeò parum diuino ſpiritu illuſtratus fuit, vt, quod erat ſaluti hominum neceſſarium, per negligentiam (obliuiſci enim non poterat) planè reliquerit; cùm id, quod ſine doctrinæ alicuius magni momenti iactura præterire poterat, non prætermiſerit? Quid enim erat, vt tam accuratè Iudæorum 40. conſpirationis iuſiurandum, ſe neque manducaturos, neque bibituros enarraret, ac rurſus ſecundò vtrumq; ſe non manducare & bibere, donec Paulum occiderent, repeteret? Quid iſtud eſt, quod tam diligenter Lucas & manducare & bibere, quod ſine myſterio eſt, inculcat; illud autem quod ad ſalutem, ad Chriſtianorum ſacra & ſacrificia pertinet, toties data occaſione ſilentio obruerit? Quî fieri poteſt, ſi (quemadmodum Aduerſarij malè opinantur) præceptum eſt ſub vtraq; ſpecie communicãdi, vt D. Lucas fractioni panis, ad minus calicem benedictionis, in tot locis non adiunxerit? Hîc profectò fateamur omnes, neceſſe eſt, calamo & digito Dei factum &

Fractio panis non habuit calicem.

Actor. 23.

ſcriptum eſſe, Apoſtolos ſub vna ſpecie populo ſacrum fregiſſe panem; vt intelligeremus nobis id eſſe cum libertate, ſub vna ſpecie communicando ſequendum, quod ipſis & impoſito legis onere erat ad tempus ſub vna ſpecie communicando faciendum. Atq; hoc ipſum primùm ex Iudæis ſurgentis Eccleſiæ ratio & temporum neceſſitas exigebat. An tandem quiſpiam inuenietur de literis ſacris ita malè meritus, qui ignorare poſſit ex Hebrçorum gente, ad quam primùm & Chriſtus & Apoſtoli miſſos ſe fatētur, populi Chriſtiani iacta eſſe fundamenta? In quibus fulciendis & ſolidè ſtabiliendis nō ſine ſumma contentione laboratū eſt, vt dum noua Chriſti turris exædificaretur, vetera paternarum legum rudera ſenſim abſque graui offenſione ſepelirentur. Hoc autem dum fieret, neceſſe fuit, vt Apoſtoli & per eos ex Iudæis ad fidem tranſlati, inter ritus & ſacra à Chriſto demandata, cærimoniis etiam priſcæ legis per aliquot annos, prout poterant, vterentur. Ac proinde etſi in Principe illo & ſummo Apoſtolorum Concilio magna conquiſitione facta decretum eſt, gentes ritu circumciſionis non obligari; tamen ab hoc & pleriſque aliis legis oneribus ij, qui ex Iudæis Chriſto nomen dederant, liberati hac Apoſtolorum ſanctione non fuerunt: quin potius Paulus non modò Timotheum, matre Hebræa, patre gentili natum, circumcidit; ſed Iacobi & ſeniorum ſuaſu tonſo capite cum aliis quatuor, qui votum oblationis Deo nuncuparent, templum petiit, vt ſecundum legis ritum pro ſe ſacrificaretur: quin, vt ait Scriptura, aliquot millia ex Iudaicis erant, qui crediderant, & tamen omnes æmulatores erant legis. Ex quo Apoſtoli & Chriſtiani populi maiores, nullo modo poterant ſine grauiſſima offenſione, & ſumma multorum iactura cærimo-

Vnius ſpeciei communio cur apud primitiuos in vſu fuit.

Legalia cur ad tempus tolerata.

Matth. 15. Actor. 13. Actor. 15. Actor. 16. Num. 15. Actor. 21.

rimonias penitus abrogate. Vnde Chriſti noui ſacerdotis & legislatoris mandatis ſic obtemperârunt, vt leges patrias violare non iudicarētur. Ita diuino & nouo Baptiſmo ad remiſſionem peccatorum ſic abluebantur, vt tamen à variis lauacris, à lege imperatis, abſtinere nō dicerentur. Simili planè modo ſacerrimo ſecundum ordinē ſacerdotij Melchiſedech ſacrificio, corpori & ſanguini Chriſti operam dederunt, vt priſcis ſacrificiorum cærimoniis ad offenſionem non repugnarent, omnia noua legis Sacramenta & ſacrificium, ſic ſtante templo & ciuitate contemperârunt, vt quantum neceſſitas temporis exigebat, & vetera monumenta diligenter conſeruarent, & noua Chriſti decreta prudentiſſimè propagarent. Iam verò cùm in ſacrificiis lex data, & veteri vſu recepta eſſet, vt vinum à Iudæis non potaretur, ſed in victimas effunderetur: Profectò ſine ſumma legis offenſione fieri non poterat, vt in nouo aliquo Chriſtianorum Sacramentorum vſu & ritu vinum in conſpectu Iudæorum potaretur. Nam ſine dubio in exordio Eccleſiæ ex Iudæis fundatæ, grauiter eo modo ij reprehenſi fuiſſent, qui vinum in ſacrificio nouo hauſiſſent; atque olim à Moyſe Ægyptij cum execratione contempti ſunt, qui de ſuorum ſimulacrorum victimis comedebant adipes, & biberunt vinum libaminum, vt ſcribit Apoſtolus: *Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis, quemadmodum ſcriptum eſt; Sedit populus manducare & bibere.* Atq; ideò Paulus, dum ſacra Iudæorum & Gentilium ad vnicum Chriſtianorū ſacrificium comparat, ait; Iſraël ſecūdum carnem edere hoſtias, participemque fieri altaris ſine vlla libaminum vini, quod effundebatur, mentione: Gentes verò calicem dæmoniorum bibere, & de menſa eorundem comedere: Chri-

Hebr. 9. Num. 15. Num. 28. Deut. 32. 1. Cor. 10.

ſtianos autem panis fractione, corporis Domini fieri comedẽdo participes. Vnde liquidò patet, Apoſtolos fra- *Actor. 2. & 20.*
ctione panis ſub vna tantùm ſpecie panis Sacramentum

Vna ſpecies cur Iudæis conuerſis data.

Vtraq; ſpecies cur gẽtilibus conuerſis data.

iis miniſtrâſſe, qui ex Iudæis aſſumebantur; reliquis verò, qui ſimulacrorum cultui nuntium remittebant, per indulgentiam ſub vtraque ſpecie Sacramentum concedebatur, quemadmodum Paulus apertè declarat, cùm ait: *Quicunq; manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini, &c.* *1. Cor. 11.* Quibus intelligit, nullam Corinthiis ſub vtraque ſpecie Sacramentum ſumendi poſitam eſſe, ex eorum conſuetudine, neceſſitatem. Verùm enimuerò non ſolùm omnibus Iudæis lex cõmunis impoſuerat, vt à vino libaminum ſacrificiorum abſtinerent, ſed & in priuatis, qui Nazaræi vocabantur, religio effecerat, *Num. 6.* vt quamdiu votum certo ſacrificij genere nõ ſoluiſſent, vinum minimè deguſtârẽt. Horum ordini & numero nõ ſolùm pleriq;, qui per Apoſtolos Chriſtum profitebantur, ſed ex Apoſtolis aliqui nomina dederant; vt de Paulo & aliis Lucas, de Iacobo Egeſippus manifeſtè memoriæ prodiderunt: *Actor. 18. Actor. 21. Euſeb. li. 2. hiſt. Eccl. c. 22.* quorum ille certo aliquo tempore huic vitæ generi, hic verò ferè tota vita ſe religioſiſſimè mancipârat; adeò, vt illi non ſine & grauiſſima offenſione & acerbiſſima execratione omnium Iudæorum, qui Chriſto crederent, vinum deguſtare non poſſent, niſi abſoluto certo tempore, & cæſariem, quam in ſignum nuncupati voti geſtabant, victimaſque lege ſancitas Deo ſacrificâſſent. Et quoniam hanc rationem viuendi ex Dei præcepto Iudęi ſacroſanctam habebant, cauerunt proculdubio Apoſtoli, qui etiam poſt Chriſtum eiuſmodi religioni ſe deuouebant, ne vlla ratione nouo Chriſti ſacrificio, violaretur. In quo ſi præceptum ſub vtraq; ſpecie ſumendi corpus & ſanguinem Chriſti

Num. 6. eſſe impoſitum animaduertiſſent; facilè ab eiuſmodi
Iud. 13. Nazaræorum inſtituto & religione, quemadmodum à Circumciſione, abſtinuiſſent. Sed quoniam recens fundata ex Iudæis Eccleſia religioſiſſimè in id incumbebat, ne patriæ leges derepente violarentur; maluerunt Apoſtoli neceſſitati temporum, quamdiu ciuitas cum templo incolumis ſtaret, ſeruire, quàm id, quod Chriſtus in Sacramento liberum reliquerat, ad mandati neceſſitatem traducere. Vnde ſacroſanctum corpus & ſanguinē
Actor. 2. Chriſti ſub vna panis fractione ad Chriſti exemplum,
De ſcriptoribus Eccleſiaſticis. qui Iacobo poſt reſurrectionem, vt teſtis eſt Hieronymus, & duobus diſcipulis benedictione & fractione panis communionem ſub vna ſpecie dedit, Apoſtoli Iudæis miniſtrare voluerunt.

CAPVT QVINTVM,

QVINQVE ASSERTIONIBVS CONSTAT, QVIBVS PROBATVR PATRVM, ſi non omnium, ſaltem præcipuorum, teſtimoniis, certiſsimis hiſtoriis & manifeſtis miraculis, communionem ſub vna ſpecie ab Apoſtolorum temporibus ad noſtram vſque ætatem, vbique ferè locorum per Eccleſias, à populo Chriſtiano fuiſſe frequentatam.

ASSERTIO PRIMA.

Communio ſub vtraque ſpecie à temporibus Apoſtolorum vſque ad Conſtantini Magni Imperium, vti neceſſaria, agnita non fuit.

EX doctrina, vſu, & Apoſtolorum conſuetudine aliud certè in Sacramenti huius adminiſtratione & ritu per manus tradi non poterat, quàm quod eoſdem Apoſtolos vſurpâſſe & feciſſe deprehenſum erat. Et quoniã paulò antè demonſtratũ eſt, partim legis adhuc florẽtis neceſſitate, partim quorundã pio & approbato inſtituto & vitæ genere, Apoſtolos inter Iudæos ſub vna ſpecie, inter Gentiles & ſub vna & ſub vtraq; ſpecie Sacramentum per annos plurimos adminiſtrâſſe: factũ eſt, vt eorundem diſcipuli, ac poſtmodum eorundẽ poſteri, eandem liberam Sacramento vtendi rationem, rectiſſimè tenuerint, & ad nos longa temporum ſerie ſine vlla vnquam controuerſia tranſmiſerint. In quo certè ipſa Eccleſiæ veritas diutiſſimè ad omnium noſtrorũ conſolationem victrix glorioſa triumphauit: quæ etſi in aliis fidei dogmatibus hæreticorũ paſſa eſt & fortiter ſuſtinuit ſemper impetum; nunquam tamen minus atq; in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, & maximè in eiuſdẽ vſu ſub vna vel altera ſpecie oppugnata fuit. Maxima enim & pace & tranquillitate Eccleſia Catholica ab Apoſtolis ad Conſtantienſe Baſilienſeq; Cõcilia (quibus Ioannes Huſs & cęteri coniurationis eiuſdẽ auctores proſcripti ſunt) in vſu & ritu ſub vna vel vtraq; ſpecie communi fideliũ conſenſu quietiſſimè vſa eſt. Et quoniam de vtraq; nihil dubitant Aduerſarij, de vna ſpecie vt hanc veritatem à maxima & antiquiſſima, omnibus cognita, & à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo fundata Eccleſià, vt ait Irenæus, deducamus; à D. Clemente, Petri diſcipulo & ſucceſſore, exordium ſumemus.

Vnius & vtriuſque ſpecies libertas in Eccleſia diu fuit.

Clemens igitur, qui, cùm ſumma doctrina Apoſtolicas ſanctiones, tum ſingulari integritatę & fide Sacra-

Epiſt. 2.

mentorum ritus memoriæ & ſcriptis mandauit, ad Iacobum fratrem Domini ſic ſcribit: *Tribus enim gradibus commiſſa ſunt Sacramenta diuinorum ſecretorum, id eſt, presbytero, diacono & miniſtro, qui cum timore & tremore Clericorum, reliquias fragmentorum corporis Domini, cuſtodire debent, ne qua putredo in ſacrario inueniatur; ne, cùm negligenter agitur, portioni corporis Domini grauis inferatur iniuria.* Et paulò pòſt: *Qui autem reſidua corporis Domini, quæ in ſacrario relicta ſunt, conſumunt, non ſtatim ad communes cibos excipiendos conueniant.* Quibus verbis nullam neque calicis, neq; vini, neq; ſanguinis mentionē vides fieri. Ex quo manifeſtum euadit, de fragmentis panis (ſub cuius ſpecie pleriq; etiam ex gentibus conuerſi Sacramentum ſumebant) eandem intelligendum eſſe. Epiſtolas autem D. Clementis hoc argumento reiicere, quòd mortuo Iacobo ſcripſerit, planè ridiculum eſt, cùm conſtat, Clementem Athenis imbutū, morem Platonis in ſcribendo ſeruâſſe, qui, vti Cicero, & cęteri Platonis imitatores, ſæpe mortuos in ſuis libris & diſputantes & loquentes introduxerunt. Quam rationem ſcribendi Clemens etiam in libris Conſtitutionum Apoſtolicarū (erant enim iam pleriq; Apoſtoli mortui) & in epiſtolis pluribus ſeruauit: In quo ſcribendi genere Photius Patriarcha Cōſtantinopolitanus ante annos 800. Clementem collaudās, nullā in eius ſcriptis κακοπλχσίαν reperiri teſtatur. Sed ſi Clementis epiſtolę, quę per Iacobi perſonā ad oēs Epiſcopos tranſmittebātur, ab Aduerſariis reiiciūtur, ſanè & Theodoſij epiſtola reprehendatur & rideatur neceſſe eſt, qui mortuo iam annis 35. D. Chryſoſt. literas, vt teſtis eſt Nicephorus, tranſmiſit. Quin & clariſſimi Patres Niceni ridēdi ſunt, qui, vt idē Nicephorus memoriæ prodidit, libellū conſignatū Chryſantō & Muſonio Epiſcopis iam mortuis,

Vnius ſpeciei communio probatur ex D. Clemente.

Lib. de Oratore. In Somnio Scipionis. Lib. de Amicitia.

Clementis epiſtolæ defenduntur.

Lib. 14. cap. 43.

Lib. 8. cap. 23.

mortuis,vt ſe ſubſcriberent hortantes, detulerunt. Nolo hîc in aperta veritate & comprobandis Clementis epiſtolis diutiùs immorari, cùm certiſſimè conſtet, eiuſdem epiſtolas à Patribus Triburienſis Concilij ante annos ferè 800. Concilij Metenſis ante annos 600. Cōcilij Vaſenſis ſub Theodoſio minore ante 1100. Photio, Gelaſio, Genadio, Leone Magno teſtibus, & Ruffino, qui eas Latinas fecit; tum etiam à vetuſtiſſimis eiuſdem Clementis ſucceſſoribus Anacleto, Euariſto, Alexandro, & Marcello allegari & comprobari. Verùm Aduerſarij Clementis & aliorum Patrum ſcripta clariſſima, & à tota antiquitate comprobata, ideò contempta eſſe volũt; vt errores ſuos facilè ſine arbitris tueri falsò poſſint. Qua in re, videlicet in Clementis epiſtolis reiiciendis, Ebionæos ſequuntur, qui vt virginitatem reſpuerent, Clementis epiſtolas deprauare conati ſunt. Sic enim

Clementis epiſtolas deprauârunt Ebionæi.

Epiphanius ſcribit: *Ipſe Clemens iis epiſtolis, quas ſcripſit encyclicis, quæ ſanctis Eccleſiis leguntur, eos (Ebionæos) in omnibus redarguit: quia alium characterem fides eius, & ſermo habet, quàm ea, quæ illi nomine Clementis corruperunt. In epiſtolis enim virginitatem docet, quam illi non probant. Clemens Heliam, Dauid, Samſon, & omnes Prophetas laudat, quos Ebionæi execrantur.* Hæreſ. 30.

IGNATIVS diuina illa D. Ioannis Euangeliſtæ diſciplina eruditus circa annum Domini, 109. in hunc modum Epheſiis ſcripſit: *Si quis non fuerit intra altare, fraudabitur pane Dei.* Deinde: *Feſtinate ergo frequenter accedere ad Euchariſtiam & gloriam Dei. Quãdo enim aſſiduè hoc ipſum agitur, expelluntur poteſtates Satanæ, qui actus ſuos conuertit in ſagittas ignitas ad peccatum.* Et ſub finem ſubdens: *Frangentes panem, qui eſt medicamentum immortalitatis, antidotum non moriendi, ſed viuendi per Ieſum Chriſtum in Deo catharti-* Epiſt. ad Epheſ.

Vnius ſpeciei communio probatur ex D. Ignatio.

tharticum expellens malum. Ex quibus vides, D. Ignatium etiam Gentiles aſſuetos ad potum in ſacrificiis, hortari tamen, vt Sacramentum ſub ſpecie tantùm panis ſumant. Vnde D. Paulum ad Corinthios imitari volens, ſcribit Philadelphienſibus hoc modo: *Rogo vos, vt inſletis vni fidei, vni prædicationi, vna gratiarum actione vtentes. Vna eſt caro Domini Ieſu, & vnus eſt eius ſanguis, qui pro nobis effuſus eſt, vnus etiam panis pro omnibus confractus, & vnus calix totius Eccleſiæ.* His enim verbis rationem ſacrificij & conſecrationis Sacramenti ab eiuſdem vſu & adminiſtratione manifeſtè, vt D. Paulus loco ſuperiùs citato, ſecernit. Etenim in conſecratione & ſacrificio vtraque ſpecies, panis & vinum conuenienter adhibentur, at in vſu laïcorum & non offerentium, panis ſolùm frangi dicitur. Vnde etſi in ſacrificio vero, panis qui in carnem, vinum quod in ſanguinem conuertitur, apponi debeat; tamen ita Deo vtraque offeruntur, vt calix benedictionis à Paulo, calix verò Eccleſiæ ab Ignatio propter conſecrationem, per quam Eccleſia calicis particeps eſt, ab vtroq; verò panis, qui frangitur, ſiue confringitur nominatur, propter adminiſtrationem, in qua ſub ſpecie panis corpus & ſanguis Chriſti integrè manducari ſolet. Cuiuſmodi cibum & potum ad Romanos ſcribens, teſtibus [a] Euſebio & [b] Hieronymo, vehemẽter deſiderat, cùm ait: *Non comedam eſcam corruptionis, neq; voluptates huius mundi deſidero. Panem Dei volo, panem cæleſtem, panem vitæ, qui eſt caro Ieſu Chriſti filij Dei viui (qui natus eſt in nouiſſimo ex ſemine Dauid & Abrahæ) & potum volo ſanguinem eius, qui eſt dilectio incorruptibilis & vita æterna.* Sic alia in epiſtola ad Smyrnenſes, teſte Theodoreto Cyrenſi Epiſcopo, tertio dialogo Polymorphi contra Eutichianos ſcribit: *Euchariſtias & oblationes* (hæretici) *non admittunt, quod non confiteantur,*

Epiſt. ad Philad.

[a] Lib. 3 Eccleſ. hiſtor. cap. 30.

[b] De ſcript. Eccleſ.

teantur, Euchariſtiam eſſe carnem Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitauit. Quibus in locis vides Ignatium & Pauli & Chriſti doctrinam apertiſſimè ſequi; qui dum vſum & adminiſtrationem inſinuat, ad vnam ſpeciem panis nimirum, nulla vini facta mentione hortatur: dum verò veritatis Sacramenti per conſecrationem meminit; vtrumque corpus & ſanguinem, vel etiam carnem Seruatoris producit. Atque proinde ſapienter & conuenienter admodū Chriſti doctrinę aſſentitur, qui dum veritatem carnis & ſanguinis ſui in Sacramento turbas edocet; vtrumque, & carnem & ſanguinem nulla facta ſpecierum mentione, coniungit: at dum modum & rationem ſumptionis ſuauiter explicat, panem tantùm inſinuat: *Ego*, inquit, *ſum panis vitæ, ego ſum panis viuus, panis de cœlo, qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Ioan. 6. Sic Ignatius, per præceptorem ſuum Ioannem: doctrinæ Chriſti factus particeps, vnam tantùm proponit ſpeciem, quando de vſu & ſumptione loquitur: *Si quis*, inquit, *non fuerit intra altare, fraudabitur pane Dei. Frangite panem, qui eſt medicamentum immortalitatis.*

Vnius ſpeciei communio probatur ex Tertulliano.

TERTVLLIANVS verò priſcæ vetuſtatis quaſi monimentum, etſi pro ſuo more grauiter breuiterq́ue, tamen non obſcurè, antiquum & Apoſtolicum ſub vna ſpecie ritum communicandi, diuerſis in locis, memoriæ prodidit: qui certè ob breuitatem temporis ab ipſis Apoſtolis vitiari non potuit: Sic enim ad vxorem ſcribit, dum ſuadet ne poſt obitum gentili viro nubat: *Non ſciet maritus, quid ſecretò ante omnem cibum guſtes, & ſi ſciuerit, panem nō illum credit eſſe, qui dicitur, &c.* Lib. 2. Sacramentum corporis Chriſti intelligit, quod Chriſtiani antelucano tempore

Lib. de Oratione. tempore ſecundum doctrinam Apoſtolicam ſumebant, quemadmodum alibi ſcribit: *Similiter de ſtationum diebus non putant plerique ſacrificiorum orationibus interueniendum, quod ſtatio ſoluenda ſit accepto corpore Domini: ergo deuotum Deo obſequium Euchariſtia reſoluit, an magis Deo obligat? Nonne ſolennior erit ſtatio tua, ſi & ad aram Dei ſteteris? Accepto corpore Domini & reſeruato, vtrumque ſaluum eſt, & participatio ſacrificij, & executio officij.* Eodem planè modo, de corona militis ait: *Euchariſtiæ Sacramentum & in tempore victus & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præſidentium ſumimus.* Quod certè ad fractionem panis cõmodè referri debet, frangente enim & dante Epiſcopo ſiue ſacerdote, panem conſecratum manibus ſumpturi accipiebant. Lib de Idol. Atque hoc ipſum conuenienter explicat idem Tertullianus alio in loco; dum Chriſtianos reprehendit, qui & Gentilium ſacrificiis & Chriſtianorum ſacris intereſſe conſueuerant: *Tota die*, inquit, *ad hanc partem zelus fidei perorabit ingemens, Chriſtianum ab idolis in Eccleſiam venire, de aduerſaria officina in domum Dei venire, attollere ad Deum Patrem manus matres idolorum, his manibus adorare, quæ foris aduerſus Deum adorantur, eas manus admouere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt, &c. Prò ſcelus, ſemel Iudæi Chriſto manus intulerunt, iſti quotidie corpus eius laceſſunt. O manus præcidendæ.* En vides panem ſolùm nominari, panem ſummo mane ante omnem cibum appellari, panem manibus attrectari, quod maximè fractioni panis Apoſtolorum conueniebat. Aduertis diuerſis in locis nullam calicis, nullam vini aut alicuius liquoris ſpeciem vel adminiſtrari vel accipi. Vides per omnia primo ritui Apoſtolico Tertullianum hoc in Sacramento conſentire; vt, etiamſi velis, calicis

ſpeciem ab auctore extorquere non poſſis, cùm in iis locis ſolùm adminiſtrationẽ & vſum Sacramenti commemoret. Ita tamen, vt Sacramenti veritatem & ſacrificij maieſtatem teſtificetur, & eius modum ritumque ſuſcipiendi ſub vna ſpecie apertè declaret. Hanc ipſam Sacramenti ſumendi conſuetudinem coëtaneus Tertulliano Origenis præceptor, Clemens Alexandrinus ab Apoſtolica panis fractione promanâſſe docet, cùm ait: *Etiam Euchariſtiam cùm quidam, vt mos eſt, diuiſerint, permittunt, vnicuique ex poculo eius partem ſumere.* Hîc aduertis, ſine calice partes Euchariſtiæ diuidi & diſtribui populo, vt quiſque partem cum omni veneratione & ſui probatione ſumat.

Lib. 1. Stromatum.

Dionysius Alexandrinus inter ſæuas tyrannidis Decij tempeſtates, martyrum Chriſti egregius tutor, & ipſe confeſſor, conſuetudinem in ſua Eccleſia ægrotis ſub vna ſpecie Sacramentum adminiſtrandi fuiſſe dilucidè admodum memoriæ prodidit, cùm Fabio ſcribens enarrat, quomodo Serapioni viro alioquin integerrimo, ob timorẽ tamen ſuppliciorũ lapſo, Euchariſtia ſub vna ſpecie panis per puerum ſit deportata & tradita: *Erat*, inquit Dionyſius, teſte Euſebio, *quidam Serapion apud nos fidelis ſenex, qui licet magnam vitæ partem integrè & incorruptè tranſegiſſet, tempore tamen perſecutionis præ imbecillitate animi lapſus eſt. Hic ſæpenumerò in Eccleſia denuò recipi ſupplex poſtulabat: ſed nemo, quia idolis ſacrificâſſet, eius poſtulationi aliquando auſcultauit, quin in grauem morbum delabens, triduò deinceps mutus & abſque ſenſu vixit: quarto autem die paululũ releuatus nepotem ad ſe accerſit, ſicq; alloquitur: Quouſq;, fili, me detinetis? properate obſecro, & me ocyus dimittite, aliquem ex presbyteris aduoca ad me. Quæ cùm dixiſſet, iterum fuit mutus, puer currit ad presbyterũ: nox iam erat.*

Serapion moriturus communicauit ſub vna ſpecie.

Lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 36.

Vnius ſpeciei communio probatur ex Dionyſio Alexandrino.

Serapion metu ſuppliciorum lapſus eſt.

erat. Ille fortè morbo vexatus, accedere ad eum non poterat: Sed tamen, quoniam à me quidem mandatum dabatur, vt, qui iam eſſent vita emigraturi, Sanctorum myſteriorũ (dummodò peterent, & vel maximè, ſi antea, dum integra valetudine erant, ſupplices petiuiſſent) participes fierent, ſicq; cum pace dimiſſi, & bona ſpe confirmati, ex hac luce decederent; puero exiguam quandam Euchariſtiæ partem dedit, præcipiens, vt eam madefactam in os ſenis infunderet, quam puer ſecum adferens, rediit. Cui iam appropinquanti, priuſquam cum eo, quod geſtabat, intraret ædes, Serapion denuò recuperata voce dixit: Veniſti fili? tametſi non poteſt venire presbyter, tu tamen præſta, quod tibi in mandatis dedit, & dimitte me abire. Particulam igitur puer, quam apportârat, madefactam in os ſenis infudit. Atque ille ſimul atque eam pedetentim per fauces demiſerat, ilicò extremum ſpiritum edidit. Hæc fuſiùs ideò ex Euſebio referuntur, vt intelligatur panis fractionem à Chriſto & Apoſtolis traditam, in Eccleſia inter acerbiſſimas etiam Chriſtianorum ærumnas incorruptè perduraſſe. Seruabatur quippe in ſacrariis Euchariſtia ſub ſpecie panis, quemadmodum manifeſtè hîc patet, vt fractæ particulæ infirmis & peregrinis diſtribuerentur. Vnde appoſitè, particulam quandam, ait, miſſam, quæ non niſi pani attribui poteſt, vt madefacta aliquo liquore ab ariditate, vel ipſa vel ægroti fauces vindicarentur, & ſic faciliùs ab ægroto ſumeretur. Neque verò presbyter tam accuratè & ſollicitè puero præcepiſſet particulam panis irrigari & imbui, ſi vinum pani adhibuiſſet. Commodè enim panis vino maceratus ab infirmo, ſine aliquo alio liquore ſumi potuiſſet. Sed ſpeciem panis tantùm à presbytero datam, & per puerum deportatam fuiſſe, clariùs paulò pòſt ex Proſpero ſimili exemplo patebit. Et ne quiſpiam ex Sacramenti per laicos deportatione offendi

Lapſi quomodo recõciliabantur Eccleſiæ ante obitum.

Serapion particulam intinctã à puero accepit.

Vna ſpecies ſeruabatur in ſacrariis pro infirmis & peregrinis.

Particula madefaciẽda non fuit alia niſi ſpecies panis.

poſſit, operæ precium arbitror monendum eſſe, Eccleſiam Dei per Cōcilium Rhemenſe eiuſmodi ritum correxiſſe: *Peruenit*, inquit, *ad notitiam noſtram, quòd quidam presbyteri in tantum paruipendāt diuina myſteria, vt laico vel fœminæ ſacrum Domini corpus tradant deferendum infirmis, & quibus prohibetur, ne ſacrarium ingrediantur, &c.* De conſ. diſt. 2. cap. Peruenit.

Vnius ſpeciei cōmunio ex Diuo Cypriano probatur.

Cyprianvs verò ſanctimonia & martyrio clariſſimus, ſub iiſdem temporibus plurimis admodum ſcriptis teſtatur, apud Chriſtianos vſitatum fuiſſe ſub alterutra ſpecie Euchariſtiam ſuſcipere, ita vt facilè intelligatur nullum præceptum de communione ſub vtraque ſpecie à Chriſto vel Apoſtolis datum, Eccleſiam tunc profluenti Martyrum ſanguine imbutam, agnouiſſe. Ipſe enim Cyprianus docens, quàm grauibus mulctis à fide vera ad idolorum cultum tempore tyrannidis lapſos, tum maximè in Sacramenti Euchariſtiæ ſumptione Deus caſtigare ſolitus fuerat, ita de vna ſpecie exempla refert; vt communionem ſub vna ſpecie frequentem fuiſſe & crebram, ſine vlla controuerſia ſtatuere debeamus. *Præſente ac teſte meipſo*, inquit, *accipite quid euenerit. Parentes fortè fugientes, dum trepidi nimis ſibi conſulunt, ſub nutricis alimento filiam paruulam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad Magiſtratus. Illi ei apud idolum, quò populus cōfluebat, quòd carnem necdum poſſet edere per ætatē, panem mero mixtum, quod tamen & ipſum de immolatione pereuntium ſupererat, tradiderunt. Recepit filiam poſtmodū mater. Sed facinus puella commiſſum tam loqui & indicare non potuit, quàm nec intelligere prius potuit nec arcere. Ignoratione igitur obreptum eſt, vt ſacrificātibus nobis eam ſecum mater inferret. Sed enim puella mixta cum ſanctis, precis noſtræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æſtu cœpit fluctuabūda iactari, et velut tortore cogente, quibus poterat indiciis cōſcientiam* Sermo. de lapſis.

Sacrificiū Miſſæ celebrabatur tēpore Cypriani.

tiam

tiam facti in ſimplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Vbi verò ſolennibus impletis, calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus eius aduenit, faciem ſuam paruula inſtinctu diuinæ Maieſtatis auertere, os labiis obturantibus premere, calicem recuſare videbatur. Perſtitit tamē Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit, tunc ſequitur ſingultus & vomitus; in corpore atq; ore violato Euchariſtia permanere non potuit. Hæc manifeſta Cypriani narratio interpretatione non eget. Omnia plana & ſingula clarè admodum notātur, ſacrificium exprimitur, miniſterium declaratur, vſus Sacramēti indicatur, ſub ſpecie vna Sacramentū adminiſtratur, de altera ſpecie ita penitus ſiletur, vt ridiculū ſit de vtraq; ſpecie ſuſpicari. Mos vetuſtus poſtulabat, vt qui manducare vel ſuſcipere vtramq; ſpeciem per cōditionem & ętatem nō poterant, altera tantùm potirentur. Porrigitur à Diacono ſolenni ſacro impleto puellæ Euchariſtia in ſpecie tantùm vini; quemadmodū abſtemio ſub ſpecie tantùm panis, vt ſic quiſq; Sacramento recreatus Deo gratias agat. Sed & de alia pſona maturioris ætatis alterū animaduerſionis exemplū ſubiungit, dum ait: *At verò, quæ ætate prouecta, & in annis adultioribus conſtituta, ſacrificantibus nobis latenter obrepſit, non cibū ſed gladium ſibi ſumens, & velut quadā venena letalia inter fauces et pectus admittens, angi et anima exæſtuante concludi poſtmodū cœpit, & preſſuram nō iam perſequutionis, ſed delicti ſui paſſa, palpitās & tremens concidit.* Hîc vides hāc lapſam, tempore ſacrificij ſub ſpecie tantùm vini ſanguinem ad ſui interitum ſumpſiſſe. Quæ aūt deinde ſubnectit, ad ſpeciem panis ptinent, vt intelligamus eo tēpore nunc ſub illa, nūc ſub iſta, nunc ſub vtraq; ſpecie liberè Euchariſtiam adminiſtratam fuiſſe. *Cùm*, inquit, *quædam arcā ſuam, in qua Domini ſanctum fuit, manibus indignis ten-*

Vini ſpecies aliquando ſola eſt data.

Ibidem.

Vini ſpecies tantum data.

Communicandi libertas ſub vna vel ſub vtraq; ſpecie.

Ibidem.

tentâſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere. Proculdubio ſpeciem panis non vini manibus cōtrectare conabatur, quam ex templo (vt liberum fuit teſte Tertulliano) domum deportârat. Hoc ipſum ſequenti exemplo planiùs declaratur. *Et alius*, inquit, *qui & ipſe maculatus, ſacrificio à ſacerdote celebrato, partem cum cæteris auſus eſt latenter accipere, ſanctum Domini edere & contrectare nō potuit, cinerem ſe ferre apertis manibus inuenit.* Ibidem.
Nec quenquam hîc tanti ſtuporis eſſe arbitror, qui ſpeciem vini edi, contrectari, manibus è templo ad conſeruandum deportari poſſe contra morem antiquum dicat; Nec commodè, nec vllo modo fieri poterat, vt ſpecies vini in manibus geſtaretur, & domi ad breue tempus in parua quantitate conſeruaretur. Sed quomodo curioſi è templo in manibus ad theatra, & inter ludicram hominum multitudinem, ſpeciem vini deportâſſent? Scribit enim: *Qui feſtinans ad ſpectaculum dimiſſus, & adhuc gerens ſecum, vt aſſolet, Euchariſtiam, inter corpora obſcœna meretricum tulit, plus damnationis meritus de ſpectaculi voluptate.* Lib. de ſpectaculis. Difficile profectò erat inter laruatorum hominum monſtra calices vel cyphos ſine aliqua effuſione comportare. Cuiuſmodi certè ſacrilegij ſuſpicionem vel flagitij occaſionem nunquam Cyprianus tacuiſſet, ſi ſanguinem Chriſti ad ſpectacula cum periculo effundendi, leuiter comportâſſent. Sed, vt omnem ſcrupum ex animis eripiam, & maximæ luci lucem maiorem afferā; Quid eſt, quòd Cyprianus multis in locis, tum maximè ex Cōſilio Aphricanę Eccleſię, à Cornelio Romano Pontifice conſenſum petens, Martyribus, hoc eſt, iis qui ex lapſu reuerſi per pœnitentiam ad ſupplicia & cruciatus pro nomine Chriſti raptari debeant, ſanguinem miniſtrandum eſſe diſertè contendat? Anne apertè docet,

cet, vſum ſub vna vel vtraque ſpecie Sacramentum ſumendi, fuiſſe eo tempore liberrimũ? Quid eſt, quòd tantoperè poculum Domini Martyribus tribuendum vrget, nulla panis facta mentione, niſi vt poſteritati teſtatum faceret, Chriſtianos pro libertate nunc ſub ſpecie panis, nunc ſub ſpecie vini, nunc ſub vtraq; Euchariſtiam ſumpſiſſe? Nam ex conſueto rerum effectu fidei noſtræ adiuta infirmitas ſenſibili augmento edocta eſt, viſibilibus Sacramentis ineſſe vitæ æternæ effectum; & non tam corporali, quàm ſpirituali tranſitione Chriſto nos vniri. Ipſe enim & panis, & caro, & ſanguis, idem cibus, & ſubſtantia, & vita factus eſt Eccleſiæ ſuæ. Proinde quacunque ſub ſpecie vel panis, vel vini, Eccleſia permittente, ſumpſeris; & carne, & ſanguine; & cibo, & ſubſtantia, & vita ipſa Chriſto abundè te refocillari non dubites.

Communicandi libertas ſub vna vel ſub vtraque ſpecie.

ASSERTIO II.

Communio ſub vna ſpecie ab Imperio Conſtantini Magni ad Iuſtiniani Imperatoris tempora; ſemper fuit à quibuſdã Chriſtianis vſurpata; ita vt communio ſub vtraq; nullo modo ſub ratione præcepti agnita fuerit.

CONcilium Magnum Nicænum tempore Conſtantini celeberrimum, ſapienter modum rationemq; corporis Domini religiosè cuſtodiendi tradidit, cùm grauiter vetuit, ne Diaconi, qui ſacrificandi poteſtatem nõ haberent, vllo tempore corpus Chriſti ſacerdotibus

miniſtrarent. *Peruenit*, inquiunt ſacerrimi illi Patres, *ad ſanctum Concilium, quòd in locis quibuſdã & ciuitatibus, preſbyteris Sacramenta Diaconi porrigant. Hoc neq́; regula, neque conſuetudo tradidit, vt hi qui offerendi ſacrificij non habent poteſtatem, his qui offerunt, corpus Chriſti porrigant. Sed & illud innotuit, quod quidam Diaconi etiã ante Epiſcopum Sacramenta ſumant. Hæc ergo omnia amputentur.* Ex his Concilij verbis illud ſequatur oportet, corpus Chriſti diligentiſſimè fuiſſe ſub vna ſpecie conſeruatũ. Etenim cùm nulla ſanguinis fiat mentio, diaconiq́; partim presbyteris tunc nõ offerentibus miniſtrabant, partim abſentibus ſacerdotibus ipſi proferebant & edebant, certò conſtat alterã tantùm ſpeciem & conſeruatam, et extra ſacrificium miniſtratam fuiſſe. Quod idipſum ex Matiſconenſi II. Concilio paulò pòſt patebit, quod ait: *Reliquias cõſeruatas pueris tradendas vino aſpergi debere.* Vnde Concilium Nicænum appoſitè dicit corpus Domini à Diaconis edẽdum eſſe, nulla potus ſanguinis mentione facta.

Diſt. 93 ca 14. Peruenit.

Vna ſpecies panis in ſacrariis conſeruata & aliis data.

Can. 6.

Optatvs Mileuitanus, acerrimus Donatiſticorum ſacrilegiorum vindex, manifeſtè declarat, ſolã ſpeciem panis in Aphrica, ex traditione proculdubio Apoſtolica, ad vſus infirmorum & peregrinorum aſſeruari ſolitam eſſe. Ait enim: *Oblitus es, quod paulò antè dixiſti, Eccleſiam vnam columbam Chriſti in Canticis Canticorum dictam: Si vna eſt apud vos Eccleſia, vna eſt columba; quid eſt, quod dicere voluiſti, numerus maior eſt columbarum? Et quod vobis leue videtur, facinus immane commiſſum eſt, vt omnia ſacroſancta ſuprà memorati veſtri Epiſcopi violarent. Iuſſerunt Euchariſtiam canibus fundi: non ſine ſigno diuini iudicij. Nam iidem canes accenſi rabie ipſos Dominos ſuos, quaſi latrones ſancti corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos & inimicos, laniârunt.* Neque verò hîc video, quomodo ſpeciem

Lib. 2. contra Donatiſtas.

Vnius ſpeciei communio probatur ex Optato.

Cant. 2. 5. 6.

Donatiſtæ corpus Domini canibus obiecerunt.

vini canibus ſacrilegi illi Donatiſtæ, vt nunc Caluiniſtæ corpus Domini conculcant, canibus proiicere potuerint; cùm canes natura à vino abhorreant, & porrectum poculum dente ferino ſtomachantes fugiant. Panis ſpecies proculdubio vindex conſuetis eorundem alimentis fuit, quem cùm vorârũt in rabiem verſi ſunt. Hoc ipſum Optatus clariùs & dilucidiùs declarat, cùm ait; Eoſdem ſacrilegos Donatiſtas tum fregiſſe & raſiſſe altaria, tum calices cõfregiſſe, & in maſſas in fœdum & turpem quæſtum reduxiſſe. *Ergo & fregiſſe vos & raſiſſe conſtat altaria, hoc tamen immane facinus geminatum eſt, cùm fregiſtis etiam calices, Chriſti ſanguinis portatores: Quorum ſpecies reuocâſtis in maſſas, mercem nefariis nundinis procurantes, ad quam nec emptores eligere voluiſtis ſacrilegi, dum inconſideratè vendidiſtis. Paſſi etiam eſtis comburi manus veſtras, quibus ante nos eoſdem calices tractabatis. Eam rem tamen paſſim vendi iuſſiſtis. Emerunt forſitan in vſus ſuos ſordidæ mulieres: emerunt pagani, facturi vaſa, in quibus incenderent idolis ſuis. O ſcelus nefarium! O facinus inauditum! Auferre Deo, quod idolis præſtes, ſubducere Chriſto, quod proficiat ſacrilegio.* Vides hîc tantùm calices fractos & venditos, non autem ſanguinem fuſum fuiſſe, quod certè maiori execratione Optatus deteſtatus fuiſſet. Si etiam ſacrilegium in vendendis calicibus notatum fuit; immanitas flagitij in effundendo ſanguine admiſſa fuiſſet. Ex quo illud clariſſimè patet, hoſtias ſiue panis ſpecies aſſeruatas fuiſſe, eaſdemque profligato furore canibus ex ſacrario effuſas, calices verò ſanguine vacuos, fractos & ſacrilegè venditos fuiſſe. Hac itaque vtinam Optati verborum grauitate & iuſta animaduerſione Sacramentarij ſe caſtigatos eſſe animaduerterent; vt ſic tantis ſacrilegiis, dum ſanctum canibus &

Lib. 6. circa initium.

margaritas porcis, ad ſummam Chriſti contumeliam proiiciunt, animum reuocarent.

Vnius ſpeciei cõmunio probatur ex D. Baſilio Magno.

Basilius Magnus conſuetum & priſcum cõmunicandi ritum ſub vna ſpecie nõ ſolùm, vt in Aphrica priſci Patres teſtantur, ſed in Alexandria quoq; & in Ægypto & in Græcia vſitatum fuiſſe, clariſſimis ſcriptis demonſtrat; adeò vt non modò laicis, ſed etiam ſacerdotibus non conficientibus, Euchariſtiam datam fuiſſe ſub vna tantùm ſpecie, vita eius teſtetur: *Nos, inquit, idcirco quater in ſingulis hebdomadis communicamus, in die Dominico, in quarto die hebdomadæ, in paraſceue & in Sabbatho, ac aliis diebus, ſi qua memoria fuerit Sancti alicuius. Illud autem in perſequutionis temporibus, neceſſitate cogi quempiam, non præſente ſacerdote aut miniſtro, communionem propria manu ſumere, nequaquam eſſe graue, ſuperuacaneum eſt demonſtrare; Propterea quòd longa conſuetudine hoc ipſo rerum vſu confirmatum eſt. Omnes enim in eremis ſolitariam vitam agentes, vbi non eſt ſacerdos, communionem domi ſeruantes, ſeipſos communicant. In Alexandria verò & in Aegypto vnuſquiſq; eorũ, qui ſunt de populo, vt plurimum habet communionem in domo ſua. Semel enim ſacerdote ſacrificium conſecrante & diſtribuente, meritò participare & ſuſcipere credere oportet. Etenim & in Eccleſia ſacerdos dat partem, & accipit eam is, qui ſuſcipit cum omni libertate, & ipſam admouet ori propria manu. Idem igitur eſt virtute, ſiue vnam partem accipiat quiſquam à ſacerdote, ſiue plures partes ſimul.* Hæc Baſilius. Qui etſi clariùs de vna ſpecie loqui nõ poterat, quòd nec vini ſpecies manibus contrectari ſoleat, nec in eremis ſeruaretur; tamen huic veritati clariſſimè Amphilochius, cui Baſilius libros dedicauit, lucem maiorem adhibet, dum ſcribit, Baſilium Euchariſtiam ſub ſpecie panis in vaſculo columbæ formã gerente, in altari lon-

Baſili⁹ Magnus quoties in hebdomada cõmunicauerit.

Sanctorum memoria vel commemorationes.

Vna panis ſpecies ab Eremitis et aliis Chriſtianis in domibus fuit ſeruata.

Epiſto. ad Cæſariam Patritiam, quæ Græcè extat.

In vita Baſilij.

longiſſimo tempore, vt in promptu ex hac vita migrans viaticum corporis Chriſti haberet, conſeruâſſe: quam deinde, animã Deo redditurus, in lecto decumbens cum gratiarum actione piiſſimè ſuſcepit. Nec eſt quod vaſculum columbinum cuipiam ſtomachum moueat, cùm peruetuſti fuerit moris, eiuſmodi vaſa in diuerſis Eccleſiis conficere ad honorem Spiritus ſancti, quem tum Eunomius diris & maledictis proſequebatur, eo modo, quo nunc ciboriis varia forma confectis venerandum Chriſti corpus conſeruamus, & veneramur. Olim Clerici & Monachi Antiochiæ, vt in quinta Synodo Conſtantinopolitana vniuerſali memoriæ proditum eſt, apud Ioannem Patriarcham querelas depoſuerunt, Seuerum hæreticũ in ſacra altaria ita debacchatum fuiſſe, vt nec columbis aureis & argenteis in formam Spiritus ſancti ſuper diuina lauacra & altaria appenſis pepercerit. Ex quo perſpicuum eſt, D. Baſilium ſingulari & conſueta pietate Sacramentum ſub vna ſpecie aſſeruatum coluiſſe, tum ipſum ſanctoſque Patres, licet ſacerdotes eſſent, cùm ſacris non operarentur, ſub vna tantùm panis ſpecie laicorum fidelium more communicâſſe. Vnde tam Latini ſacraria, quàm Græci Artophoria in templis ſuis antiquitus habuerunt, & vſq; paſſim illi habent, vt in iis S. Euchariſtia ſub altera tantùm panis ſpecie conſeruata, tum in promptu eſſet in variis Chriſtiani populi neceſſitatibus, maximè autem infirmitatis tempore; tum vt in eadem Chriſtus piè & religioſè, vt par eſt, adoretur. Quod etiam à variis nationibus, vt cæteras omittamus, à Germanis ante 600. annos obſeruatum eſſe certiſſimus eſt auctor D. Burchardus Epiſcopus VVormacienſis. Illud verò manifeſtum eſt, ſacerdotes Græcos per Quadrageſimam Sabbathi, Dominicis diebus, & Annuncia-

Baſilius Magnus moriturus, ſub vna ſpecie communicauit.

Vna ſpecies in vaſculis columbinis olim cur ſeruabatur.

Actione 1.

Seuerus hæreticus debacchatus in altaria & vaſcula columbina.

Vnam ſpeciem ſacerdotes non conficiẽtes perceperunt.

Sacraria quæ Latinis, Græcis Artophoria dicuntur.

Lib. 5. cap. 9.

Conſecrationis certa tempora olim ſeruata ſunt.

nunciationis B. Mariæ Virginis feſto tantùm cōſecrâſſe; cæteris verò diebus ſumpſiſſe præconſecratas hoſtias, quas ſeruârunt ſemper & vſque ſeruant in hominum piorum, ſed maximè ægrotantium vſum neceſſarium. Quemadmodū Canon ſextæ Synodo Oecumenicæ adſcriptus teſtatur, & Nicephorus idipſum à temporibus propemodum Apoſtolorum vſurpatum fuiſſe his verbis Socratis poſteritati mandauit. *Quarta hebdomadis die, & ea, quæ Paraſceue dicitur, Alexandrini ſcripturas legebant Doctoribus eas interpretantibus, omniaq́; quæ ad Synaxim pertinent, peragebant, præterquam diuinorum myſteriorum participationem.* Et paulò antè: *Cùm enim pleraq́; omnes per orbem Eccleſiæ diebus Sabbathi in conſuetudine haberent hebdomadis vnius tempore diuinis myſteriis operari: Romani & Alexandrini ex antiqua quadam traditione hoc non faciebant. Aegyptÿ verò Alexandrinis vicini, & qui circum Thebaidem habitant, Synaxes quidem die Sabbati peragebant, ſed non eadem, qua tum Chriſtiani omnes vtebantur, conſuetudine diuinam ſanctificationem percipiebant.*

Can. 52. Lib. 12. ca. 34. Socrat. lib. 5. Eccleſ. hiſt. cap. 21.

Vnius ſpeciei communio ex D. Ambroſio probatur.

AMBROSIVS ſuo & fratris exemplo manifeſtum reliquit, Eccleſias Italicas ab Afrorum & Græcorum Eccleſiis in vulgato ſub vna ſpecie communicandi ritu non diſcrepâſſe. Apertè enim in oratione funebri de Satyri fratris obitu teſtatum facit, eundem Satyrum corpus Chriſti ſub vna ſpecie ſecum pia & cōſueta religione geſtâſſe. *Quid*, inquit Ambroſius, *eius obſeruantiam erga Dei cultū prædicem, qui priuſquā perfectioribus eſſet initiatus myſteriis, in naufragio conſtitutus, cùm ea, qua veheretur, nauis ſcopuloſo alliſa vado, & vrgentibus hinc atque inde fluctibus ſolueretur, non mortem metuens, ſed ne vacuus myſterÿ exiret è vita, quos initiatos eſſe cognouerat, ab his diuinum illud fidelium Sacramentum popoſcit, non vt curioſos oculos insereret*

Vnam ſpeciem Satyrus apud ſe geſtauit.

arcanis,

arcanis, ſed vt fidei ſuæ conſequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium inuoluit in collo, atq; ita ſe deiecit in mare, non requirens de nauis compage reſoluta tabulam, cui ſupernatans iuuaretur, quoniam ſolius fidei arma quæſierat. Hæc Ambroſius. Nec enim fieri potuit, vt orario, ſiue quemadmodum quidam intelligunt, ſtolæ liquor aliquis colligaretur, ſpecies panis ſine vllo dubio linteo illo colligata, & collo geſtata fuit, cuius virtute tutò in portum incolumis Satyrus deportatus fuit. Sed hunc morem Sacramentum ſub vna ſpecie extra Eccleſiam deportandi conſuetum antiquitus fuiſſe, ex Tertulliano, & Cypriano, & Baſilio ſuperiùs declaratum eſt; qui non ſolùm à Satyro, ſed etiam eius fratre Ambroſio vſurpatus ad noſtra tempora peruenit. Etenim Ambroſius ipſe ſub vna ſpecie tantùm, moriturus, quamuis ſacerdos & Epiſcopus, more cæterorum ſacro viatico muniri voluit. Sic enim Paulinus presbyter in vita D. Ambroſij ad Auguſtinum ſcripta refert: *Eodem tempore, quo à nobis migrauit ad Dominum ab hora circiter vndecima diei, vſq; ad illã horam, qua emiſit ſpiritum, expanſis manibus in modum crucis orauit. Nos verò labia illius moueri videbamus, vocem autem non audiebamus. Honoratus autem ſacerdos Eccleſiæ Vercellenſis, cùm in ſuperiora domus ſe ad quietem compoſuiſſet, tertiò vocem vocantis ſe audiuit, dicentiſq; ſibi: Surge, feſtina, quia modò eſt receſſurus. Qui deſcendens, obtulit ſancto Domini corpus, quo accepto, emiſit ſpiritum, bonum viaticum ſecum ferens, vt in virtute eſcæ anima refectior, Angelorum nunc conſortio; quorum vitam vixit in terris, & Heliæ ſocietate lætetur.* Atq; ſic liquidò conſtat, intempeſta nocte Sacramentum ſub vna ſpecie ſanctiſſimo viro miniſtratum; quod ſine dubio in promptu aſſeruabatur, vt infirmis & morientibus extemplò, quãdo neceſſitas poſtularet, præberetur.

Vnius ſpeciei cõmunionem ante mortem ſumpſit D. Ambroſius.

Quin

Quin iiſdem temporibus non ſolùm in ciuitatibus, ſed in ipſis ſolitudinibus inter deſertorum locorum incolas, & Deo ſecretiùs mancipatos, quos Eremitas vocamus, communio ſub vna ſpecie fuit frequentata. Quod inſigne illud miraculum in vitis Patrum memoriæ traditum abundè declarat, quod Daniel Abbas ex relatu Arſenij ſcribitur, aliis retuliſſe; Quendã ſenem Eremitam in veritate corporis & ſanguinis in Euchariſtia per ignorantiam dubitantem duo alij magis fide armati ſolicitârunt, vt poſt hebdomadariam orationem die Dominico in Eccleſiam ad diuinum ſacrificium conuenirent. Qui cùm peracta octidua oratione veniſſent, aperti ſunt intellectuales eorum oculi, & quando poſiti ſunt panes in altari, videbatur à tribus illis tãtummodò tanquam puerulus iacens ſuper altare, & cùm extendiſſet presbyter manus, vt frangeret panem, deſcendit Angelus de cœlo habens cultrum in manu, & ſecauit puerulum illum, ſanguinem verò eius excipiebat in calicem. Cùm autem frangeret presbyter in parua fruſta panem, etiam Angelus incidebat membra ipſius pueri in modicas partes. Cùm verò acceſſiſſet ſenex, vt acciperet ſanctam communionem, data eſt ipſi ſoli caro ſanguine cruentata; quod cùm vidiſſet, pertimuit & clamauit, dicens; Credo Domine, quia panis, qui in altari ponitur, corpus tuum eſt, & calix ſanguis tuus eſt, & ſtatim facta eſt illi caro in manu eius panis ſecundum myſterium, & ſumpſit illum, agens gratias Deo. Hinc ſine controuerſia patet, ſenem hunc Eremitam in Eccleſia Sacramentum ſub vna tantùm ſpecie ſumpſiſſe. Etenim cùm caro Chriſti ſanguinea ſit ſoli illi miniſtrata & porrecta, ſolam panis ſpeciem recepit, vt eius fides erudiretur ſub ſpecie panis, & carnem & ſanguinem contineri; adeò, vt de-

Vna ſpecies olim apud Eremitas ſeruabatur.

Lib. de prouidentia Alp. 27.

de altera ſpecie vini in publica Eccleſia non fuerit ſolicitus. Hanc ipſam hiſtoriam, vti certiſſimam, Guitmundus Archiepiſcopus Auerſanus ante 500. annos ad memoriam his verbis reuocauit: *Daniel in vitis Patrum narrat, ſenem quendam de corpore Domini errorem ſimpliciter paſſum, cùm Dominum pro dubitatione hac remouenda multis precibus exoráſſet, Angelum Dei ſuper aram, ſacrificij hora, vidiſſe puerum immolantem, ſibiq́ue ad communionem accedẽti eiuſdem pueri particulam porrigentem. Sed cùm ille nimium exterritus ſumere trepidaret, multis lachrymis ſpeciem panis fide iam ſolidatus obtinuit.* Vides hîc ſolius ſpeciei panis fieri mentionẽ, quæ in ſolenni & publico ſacro fuit miniſtrata; Vnde & ſenex ille quantumuis miraculo motus, verũ corpus & verum ſanguinem in ſacrificio eſſe confeſſus fuiſſet, tamen ſolam ſpeciẽ panis, ſub qua corpus & ſanguis Chriſti continetur, ſuſcepit, atque gratias Deo egit.

Lib. 3. de veritate corporis & ſanguinis Chriſti.

Vnius ſpeciei communio miraculo confirmata.

HIERONYMVS etſi paucis, tamen apertis verbis teſtatum facit, ſua ætate Chriſtianos tam laicos quàm ſacris initiatos, ſubinde ſub vna ſpecie Sacramentũ ſumpſiſſe. *Scio*, inquit, *Romæ hanc eſſe conſuetudinem, vt fideles ſemper Chriſti corpus accipiant; quod nec reprehendo, nec probo. Vnuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundat, ſed ipſorum conſcientiã conuenio, qui eodem die poſt coitum communicant, & iuxta Perſiũ, noctem flumine purgant: quare ad martyres ire nõ audent? quare non ingrediuntur Eccleſias? An alius in publico, alius in domo Chriſtus eſt? Quod in Eccleſia nõ licet, nec domi licet. Nihil Deo clauſum eſt, & tenebræ quoq; lucent apud Deum. Probet ſe vnuſquiſq;, & ſic ad corpus Chriſti accedat.* Quibus verbis apertè declaratur, communionem tum publicam, tum domeſticã, apud priſcos illos & veteres Chriſtianos eiuſdẽ fuiſſe virtutis, quorũ cùm in domeſtica cõmunione Aduerſarij etiam nobiſcũ vltrò & libenter ſentiant, Sacramen-

Apol. pro lib. aduerſ. Iouin.

Vnius ſpeciei communio ex D. Hieronymo probatur.

tum acceptum fuiſſe ſub vna ſpecie; mirum profectò eſt, quid illud ſit (niſi ipſa repugnandi cõſuetudo) quòd hanc ab illa publica ſeparatam velint, cùm alius in publico, alius in domo Chriſtus, & Sacramentũ aliud in Eccleſia, aliud in æde priuata eſſe non poſſit? Sed & in Eccleſia Sacramentum ſub vna ſpecie pro iis, qui ſacrificio intereſſe nõ poterant, aſſeruatũ, idemq; miniſtratũ fuiſſe, his verbis teſtificatur Hieronymus: *Nulla in conficiendo corpore Chriſti ac ſanguine inter presbyteros & Epiſcopos credenda diſtantia eſt, & Euchariſtiam iampridem per presbyteros benedictam, ſi vſus exegerit, Epiſcopi accipere debent, ac ſe Chriſto & plenitudini eius* (id eſt Eccleſiæ) *communicare cognoſcere.* Et paulò pòſt: *Nec ego dico præſentibus Epiſcopis atq; adſtãtibus altari presbyteros poſſe Sacramẽta cõficere, ſed ſi fortè vſus exegerit, vt veniẽtes ad Eccleſiam ſacerdotes* (Epiſcopos intelligit) *eiſdem horis quibus aut oblatio parata nõ ſit, aut nõ poſſit offerri, non debere Epiſcopum repudiare Euchariſtiã presbyterorũ, ſi ponatur in altari.* Sub vna ſpecie proculdubio eodẽ modo, quo manifeſtè ex Optato, Baſilio & Ambroſio ſeruatũ fuiſſe conſtat. Verùm ne ſcrupus in Hieronymi ſententia maneat, ipſe ad Euſtochiũ de cuſtodia virginitatis ſcribens, clariſſimè ſub vna ſpecie communicandi ritum declarat his verbis, dum improbarum viduarum & virginum laſciuiã grauiter redarguit: *Iſtæ,* inquit, *ſunt, quæ ſolent dicere: Omnia munda mundis: ſufficit mihi conſciẽtia mea. Cor mundũ deſiderat Deus: cur me abſtineam à cibis, quos creauit Deus ad vtendum? Et ſi quando feſtiuè & lepidè volunt viuere, vbi ſe mero ingurgitauerint, ebrietati ſacrilegiũ copulantes aiunt: Abſit vt ego me Chriſti ſanguine abſtineã, & quam viderint pallentem atq; triſtem, miſerã & Manichæam vocant.* Hîc videre eſt procaces virgines noluiſſe cum aliis caſtis & pudicis ſub vna tantùm ſpecie cõmunicare, ſed potiùs vt mero madebant domi, ſic in Eccleſia vino inter ſacra

Euchariſtia in Eccleſia olim ſeruabatur.

De ſeptem ordinibus Eccleſiæ.

Epiſt. ad Euſtochiũ de caſt. virg.

diſſuere

diffluere malebãt. Abſtinebãt ſine dubio integræ & optimæ virgines tum domi vino, tum in Eccleſia ſpecie vini, dũ Sacramento potirentur, vt vbiq; ſe virginitatis & caſtitatis ſanctimoniã ſeruare demõſtrarẽt. Hoc ipſum eſt, quod de Nazaræis ſuperiùs fuſiùs explicauimus, vt intelligatur liberrimũ ſemper fuiſſe populo Chriſtiano, nunc ſub alterutra, nũc ſub vtraq;, niſi aliter ortę hęreſes vrgerent, Sacramentũ corporis Chriſti ſuſcipere. Cęterùm & ipſæ leues virgines, cùm ſe vino impotenter mancipâſſent, optimas quaſq; & religioſas virgines, eaſq; Catholicas, quæ in ſumenda Euchariſtia altera ſpecie tantùm vterentur, per ludibriũ Manichæas appellabãt. Quo contemptu & obprobrio impię illę virgines ſacrilegiũ ebrietati copulabãt. Quamobrẽ videãt Aduerſarij, ne dũ vino nimis indulgẽt, noſq; Catholicos per ludibriũ, vt ſolent, Manichęos appellãt, ſimul cũ temulentia ſacrilegiũ cõmittãt. Nã ideò leues illas virgines ſacrilegas Hieron. aſſeruit, quòd dũ religioſas ſub vna ſpecie cõmunicãtes irriderẽt, ad vtramq; ſpeciẽ irreuerẽter & ſacrilegè irruerẽt. *Libertas cõmunicandi ſiue ſub vna, ſiue ſub vtraq; ſpecie.*

Chrysostomi temporibus nõ modò priuatim in domibus, ſed publicè in Eccleſia Conſtantinopoli ad morẽ Eccleſiarũ omnium, tam Orientaliũ, quàm Occidentaliũ ſub vna ſpecie venerandũ Sacramentũ miniſtratũ fuit, quod ipſum & [a] Sozomenus, & [b] Nicephorus hiſtoriæ ſimilib⁹ propè verbis fideliter mandârunt: *Vir quidã*, inquiunt, *ſectator hæreſeos Macedonianæ eiuſdẽ ſectæ vxorem habebat. Hic cùm Ioannẽ (magnũ illũ virũ Chryſoſt.) de ſincera erga Deũ religione diſſerentẽ fortè audiſſet, doctrinã amplexus & vxorẽ quoq;, vt ſibi cõſentiret, hortatus eſt, & quoniã illa notarũ mulierũ ſolita cõſuetudine captiua tenebatur, vt quamuis maritus admonuiſſet ſapè, nihil tamẽ pficeret. Niſi, inquit, in religione mihi cõſors fueris, ne in vitæ quidem cõmunione poſthac eris.* *Vnius ſpeciei communio tempore Chryſoſtomi fuit in vſu.*

a Lib. 8. c. 5.
b Lib. 13. cap. 7.

Ibi mulier data fide ſe id facturam, cum ancilla quadam, quam fidam, arbitrabatur, de hac re cõmunicat, eamq́; ſibi ad fraudem marito faciendam ſociam adiungit. Itaq; tempore communionis (intelligunt autẽ qui Chriſto ſunt initiati quid dicam) illa quod acceperat continens velut oratura procumbit, famula interim aſtans furtim porrigit id, quod manibus adueniẽs ferebat, quod quidẽ ſimulatq; dentibus admotũ eſſet, in lapidẽ induruit. Tunc mulier timore cõſternata, ne quid ſibi grauius eueniret, ob tantum miraculũ in ſe diuinitus editũ, cum feſtinatione ad Epiſcopũ accurrit, ſeipſam indicat & lapidẽ oſtendit, qui manifeſta veſtigia morſus, ſed materiã ignotam, & inuſitatũ quendã colorem referebat, cumq́; profuſis lachrymis veniã impetrâſſet, cũ marito deinceps concors vixit. Lapis iſte ad fidẽ miraculi eius faciendam longo tempore inter Eccleſiæ donaria aſſeruatus ſpectatoribus miraculo fuit. Hîc ſine vlla prorſus cõtrouerſia patet, mulierẽ nullo modo calicẽ ſumere potuiſſe, cùm os illo pane in lapidẽ indurato præpeditũ haberet. Sed nec à miniſtris & ſacerdotibus vel cõſueta lege vel ritu cõmunionis ad calicẽ ſumendum adactam fuiſſe: quem etiã vt euitaret, nullo aliquo actu & dolo ſe & ancillam armauit, quo vt pane ſacerdotem falleret. Et profectò ſi oẽs lege communionis ſub vtraque ſpecie obſtricti fuiſſent; inaniter & fruſtra panem tantùm ad ludificandum apportâſſet. Sed quoniam vna ſpecies publicè in Eccleſia miniſtrabatur, ad eam ſe & ancillam tantùm comparauit, ſecum ſine dubio mundum linteum, quo ſacrũ Domini corpus reciperet, vt moris erat, comportauit.

Vnius ſpeciei communio tempore B. Auguſtini fuit in vſu.

AVGVSTINVS autem ſuo tempore eundẽ morẽ vſitatiſſimũ fuiſſe, his verbis declarat: *Mulieres*, inquit, *quomodo nitidum exhibent linteolũ, vbi corpus Chriſti accipiant: ſic corpus caſtum & cor mundum exhibeant, vt cum bona conſcientia Chriſti Sacramenta ſuſcipiant.* Atq; eiuſmodi fiebant, ne ex particu- Serm 252. de temp.

particulis panis in terrā deciderent, quod ipſum Auguſt. alio in loco manifeſtum facit. *Quanta ſolicitudine obſeruamus, quando nobis corpus Chriſti miniſtratur, vt nihil ex ipſo de noſtris manibus in terram cadat: tanta ſolicitudine obſeruemus, ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliquid aut cogitamus, aut loquimur, de corde noſtro pereat: quia non minùs reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille, qui corpus Chriſti in terram cadere negligentia ſua permiſerit.* Simili modo ante eundem Origenes ſcripſiſſe videtur: *Volo vos,* inquit, *admonere religionis veſtræ exemplis. Noſtis, qui diuinis myſteriis intereſſe conſueuiſtis, quomodo, cùm ſuſcipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione ſeruatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conſecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, & rectè creditis, ſi quid inde per negligentiam decidat.* Animaduertis hîc euidenter hos & antiquitate & eruditione grauiſſimos Patres, eius tantùm facere mentionem, quod manibus recipi & contrectari poterat, adeò vt nulla ratione ad vtramq; ſpeciem etiam violenter accommodari poſſit.

Lib. 50 homel. 26.

Hom. 13. in Exod.

Vnius ſpecies communio ex Origene probatur.

LEO Magnus ille à 441. illis Concilij Calcedonenſis Patribus ter ſanctus & ſanctiſſimus Apoſtolicus & Oecumenicus Patriarcha appellatus, ſuis temporibus communionem ſub vna ſpecie non modò priuatim, ſed publicè vſitatam fuiſſe declarat; cùm populum Romanum ab vna ad vtramque ſpeciem reuocat, quò Manichæi faciliùs manifeſtati proderentur, atque ſic ab Eccleſia exturbarentur. Cùm enim liberrimum eſſet cuiuis vel ſub vna ſpecie, vel ſub vtraque corpus & ſanguinem ſuſcipere, liberè etiam & impunè Manichæi & inter Catholicos in Eccleſia pernicioſi verſabantur, & ſacræ Euchariſtiæ ſacrilegi fiebant participes. Et cùm illi pro ſuo errore, quo Chriſtum verum ſanguinem non habuiſſe,

Vtraq; ſpecies propter Manichæos aliquando præcepta.

Libertas communicandi ſub vna & vtraq; ſpecie.

Auguſt. ad Quoduultdeum.

Manichæorum errores.

buiſſe, vinumque non à Deo creatum, ſed fel eſſe principis tenebrarum, falſò opinabantur, à ſpecie vini abſtinerent; cum aliis Catholicis facili negotio Sacramentum ſumebant, nec agnoſci poterant, quòd communio ſub vna ſpecie frequētiſſima ab omnibus propemodum vſurpabatur. Vt ergo lupi rapaces ſub ouinis pellibus tecti à ſancto grege per paſtorē arcerentur, ſummus Eccleſiæ poſt Chriſtum gubernator Leo, ſapiētiſſimè populo Romano, ad tempus cōmunionem ſub vtraq; ſpecie, ad propulſandos Eccleſię hoſtes, imperauit his verbis: *Cúmque ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris audeant intereſſe myſteriis, ita in Sacramentorum communione ſe temperant, vt interdum tutiùs lateant: ore indigno corpus Chriſti accipiunt, ſanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omnino declinant. Quod ideò veſtram volumus ſcire ſanctitatem, vt nobis huiuſcemodi homines & his manifeſtentur indiciis, & quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, notati & proditi à Sanctorum ſocietate ſacerdotali auctoritate pellantur.* Atque ex his manifeſtè patet, ideò Manichæos cognoſci & notari non potuiſſe, quòd in ſacra communione, quemadmodum Catholici ſub vna ſpecie communicarent. Etenim ſi Catholici ſub vtraque ſpecie mandato vel Chriſti vel certè etiam ſummi illius paſtoris Sacramentum ſuſcepiſſent; fruſtrà & admodum inſipienter Diuus Leo communionem ſub vtraque ſpecie populo primùm tunc præcepiſſet, vt Manichæi proderentur, cùm per legem latam conſuetudine continua vſurpatam, ſub vna ſpecie Sacramentum ſuſcipere cum Catholicis nullo modo potuiſſent. Ac proinde, cùm adhuc à Leonis tempore ad Gelaſij Pontificatum, ſub Hilario, Simplicio, Felice, ſummis Pontificibus, Manichæi ſuis artibus & dolis perduràſſent; acrius decretum

Matth. 7.

Hom. 4. de Quadrageſ.

in eoſdem idem Gelaſius tulit, atque vrbe expulit, quòd non ſolùm populus, ſed ex ſacerdotum ordine nonnulli peſte illa exitioſa inficerentur. Vnde ait ſe comperiſſe quoſdam ſuperſtitione improba à calice ſacrati cruoris abſtinere, quo factum eſt, vt Leonem ſequens præceperit ſub vtraque ſpecie tunc Sacramentum accipiendum, vt eiuſmodi contagio in populo Dei ac ſacerdotibus ſanaretur. Atque idcirco lex Romæ de communione ſub vtraque ſpecie à duobus illis ſanctis Pontificibus lata, tantiſper vſu accepta fuit, quouſque ille Manichæorum error partim profligatus, partim oppreſſus, paſtorum vigilantia conticuit. Moris enim eſt Eccleſiæ ad pacem conciliandam veritatemq; firmandam, naſcentesque hæreſes opprimendas, quædam vrgente neceſſitate prudenter ſancire, quæ, ſublato penitus periculo, ſuccedente alia temporis viciſſitudine, immutari poſſunt, quod ipſum hac in re vſu euenit. Cùm enim priſcis illis temporibus Eccleſia ſancta Manichæorum erroribus quateretur, & altera ſpecies ab iiſdem improbaretur, ſapientiſſimi Pontifices populum, qui alterutra liberè vteretur, ad vtramque ſuſcipiendam ſua auctoritate iuſtiſſimè impulerunt. At ſedata & prorſus Dei beneficio extincta hæreſi, ad libertatem communicandi longiſſimo tempore cum ſumma pace reditum eſt; quouſque noui Ioannis Huſs errores, Manichæorum erroribus contrarij, ad nouum Eccleſiæ incendium exorti ſunt; quos etiam, vt Eccleſia obrueret, & extingueret, ſapientiſſimè & diuinitus ſanciuit, altera ſpecie iam recepta tantùm vtendum eſſe; in qua ſtabilis eſt, & firma, ob innouatas & graſſantes adhuc calamitoſa hac ætate hæreſes, perſeuerat.

Vnius ſpeciei communio miraculo confirmata.

Prosper Aquitanicus Regienſis à Leone Epiſcopus conſtitutus, iiſdem ferè temporibus inſigni hiſtoria teſtatum facit, non modò Romæ & per Italiam, ſed & Carthagini communionem ſub vna ſpecie fuiſſe publicis in Eccleſiis & ſacrificiis frequentatam. *Noſtris*, inquit, *quoq́ temporibus Aſpere. VI. Coſſ. Carthagini conſtituto, hoc ſignum diabolicum monſtroſumq́, quod illic accidit, quis illius patriæ ciuis ignorat? Quædam iuuencula Araba natione, ancillæ Dei habitum geſtans, cùm in balneo lauans ſimulacrum quoddam Veneris impudicè reſpiceret, & ſeipſam, eiq́ ſe conſimilans, domicilium ſe diabolo præbuit. Statim ille Leo, qui rugiens circuit, quem quærebat, inuenit. Meatus igitur gutturis ipſius occupans, nullum cibum nullumq́ potum traiiciens, per ſeptuaginta fermè dies totidemq́ noctes ieiunium ſibi diabolus ex capta, poſſeſſoq́ vaſe exhibuit. Hoc monſtrum parentes puellæ per tot dierum ſpatia auferri poſſe ſperantes, dum iuge malum vlterius tolerare non poſſent, ſimul cum filia ſeſe ingeſſerunt ſacerdoti, quæ acta erant fideliter intimantes: Hoc tantum puella fatebatur, auem quandam noctis medio apparere, quæ ſibi ore, neſcio quid infunderet. Stupor tunc inerat cunctis videre puellam, nullis indiciis diuturni ieiunij fœdatam, nullo pallore ſeu tabe vel debilitate confectam, quin potius robuſtam ſucco viſcerum, mole membrorum. Cumq́ incredibilia viderentur, quæ dicebantur, habito conſilio in Monaſterio puellarum, in quo reliquiæ S. Stephani ſitæ ſunt, ſacerdos puellam ſimul & Præpoſito commendauit. Illic prima tantùm die apparuiſſe illam auem aſſeruit, ſeſeq́ increpâſſe, quòd neq́ fame neq́ ſiti compulſa illum appeteret locum, quo ſibi accedere non liceret. Per duas ſanè hebdomadas nihil cibi vel poculi ſumens in Monaſterio manſit. Accidit autem, vt quintusdecimus Dominicus illuceſceret dies, aſcendente nobiſcum ſacerdote, vt matutinum illic ſacrificium ſolito offerretur. Puellam Præpoſitus ad altare per-*

Lib. de præd. & promiſſ. dimidium tép. cap 6.

1. Pet. 5.

perduxit, eo inceſſu & habitu, quo ſolent rubore perfuſæ ex epulis poculiſq; mulieres aduenire. Sed vt ſe illa proſtrauit altari, clamore fletus ſui cunctis adſtantibus gemitus lacrymaſq; induxit, quibus tantùm malum auferendum præſens plebs Dominum exorabat. Erat enim iam indecens murmur in populo. Peracto itaque ſacrificio, cùm eadem inter cæteras breuem particulam corporis Domini tinctam à ſacerdote perciperet, ſemihora mandens traiicere non valuit, nondum illo fugato, de quo dicit Apoſtolus: Quæ conſonantia Chriſti ad Belial? & iterum: Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini participare, & menſæ dæmoniorum. Manu igitur faciem eius ſuſtentante ſacerdote, ne ſanctum proiiceret, à quodam diacono ſuggeſtum eſt, vt calicem ſalutarem gutturi eius Pontifex applicaret. Quod, vt factum eſt, ſtatim locum illum, quem diabolus obſederat, Saluatoris imperio reliquit, & Sacramentum quod ore geſtabat, cum laude Redemptoris tranſglutiſſe ſe puella clamauit. Ex hac celebri hiſtoria patet, non ſolùm puellæ illi, ſed etiam cæteris communicantibus, Sacramentum ſub vna tantùm ſpecie miniſtratum fuiſſe. Neq; verò huic fidei derogat particula illa intincta; quaſi fuiſſet ſanguine Chriſti imbuta. Hoc etenim fieri nullo modo poterat, cùm manifeſtum ſit calicem paulò pòſt gutturi adhibitum fuiſſe, qui certè longè ſalutariùs & feliciùs dæmonem è gutture hauſtus, quàm applicatus exturbâſſet. Sed quoniam moris non erat tunc calicem laicis ſiue infirmis, maximè puellis miniſtrare, pro religione Epiſcopus Proſper & ſacerdotes habuerunt, etiam in euidenti neceſſitate puellæ illi largiri. Vnde quoque Iulius ſummus Pontifex intingendi ſpeciem panis in ſanguinem Domini antea iam multis annis, tanquam non ne-

1.Cor. 10.

ceſſariam, abrogârat. Ex quo ſequutum eſt, quemadmodum ex Conciliis partim Matiſconenſi II. partim Toletano XI. manifeſtũ euadet, vt vel ſpecies panis vino imbuta, vel certè ſpecies vini ſola ſecundum diuerſorum neceſſitatem ſit conceſſa & adminiſtrata, quemadmodum ſuperiùs ex Cypriano declaratum eſt. Can 6. Can. 11. Sermo. de lapſis.

ASSERTIO III.

Ab Iuſtiniani primi Imperio ad Caroli Magni ætatem per vniuerſas Chriſtianorum Eccleſias, communione ſub vna ſpecie liberè frequentata fuit.

IVſtiniani primi Imperatoris tẽpore, Euagrius Scholaſticus, eiuſdem ferè ætatis ſcriptor, Cõſtantinopoli Catholicos publica in Eccleſia Sacramento ſub vna ſpecie vſos fuiſſe, planum facit, cùm ſcribit, partes corporis Chriſti ex communione relictas, impuberibus pueris & incorruptis, à ſacerdote peracto ſacrificio traditas fuiſſe. Quod equidem certiſſimo eſt argumento, populum nõ ſub vtraq; Sacramentũ ſumpſiſſe. Quî enim fieri potuiſſet, vt ita ſolę partes ſpeciei panis reſiduæ fuiſſent, vt vini nihil penitus remãſiſſet, ſi populus ſub vna ſpecie corpori Chriſti non cõmunicâſſet? Sed Euagrij verba libet huc adſcribere: *Vetus*, inquit, *fuit conſuetudo Conſtantinopoli, vt ſi quando multæ admodum particulæ puri & immaculati corporis Chriſti Dei noſtri ſupereſſent, pueri impuberes, qui ſcholas frequentabãt, accerſerentur, eaſq́ manducarent. Quod cùm factum fuit, filius cuiuſdam hominis Hebræi quidem opinione, arte autem vitriarij, vnà cum pueris verſatus eſt, qui quidem parẽ-* Lib. 4. c. 35. Eccleſ. hiſt. *Vnius ſpeciei reliquias pueri innocentes ſumebant.*

tibus

tibus percunctantibus ab eo cauſſam moræ, reſpondit, vti res ſe habuit, ſe cum aliis pueris pariter comediſſe. Hebræus bile, furore, & iracundia inflammatus in clibanum ardentem, in quo vitrum formare ſolebat, puerum coniicit. Poſtquam verò mater puerum quæritans reperire non potuit, paſſim per totam vrbem ibat, Deum cum gemitu obteſtans & flebilibus lamentis ſe dedens. Triduo autem pòſt ad oſtium officinæ viri ſui conſiſtens luctu miſerabiliter diuexata, nomine puerum compellat. Puer matris vocem vt agnouit, è clibano reſponſum dat. Mater effractis foribus intrò irrumpit, videt puerum in mediis carbonibus candentibus conſiſtentem, illæſum ab ignis incendiis. Qui cùm rogaretur quo pacto illæſus manſerit: Mulier, inquit, veſte amicta purpurea crebrò ad me venit, porrexit aquam, qua carbonum flammas corpus ambientes extinguerem, cibum denique dedit quoties eſuriebam. Quæ re ad Iuſtinianum perlata, puerum cum matre lauacro regenerationis tingendos decernit: Patrem autem pueri, qui recuſauit in numerum Chriſtianorum adſcribi in ſycis cruci ſuffigendum curauit. Nicephorus præterquam, quòd totidem verbis hanc eandemque rem enarrat, addit etiam ſe cùm adhuc puer admodum eſſet, & in ſacris ædibus verſaretur, vt alij eiuſdem ætatis pueri, ſæpenumerò eiuſmodi ſacras corporis Chriſti reliquias ſumpſiſſe.

Vnius ſpeciei communio miraculo probatur.

Lib. 17. cap. 25.

Can. 6. CONCILIVM Matiſconenſe II. inſigne illud & ſingularis auctoritatis, huic conſuetudini non obſcurè his verbis ſuffragatur: *Quæcunque reliquiæ ſacrificiorum poſt peractam Miſſam in ſacrario ſuperſederint, quarta vel ſexta feria innocentes, ab illo, cuius intereſt, ad Eccleſiam adducantur, & indicto eis ieiunio eaſdem reliquias conſperſas vino percipiant.* His verbis profectò planũ redditur, & ſpeciem ſolam panis aliquot diebus in ſacrario repoſitam, & eandem ſine ſanguinis admixtione pueris eſſe diſtributam. Inaniter

Vna ſpecies abſque altera in ſacrario conſeruata.

ſine dubio & fruſtrà ſacerdotes reliquias illas ſpeciei panis vino conſperſiſſent, ſi ſanguis in ſpecie vini conſeruatus in promptu fuiſſet. Sed ea erat illius ętatis conſuetudo, vt panis ſpecies in Sacramento ſeruaretur, & populo & infirmis miniſtraretur.

Concilivm proinde Turonenſe ſecũdum, paulò ante Matiſconenſe celebratum, aptum & commodum locum antea conſeruandi corporis Chriſti aſſignauerat, vt maiori cum honore & reuerentia, ſacratiſſimæ illæ reliquiæ cuſtodirentur: *Decernitur*, inquit, *vt corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, ſed ſub crucis titulo componatur.* Can. 3.

Concilivm autem Toletanum vndecimum, hãc cõſeruandi & miniſtrandi corporis Chriſti ſub vna ſpecie conſuetudinem, priſcis Chriſtianis fuiſſe vſitatam, clarè hunc in modum tradit: *In collatione noſtri cœtus relectus eſt Canon Toletani Concilij primi, in quo præceptum eſt, vt ſi quis acceptam à ſacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur: nec adiecta eſt ibi diſcretio voluntatum. Cùm & infidelis infideliter hæc talia agat, & fidelis fidenter accipiat, quòd naturalis illũ neceſſitas deglutire non ſinat. Solet enim humanæ naturæ infirmitas in ipſo mortis exitu prægrauata, tanto ſiccitatis pondere deprimi, vt nullis ciborum illationibus refici, ſed vix tantundem illati delectetur poculi gratia ſuſtentari. Quod etiam in multorum exitu vidimus, qui Optatum ſuis votis ſacræ communionis expetentes viaticum, collatam ſibi à ſacerdote Euchariſtiam reiecerunt: Non quòd infidelitate hæc agerent, ſed quòd præter Dominici calicis hauſtum traditum ſibi non poſſent Euchariſtiam deglutire. Non ergo huiuſmodi à corpore Eccleſiæ ſeparandi ſunt, qui talia non infidelitate, ſed neceſſitate fecerunt; præſertim ij, de quibus nihil fidei ſiniſtræ ſentitur.* Hîc manifeſtè patet vnicam Can. 11.

Vnius ſpeciei communio dabatur olim ægris, & cùm inglutire non poſſent, addebatur calix.

vnicam tantùm ſpeciem, eamque panis non modò infirmis, ſed & ſanis in Eccleſia ſolitum dari fuiſſe. Nam cùm hoc Concilium Toletanum primi Toletani, quo non ſumentes acceptam Euchariſtiam excommunicantur, ſententiam explicet; planum euadit non excommunicari decreto primi Toletani eos, qui ob infirmitatem & oris ſiccitatem panis ſpeciem ſolùm deglutire non poſſunt. Ex quo intelligitur clariſſimè, datam fuiſſe communionem in Eccleſia ſanis, & domi infirmis tantùm ſub vna ſpecie, adeò vt Concilium potiùs infirmos, qui ob ſiccitatem oris panem ſumere non poterãt, ab excommunicatione liberos reddat, quàm vt eis ſanguinem ſub ſpecie vini permittat. In quo certè clarum redditur, veterem Eccleſiam nunquam vel Chriſti inſtitutione ſub vtraque ſpecie communicandi præceptum agnouiſſe, vel certè ſua auctoritate, niſi ad ſubuertendas hæreſes breui tempore ſtatuiſſe. Alioquin ſummo ſacrilegio obnoxij fuiſſent Eccleſiarum Rectores, ſi petentibus calicem infirmis contra præceptum denegâſſent.

GREGORIVS Magnus 100. annis ante Concilium hoc Toletanũ XI. certiſſimam fidem facit ſuo proprio miniſterio, Chriſtianos ſub vna ſpecie corpus & ſanguinem ante ſuum Pontificatum annis ferè 60. percepiſſe, *Vnius ſpeciei communionẽ Gregorius Magnus vſitatam fuiſſe probat.*
Lib. 3. dial. cap. 3. cùm ſic ſcribit: *Poſt non multum temporis exigente cauſſa Gothorum, vir quoque beatiſſimus Agapetus huius ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Pontifex, cui Deo diſpenſante deſeruio, ad Iuſtinianum Principem acceſſit, cui adhuc proficiſcenti quadam die in Græciarum iam partibus, curandus oblatus eſt mutus & claudus; qui neque vlla verba edere, neque ex terra vnquam ſurgere valebat, cumq́; hunc propinqui illius flentes obtuliſſent; vir Domini ſollicitè requiſiuit, an curationis illius haberent fidem. Cui dum in virtute Dei ex auctoritate Petri fixam ſalutis illius*

ſpem habere ſe dicerent; protinus venerandus vir orationi incubuit, & Miſſarum ſolennia exorſus ſacrificium in conſpectu Dei omnipotẽtis immolauit. Quo peracto ab altari exiens claudi manum tenuit, atq; aſsiſtente & aſpiciente populo, eum mox à terra in propriis greſsibus erexit. Cumq; ei Dominicũ corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendũ lingua ſoluta eſt. Mirati oẽs, flere prægaudio ceperũt, eorumq; mentes ilicò metus & reuerentia inuaſit. Hunc autem morem ſub vna ſpecie cõmunicandi ab Agapeti vſq; ad Gregorij Magni tempora duràſſe celebri hiſtoria, Ioannes Diaconus refert, cùm ad hũc ſenſum ſcripſerit: Materfamilias quædã nobilis erat in ciuitate Romana, quæ religionis & deuotionis ſtudio, oblationes facere & die Dominico ad Eccleſiã deferre, ſummoq; Põtifici Eccleſiaſticæ cõſuetudinis & familiaritatis gratia offerre ſolebat. Hæc vbi quadã die ex more ad cõmunicandum de manu Apoſtolici in ordine ſuo accederet, illiq; partẽ Dominici corporis porrexiſſet, dicens: Corpus Dñi noſtri Ieſu Chriſti proſit tibi in remiſſionẽ peccatorũ & vitam æternã, illa ſubriſit. Quod vir Dñi (Gregorius) cernens illi cõmunionem retraxit, & ſeparatim ſuper altare repoſuit, eamq; diacono ſeruandã, vſq; dum cuncti cõmunicarent fideles, tradidit. Expletis verò ſacris myſteriis interrogauit eam B. Gregorius; Dic, rogo, dic, quid cordi tuo immerſerit, cùm cõmunicatura riſiſti? At illa; Recognoui, inquit, portiunculã illam ex eadem oblatione fuiſſe, quam ego meis manibus feci, & tibi obtuli: & cùm eã te intellexeram corpus Dñi appellâſſe, ſubriſi. Tunc ſanctus Domini Pontifex ſermonem habuit ad populũ, hortatusq; eſt, tum vt ſuppliciter Dominũ exoraret, quatenus ad multorũ vitam corroborãdam, carnis oculis oſtẽderet, quod infidelitas huius mulieris mentis oculis videre, & fidei lumine cõſpicere debuiſſet.

Vnius ſpeciei cõmunio miraculo confirmata eſt.

Lib. 2. cap. 41. in vita Gregorij.

Vnius ſpeciei cõmunio miraculo probatur.

buiſſet. Quod cùm fuiſſet oratum, ipſe vnà cum populo eandemq; muliere ab oratione ſurrexit, & in altari cũctis cernentibus, & ſeſe ad cernendum cœleſte ſpectaculum comprimentibus, corporaliter palàm reuelat, & vniuerſo populo atq; ipſa muliere cõtuente, partim digiti auricularis, ſanguine cruentatam inuenit, ac mulieri dixit: Diſce veritati, vel modo etiam conteſtanti credere. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, & ſanguis meus verè eſt potus. Et paulò pòſt: Inde vniuerſos iuſſit diuinam precari potentiam, vt in formam priſtinã ſacroſanctum reformaret myſterium, quatenus mulieri ad ſumendum eſſet poſſibile, quod & factum eſt. Hîc ſuperuacaneum eſt rem diſertis verbis explicatam fuſiùs declarare, cùm conſtet hanc hiſtoriam nullo modo ad vtramque ſpeciem detorquêri poſſe.

Gregorivs Turonenſis Archiepiſcopus Magni illius Gregorij coætaneus, eandẽ conſuetudinẽ ſub vna ſpecie cõmunicandi per Gallias fuiſſe, in illo ſuo de Gloria Martyrum opere teſtatur, cùm ait: *Dies paſſionis erat Polycarpi Martyris Magni, & in Ricomagẽſi vico ciuitatis Aruernæ eius ſolennia celebrabantur. Lecta igitur paſſione cũ reliquis lectionibus, quas Canon ſacerdotalis inuexit, tempus ad ſacrificiũ offerendũ aduenit: acceptaq; turre* (hoc tempore ciborium appellatur) *Diaconus, in qua myſterium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad oſtium, ingreſſusq; eſt templum, vt eam altari ſuperponeret: elapſa de manu eius ferebatur in aëra, & ſic ad ipſam aram accedens, nunquam eam manus Diaconi potuit aſſequi, quod non alia credimus actum de cauſſa, niſi quia pollutus erat in conſcientia.* Hîc etiam clarè admodum liquet, & Sacramentum ſub vna ſpecie aſſeruatum more huius temporis, & populo publicis in Eccleſiis miniſtratum fuiſſe; in quo videre eſt, maiores olim

Lib. 1. c. 86.

Vnius ſpeciei communio probatur ex Gregorio Turonenſi.

Vnius ſpeciei communio miraculo probatur.

olim antiquiſſimo ritu varia vaſa fabricâſſe ad honorificè conſeruandum, colendum, & geſtandum Sacramentum corporis Domini, quo extra etiam Miſſæ ſacrificium cuiuis ad adorandum in promptu eſſet, & volenti ſuſcipere ſtato tempore pateret. Hinc à temporibus Magni Baſilij per 160. continuos annos, ad quintum generale Concilium Conſtantinopolitanum, forma vaſis columbini per Græciam atque Antiochiam perdurauit. Turres verò, ſiue vti iam nominantur, ciboria ad vnam tantùm ſpeciem accommodata, à mille annis per Italiam, Galliam, totamque denique Europam ad veritatis teſtimonium conſeruantur, & indies ſingulari religione noua apparantur.

Ioannes Moſcus Euiratus Sophronio Hieroſolymorum Patriarchæ ſcribens, dilucidè demonſtrat, ſua ætate conſuetum & vulgatum fuiſſe ſub vna ſpecie Sacramentum ſuſcipiendi: *Cùm*, inquit, *veniſſemus Seleuciam, conuenimus Abbatem Theodorum Epiſcopum eiuſdem ciuitatis. Ille autem narrauit nobis, dicens: Sub ſanctæ memoriæ Dionyſio huius ciuitatis Epiſcopo prædeceſſore meo tale quiddam contigit. Vir quidam erat in hac ciuitate negotiator, valde religioſus & diues, ſed hæreticus, erat enim de Seueri ſectatoribus. Habebat autem ſeruum fidelem quendam ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ communicantem. Hic prouinciæ conſuetudine, die ſancto cœnæ Dominicæ ſumptam communionem inuoluit in linteo mundiſſimo, & in armario repoſuit. Contigit autem, vt poſt ſanctum Paſcha vir ille fidelis mitteretur Conſtantinopolim negotij cuiuſdam gratia, dimiſſa per obliuionem ſancta communione in armario, dedit autem eius clauem Domino ſuo. Quadam verò die aperiens armarium Dominus, inuenit linteolum, inuolutasq; in eo ſanctas particulas communionis. Contriſtatus eſt autem in hoc, & hæſitabat quidnam de illis faceret; nam ex* Lib. prato ſpirit. cap. 79.

ipſis

ipſis communicare nolebat, eò quòd eſſent ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ, ipſe verò Seuerianæ hæreſis. Et tunc quidem dimiſit eas in armario, vt erant cogitans quòd rediturus eſſet ſeruus & ſumpturus eas. Cùm autem veniſſet cœna Domini, neque ſeruus ille fidelis rediiſſet, voluit eas Dominus ipſius comburere, ne rurſus in ſecundum annum ſeruarentur. Apertoq́ armario, vidit omnes ſanctas particulas culmos & ſpicas germinâſſe. Vnde ingenti timore comprehenſus, in nouo admirandoq́ ſpectaculo, ſumens ſanctas particulas, & cum omni domo ſua clamans; Kyrie eleiſon; cucurrit ad ſanctam Eccleſiam ad ſacroſanctum & venerabilem Dionyſium Epiſcopum. Hoc autem magnum & terribile, & omnem rationem, omnemq́ mentem, & omnem cogitationem excedens miraculum, non vnus, aut duo, aut tres, vel pauci aliqui viderunt, ſed omnis Eccleſia, ciues, & ruſtici, qui in poteſtate ſunt conſtituti, & qui illorum reguntur imperio. Plurimi igitur ex hoc miraculo credentes, adiecti ſunt ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ. Hæc ille. Huius autem viri ſancti hiſtoriæ nullo modo derogari poteſt, quandoquidem eiuſdem libri caput 45. à ſecunda Synodo Nicæna ſeptima generali, in auctoritatem & teſtimonium adducatur, ex quo liber ipſe, ſiue Sophronij, ſiue Eiurati nominetur, auctoritate Concilij approbatus toti poſteritati redditur.

Vnius ſpeciei communio confirmatur miraculo.

Actione 5.

Beda presbyter Iuſtiniani II. Imperio non ſolùm ſua ætate, ſed vetuſtiſſima memoria ſub vna ſpecie populum Chriſtianum ſacram Euchariſtiam ſumpſiſſe teſtatur exemplo Tarſitij Martyris, qui cùm Domini corpus ſecum ferret, & ille ſanctum dare canibus nollet; martyrium ſubire, quàm illis ſacram Euchariſtiam prodere, maluit. Cùm verò Pagani, eo iam interfecto, curioſiùs inueſtigarent quid ferret, (corpore Domini cœlitus ablato) linteamina tantùm, quibus ſacrum Chriſti corpus

In Martyrologio 15. Aug. Algerus lib 2. de Sacram. Euchar. cap. 1.

Vnius ſpeciei communio probatur teſtimonio Venerabilis Bedæ.

pus contentum ſeruauerat, vacua reperta ſunt. Hîc patet, ritum ſub vna ſpecie communicandi, Martyrū tempore vſitatum fuiſſe.

Idem Venerabilis Bedá, mirabile quoddam & memoratu dignum de vnius ſpeciei communione refert exemplum, his verbis: *Auxit procellam huiuſmodi perturbationis, etiam mors Saberethi Regis Orientalium Saxonum; qui vbi regna perennia petens, tres filios ſuos, qui pagani perdurauerant, regni temporalis hæredes reliquit; Cœperunt illi mox idololatriæ, quam viuente eo aliquantulū intermiſiſſe videbantur, palàm ſeruire, ſubiectiſq; populis idola colendi liberam dare licentiam. Cumq; viderent Pontificē, celebratis in Eccleſia Miſſarum ſolenniis, Euchariſtiam populo dare, dicebant (vt vulgò fertur) ad eum barbara inflati ſtultitia, quare non & nobis porrigis panem nitidum, quem & patri noſtro Saba* (ſic namque eum appellare conſueuerant) *dabas, & populo adhuc in Eccleſia dare non deſiſtis? Quibus ille reſpondebat; Si vultis ablui fonte illo ſalutari, quo pater veſter ablutus eſt, poteſtis etiam panis ſancti, cui ille participabat, eſſe participes: Sin autē lauacrum vitæ contemnitis, nullatenus valetis panem vitæ percipere. At illi; Nolumus, inquiunt, fontem illum intrare, quia nec illo opus nos habere nouimus, ſed tamen pane illo refici volumus. Cumq; diligenter ac ſæpe ab illo eſſent admoniti, nequaquam id fieri poſſe, vt abſq; purgatione ſacroſancta quis oblationi ſacroſanctæ communicet, ad vltimum furore commoti aiebant: Si non vis aſſentire nobis in tam facili cauſſa, quam petimus, non poteris tam in noſtra prouincia demorari. Et expulerunt eum, ac de ſuo regno cum ſuis abire iuſſerunt.* Hac hiſtoria luculenter demonſtratur eo tempore Chriſti fidelibus ſacram Euchariſtiā ſub vna tantùm ſpecie panis fuiſſe porrectam. Alioqui non minus calicem, quàm nitidum panem exegiſſent Tyrannni.

Lib. 2. hiſt. Angl. ca. 5.

ASSER-

ASSERTIO IIII.

A Caroli Magni Imperio, qui ſub vna ſpecie publicè in Eccleſia Sacramentum ſuſcepit, ad noſtram hanc ætatem Chriſtiani communione ſub vna ſpecie vſi ſunt.

Metropol. lib. 1. cap. 9.

CAROLI Magni Imperio ex Saxonum Annalibus, vt ſcribit Albertus Crantzius, clariſſimè patet, cõmunionem ſub vna ſpecie ita populo Chriſtiano familiarẽ fuiſſe, vt etiam Imperator publica in Eccleſia palàm vſus fuerit. Quod ipſum Albertus Crantzius inſigni & veteri hiſtoria manifeſtum facit, in hunc modum ſcribens: *Rex Carolus Magnus caſtra dum habuit ad Oram fluuium VVolmerſtede in Orientali Saxonia, inceſſit cupido Principi VVedeckindo luſtrare Regis caſtra: quod etſi palàm iam reconciliato liceret, libuit tamen ignoto habitu liberius omnia ſcrutari. Vicina erat Paſchalis ſolennitas, & Rex cum vniuerſo milite pro Chriſtiana pietate, ſe tum ſacris imminentibus apparabat, commemoratione Dominicæ paſſionis, & expurgatione criminũ in expiatione conſcientiæ. VVedeckindus mendici habitu per fluuiũ in nauicula allabitur: & quominus noſceretur, mendicus cum mendicis ad ſtipem ſedebat. Ingens quippe pauperum regionis multitudo quotidie aſſectabatur. Rex illis largam ſtipem iuſſit erogari. VVedeckindus vbi ad eum peruentum eſt, dextram & ipſe protendit. Attendit, qui diſtribuit, incuruum in manu digitum, qualem ſciebat habere VVedeckindum. Vultum eius diligentiùs intuetur: agnoſcit arridens, qui largiebatur. Quid ita mendicus inter mẽdicos ſederet Princeps ditiſſimus percunctatur. Ille nihil ad hæc, ſed ad Regẽ ſe iubet introduci, erat tum ſanctiſſimus Paſchæ dies, Rex hilariter accepit venientem, percuncta-*

percunctatus quid ſibi vellet indignus Principe habitus. Ille ſubdit hæc: Volui, Sereniſſime Rex, hoc habitu incognitus (vt ſperabam) luſtrare ſecreta geſtorum, quæ cognitus non tam fidenter aſpicerem; curioſitas induxit vt latibulum quærerem, qui inter tuos nunc in gratiam ſuſceptus propalam poteram percunctari, quæ vellem. Quid igitur, inquit Rex, vidiſti, quod te vidiſſe delectat. Ille, vt erat adhuc rerum Chriſtianarum rudis, ſubintulit; Vidi quod mirabar ante biduum, te vultu demiſſo triſtem, incertus quid contigiſſet, quod tantum Regem cõtriſtaret. Commemoratio fuit Dominicæ paſſionis, quæ die Paraſceues regium vultum obſcuráſſet. Rurſum inquit: Vidi hodierna te die primùm ſolicitum & ad rem attentiſſimum: poſteaquam verò menſam adieras templo mediam, ita hilari mihi conſpectus es vultu, vt repentinæ in te mutationis me caperet miraculum. Stupor autem erat videre, quòd de manu purpurati ſacerdotis ſinguli pulchellum puerum in os ſuſciperent; quem quibuſdam ludibundum arridere, vltro properare; aliis verò abhorrentem auertiſſe vultum, & tamen in ora demiſſum, nec redeuntem aſpexi, hoc quid ſit, necdum accipio. Tum, Rex, Bene, inquit, profeciſti, plus tibi aliquid quàm cunctis ſacerdotibus & omnibus nobis oſtenſum eſt. Inde mutata veſte, manu ſecum abſtractũ, docuit grande pietatis myſterium in altaris Sacramento. Hæc ille. Hîc apertiùs patet communionem ſub vna ſpecie Germanis & Gallis vſitatam fuiſſe, quàm vt multis verbis rem claram explicemus, quandoquidem miraculum non duabus, ſed tantùm ſub vna vnius ſpeciei ſumptione patratũ eſſe conſtat. Singuli enim communicantes vnum duntaxat puerum non duos ſumebant, qui ſine dubio VVedeckindo apparuiſſent, ſi vtraque panis & vini ſpecies porrectæ fuiſſent.

Vna ſpecies miraculo confirmatur.

Ante Caroli Magni tempora, atq; deinde longo vſu, ad noſtram vſq; ætatem conſuetudo Eccleſiæ Romanæ

teſtatum

teſtatum facit, olim Chriſtianos, vt iam modò omnes, ſub vtraque ſpecie communicandi præceptum nullo pacto agnouiſſe, cùm ordo Romanus cærimonias religionis noſtræ continens, qui adeò vetuſtus eſt, vt ad certam originem referri non poſſit, clarè & manifeſtè declarat populum Chriſtianum die Paraſceues ſanguinem ſub ſpecie vini non ſumpſiſſe. In eo enim libro ſic ſcriptum reperitur: *Tunc Pontifex lauet manus, & Diaconi vadant ad altare & diſcooperiant ſancta, & Pontifex veniens ad altare diuidat oblatas ad frangendum, & communicet omnis populus ordine ſuo, & ſumat de ipſis oblatas integras ad ſeruandum vſq; mane diei Paraſceues: de quibus communicent abſq; ſanguine Domini: Sanguis verò eadem die penitus conſumatur.*

De cõſecr. Chriſmatis.

Hunc communicandi ritum longiſſimo tempore non ſolùm perdurâſſe conſtat, ſed & antiquiſſimum ordinem illum Romanum Albinus Flaccus Alcuinus Caroli Magni præceptor, Rabanus Maurus Moguntinus Archiepiſcopus, & plerique alij prçſtantes viri tum ſcriptis ſuis interpretati ſunt, tum mirificè, vti par erat, poſteritati commendârunt. Atque ideò illud manifeſtum euadit, tanto tempore communionem ſub vna ſpecie non ſolùm frequentem laicis, ſed ipſis ſacerdotibus non offerentibus certis temporibus vſitatum fuiſſe. Ipſo enim die Paraſceues, vt iidem auctores teſtantur, nulla ſacra peragebantur, ſed ſacrum Chriſti corpus ſub ſpecie panis die cœnæ Domini ad diem Paraſceues ſeruabatur, quo ſine ſanguine ſacerdos & populus communicare poſſet. Sed hæc communicandi illo ſacro die conſuetudo ſub vna ſpecie tantùm à ſacerdotibus & laicis ad hæc noſtra tempora recepta eſt, & ita confirmata, vt ridiculum ſit planè in dubium vocare, an ante 500. annos populus Chriſtianus ſub vna ſpecie communicârit. Hoc

Lib. de diuinis officiis.

Lib. 2. cap. 37. de inſtit. Clericorum.

Vna ſpecies in die Paraſceues omnibus porrecta.

Vnius ſpeciei origo neſcitur ſecundũ Aduerſarios.

Conf. Auguſt de vtraq; ſpecie.

ipſum Aduerſarij ſine vlla cõtrouerſia vltrò concedunt & fatentur;adeò,vt pleriq; aſſerant,nullum auctorem, nullum tempus dari,quo mos cõmunicandi ſub vtraq; ſpecie mutatus ſit; ac proinde nos labore magno in cæteris auctoribus deſcribendis,Lectorem verò magno tædio in legendis leuare vidẽtur. Et certè hac in re laudandi ſunt, qui etſi cogantur, tamen veritati manifeſtæ, vt aliàs ſolent,non repugnant. Iam verò ſine controuerſia patet,à temporibus Apoſtolorum ad noſtram vſq; ætatem ita vnius ſpeciei cõmunionem continuò decurriſſe & durâſſe,vt planum euadat,nunquam Chriſti præceptum de vtraq; ſpecie agnitum,vel ab aliquo etiam receptum fuiſſe. Quamobrem ſuperuacaneum exiſtimo, cæteros auctores,qui per 500. annos ad noſtra hæc tempora vixerunt, recenſere, cùm iidem Aduerſarij facilè concedant, per eoſdem annos communionem ſub vna ſpecie vſitatiſſimam fuiſſe. Quanquam vltimorum Cõciliorum Oecumenicorum decreta cum D. Bernardi, Alexandri Aleſij,& D. Thomæ Aquinatis ſententiis epilogi & omnium loco aſcribere lubet,ne de veritate ipſa aliquando dubitari poſſit.

Vnius ſpeciei cõmunio à tempore Apoſtolorum huc. uſq; in Eccleſia Viguit.

Bernardvs, cùm nullum ſub vtraq; ſpecie communicandi præceptum animaduerterit,fratribus etiam ſuis religioſis viris ſub vna ſpecie porrexit, vt teſtis eſt Gulielmus Abbas ſancti Theodorici, ſic ſcribens: *Agebatur ſolennitas quædam præcipua,& frater aliquis, quem pro ſecreta culpa ab altari et ſacra cõmunione ſuſpenderat,notari timens,et ruborem nõ ſuſtinens,ad manus eius cum cæteris nimis præſumptuoſus acceſſit. Intuitus autẽ eum,quia cauſſa latens erat, repellere hominem noluit,ſed intimo corde orabat Deum, vt de tãta præſumptione melius aliquid ordinaret. Itaq; ſumens homo Euchariſtiam, non potuit ad interiora traiicere,& diu multumq;*

Vnã ſpeciẽ D. Bernardus fratribus ſuis porrexit.

Præſumptio communionis ſuſpenſæ periculoſa.

Vnius ſpeciei cõmu-

Lib. 1. c. 11. vitæ S. Bernardi.

cona-

conatus, cùm nullo modo præualeret, anxius et tremebūdus clauſam ore ſeruabat. Expleta deniq; hora orationis ſexta patrē ſanctum traxit in partem, eius pedibus aduolutus, cum multis ei lacrymis, quod patiebatur, aperuit, & aperto ore ipſam quoq; Euchariſtiā oſtendebat. Increpans aūt eum confitentem abſoluit, & ex tunc ſine difficultate recepit Dominica Sacramēta. Hęc cùm ad calicis hauſtum accommodari nullo modo poſſint, ſequitur eos ſub vna panis ſpecie communicâſſe. *nio miraculo confirmatur.*

4. par. q. 53. mem. 1. Alexander Alenſis, vir inſigni doctrina & pietate clarus, non diſſimilem refert hiſtoriam: *Aliquibus,* inquit, *religioſis petentibus & inſtantibus, vt ſub vtraq; ſpecie ſumerent Sacramentum ſacerdote quodam pio cantante, cùm faceret fractionem, cōcauum patenæ totum viſum eſt repleri ſanguine, ad quod obſtupuerunt ipſe & circumſtantes. Sed cùm coniungeret partes hoſtiæ, totum viſum eſt reintrare, & petitioni & tentationi illorum fuit ſatisfactum.*

3. par. q. 80. art. 12. Thomas Aquinas proinde cum Alexandro concludit, quarūdam Eccleſiarum vſum ſuo tempore fuiſſe, in quibus populo cōmunicanti datur corpus Chriſti ſumēdum, non autem ſanguis intellige ex calice potandus.

Seſſ. 13. Concilium Conſtantienſe hunc in modum decreuit: *Cùm in nonnullis mundi partibus quidā temerariè aſſerere præſumant, populū Chriſtianum debere Sacramentū Euchariſtiæ ſub vtraq; panis et vini ſpecie ſuſcipere: et nō ſolùm ſub ſpecie panis, ſed etiam ſub ſpecie vini populum laicum paſſim cōmunicent, etiam poſt cœnam, vel aliàs non ieiuni, et cōmunicandū eſſe pertinaciter aſſerant contra laudabilē Eccleſiæ conſuetudinem rationabiliter approbatā, quam tanquā ſacrilegā damnabiliter reprobare conantur: hinc eſt quod hoc præſens Cōcilium ſacrū generale Conſtantienſe, in Spiritu ſancto legitimè congregatū, aduerſus hunc errorem ſaluti fidelium prouidere ſatagens, matura plurium Doctorū tam diuini, quàm humani iuris deliberatione*

præha-

præhabita, declarat, decernit, & definit, quòd licet Chriſtus poſt cœnam inſtituerit, & ſuis diſcipulis adminiſtrauerit ſub vtraq; ſpecie panis & vini hoc venerabile Sacramentum; tamen hoc non obſtante, ſacrorum Canonum auctoritas, laudabilis & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſeruauit & ſeruat, quòd eiuſmodi Sacramentum non debet confici poſt cœnam, neq; à fidelibus recipi non ieiuniis, niſi in caſu infirmitatis aut alterius neceſſitatis à iure vel Eccleſia conceſſo, vel admiſſo. Et ſic hæc conſuetudo ad euitandum aliqua pericula & ſcandala eſt rationabiliter introducta, quòd licet in primitiua Eccleſia huiuſmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus ſub vtraq; ſpecie, poſtea à conficientibus ſub vtraq; & à laicis tantummodò ſub ſpecie panis ſuſcipiatur; cùm firmiſſimè credendum ſit, & nullatenus dubitandum, integrum Chriſti corpus & ſanguinem tam ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpecie vini veraciter contineri. Vnde cùm eiuſmodi conſuetudo ab Eccleſia & ſanctis Patribus rationabiliter introducta & diutiſſimè obſeruata ſit, habenda eſt pro lege, quam non licet reprobare, aut ſine Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare. Hactenus Conſtantienſe.

CONCILIVM Baſilienſe hoc modo: *Decernit & declarat eadem ſancta Synodus, quòd fideles laici ſiue clerici communicantes & non conficientes non aſtringuntur ex præcepto Domini ad ſuſcipiendum ſub vtraq; ſpecie, panis ſcilicet & vini ſacrum Euchariſtiæ Sacramētum. Sed Eccleſia, quæ regitur ſpiritu veritatis ſecum manente in æternum, & cum qua Chriſtus manet vſq; ad conſummationem ſeculi (ſicut ait diuina Scriptura) ordinare habet; quomodo ipſis non conficientibus miniſtretur, prout pro reuerentia ipſius Sacramenti & ſalute fidelium viderit expedire. Siue autem ſub vna ſpecie, ſiue ſub duplici quis communicet ſecundum ordinationem ſeu obſeruantiam Eccleſiæ, proficit dignè communicantibus ad ſalutem. Nec vllatenus ambigendum eſt, quòd non ſub ſpecie panis caro tantùm, nec ſub*

Seſſ. 30.

Matth. 28.

ſub ſpecie vini ſanguis tantùm, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integrè totus Chriſtus. Laudabilis quoq; communicandi conſuetudo laicum populum ſub vna ſpecie ab Eccleſia & ſanctis Patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutiſſimè obſeruata, & à Doctoribus diuinæ legis, ſacrarum Scripturarum, atque Canonum multam peritiam habentibus, iam à longæuo tempore commendata pro lege habenda eſt, nec alicui licitum eſt eam reprobare, aut ſine auctoritate Eccleſiæ ipſam immutare. Hæc Baſilienſe. De vtroq; autem in nono huius libri capite pauca adiicientur.

Seſſ. 21. cap. 1. CONCILIVM Tridentinum, ſic tamen vltimo ſapientiſſimè ſtatuit: *Itaq; ſancta ipſa Synodus à Spiritu ſancto,*

Iſa. 11. *qui ſpiritus eſt ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & pietatis, edocta, atq; ipſius Eccleſiæ iudicium & conſuetudinem ſecuta, declarat ac docet, nullo diuino præcepto laicos & clericos non conficientes obligari, ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub vtraq; ſpecie ſumendum; neq; vllo pacto ſalua fide dubitari poſſe, quin illis alterius ſpeciei communio ad ſalutem ſufficiat. Nam etſi*

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. *Chriſtus Dominus in vltima cœna venerabile hoc Sacramẽtum in panis & vini ſpeciebus inſtituit, & Apoſtolis tradidit: non tamen illa inſtitutio & traditio eò tendunt, vt omnes Chriſti fideles ſtatuto Domini ad vtramq; ſpeciem accipiendã adſtringãtur. Sed neq; ex ſermone illo apud Ioãnem ſexto, rectè colligitur, vtriuſq; ſpeciei cõmunionem à Domino præceptam eſſe, vtcunq; iuxta varias ſanctorum Patrum & Doctorum interpretationes*

Ioan. 6. *intelligatur. Namq; qui dixit: Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Dixit quoq;: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et qui dixit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo. Dixit nihilominus: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Atque ſic iam concludendum arbitror ex omnium ætatum ab

Apoſtolis decurſu, nunquam ab aliquo Orthodoxo creditum vel aſſertum fuiſſe, Chriſtianos ex Chriſti præcepto ad vtramque ſpeciem obligari. Quò fit, vt iuſtiſſimè ſacroſancta Tridentina Synodus grauiſſimè decernat hunc in modum: *Si quis dixerit ex Dei præcepto vel neceſſitate ſalutis, omnes & ſingulos Chriſtifideles vtramque ſpeciem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere, anathema ſit.* Ibidem can. 1.

ASSERTIO V.

Manifeſtis Aduerſariorum teſtimoniis abundè conſtat, vnius ſpeciei communionem licitam, plenam, ac ſanctam eſſe.

NE curioſiùs Aduerſariorum libros inueſtigâſſe, atque huic operi paruo multos attuliſſe videar, ſatis meo officio feciſſe exiſtimo, ſi Principem eorum, eiuſq; vnum vel alterum adminiſtrum ea de re teſtificantes adduxero: qui certè non obſcurè declarant, communionem ſub vna ſpecie omnibus ſufficientem ſalutaremque ſemper fuiſſe. *Vna ſpecies probatur à Luthero.* Atque Martinus Lutherus manifeſtis verbis teſtatur, ad percipiendum Sacramenti ſpiritualem fructum, eſſe neceſſarium, vt ipſum Sacramentum re ipſa vel ſaltem deſiderio ſumatur: *Et quamuis modo*, inquit, *non porrigatur ſub vtraque ſpecie populo, ſicut antiquitùs fiebat (quod tamen vt fiat neceſſum non eſt): eo tamen modo quotidie ſacerdotes fruuntur Sacramento præſente populo, cui ſatis eſt, ſi quotidie Sacramentum deſideret, aliquando etiam ſub vna ſpecie ſumat, quemadmodum ab Eccleſia diſpenſatum fuerit, &c.* Tom. 7. Ger. ſerm. de vener. Sacrã. fol. 17. VVitt. impreſ. per Ioan. Luft. anno 1554. Itẽ. Tom. 1. Germ. Ien. Hac ſentẽtia planum facit vtramq; ſpeciem non neceſſariam eſſe populo, qui licitè poſſit, ſub

Eodē ſer. vt ſup.

vna tantùm ſpecie communicare. Sed idem ait: ***Non abs re fore, ſi Eccleſia per generale Concilium decerneret, vt populus (ſicut & ſacerdotes) vtraq; ſpecie frueretur, non propterea, quòd vna ſpecies communicantibus non ſufficiat, cùm etiam ſolùm fidei deſiderium ſufficere poſſit, Auguſtino teſte; Quid paras vētrem ac dentem: crede & manducâſti; ſed quòd ita magis deceret & conueniret.*** Quibus verbis fatetur vnam ſpeciem ſufficere, nec vtramque communicanti populo neceſſariam eſſe. Idem verba Pſalmographi interpretans: Panis confortat cor hominis, ad panis ſpeciem refert, ac fatetur ſanctum Paulum Actor. 9. cùm eſſet baptizatus, hoc Sacramēti pane (nimirum ſub vna ſpecie communicando) confortatum fuiſſe. Ad quem etiam ſenſum D. Chryſoſtomus affirmat ab eodē Apoſtolo Paulo Sacramentum ſub vna ſpecie Lucæ, & aliis, cùm eſſent in naui, porrectum fuiſſe. Idem, licet nonnihil conqueratur, quòd altera vini ſpecies populo fuerit ablata; fatetur tamen id parum referre, poſtquam in verbis, quàm in ſignis plus momenti ſit poſitum. Videant iam Aduerſarij, qui ſalutem hominis ab hauſtu calicis, vel à vini ſigno dependere putant, an Lutheri ſententiam ſequantur. Quin idem palàm proteſtatur ſe non docuiſſe, vt vtraque ſpecies populo detur, licet ſibi pulchrum & bonū videretur: Verùm id expreſſis verbis ſuaſiſſe, vt per generale Concilium vtriuſque ſpeciei communio concederetur, atque ſic vtraque ſpecies, conſentiente Concilio vel Eccleſia, ſumeretur. Et paulò pòſt approbat ſententiam Officialis Stolpeñ. qui docebat, vnam ſpeciem communicātibus ſufficere, cùm firmiter ſit credendū, Chriſtum ſub alterutra ſpecie nō medium, nec diuiſum, ſed perfectum, integrum, & plenum exiſtere, quòd Lutherus fatetur ſe credere, ac cæteros inſuper

In 2. part. ſerm. eiuſdē fol. 18.

Vnā ſpeciē ſumpſit D. Paulus teſte Luthero.

Hom. 17. in opere imperfec.

Vnā ſpeciē porrexit aliis D. Paulus.

Actor. 27.

Tō. 7. Ger. fol. 37. in ſer. de nouo Teſtā.

Tō. 7. Ger. fol. 25. in reſpōſione ad ſchedulam inhibitionis, &c. & Tom. 2. Lat. fol. 30.

Folio 26. Germ. & fol. 30. Lat.

fideles

fideles obſecrat, vt eandem ſententiam firmiter teneant. Certè ex his verbis euidēter colligitur, vtramq; ſpeciem à Chriſto minimè præceptã eſſe. Idem verò apertè ſcribit, ſe non dixiſſe nec cõſuluiſſe, nec hanc eſſe ſententiam ſuam, vt vnus vel etiam plures Epiſcopi prę́ſumant auctoritate priuata cõmunionem vtriuſq; ſpeciei communicantibus porrigere, niſi per generale Concilium id fieri permitteretur. Deinde addit: *Poſtquam Chriſtus non ſingulis præceperit hoc Sacramentum ſumere, licere vt nõ ſolùm vna, ſed etiam aliquando neutra ſpecies accipiatur; ſicut de antiquis Patribus, præſertim Eremitis, ſatis conſtat.* Vnde Bohemos grauiter coarguit, quòd à reliqua fidelium multitudine diſſidentes, & contemnentes poteſtatem Eccleſiaſticã, vna ſpecie contenti non fuerint. Porrò quicquid agat Eccleſia Romana, profectò nihil illius ordinationẽ cuiquam obfuturam ait, poſtquam Chriſtus neutrã ſpeciem (ſcilicet populo) præceperit. Hac certè ſententia nihil à Catholica Eccleſia alienum docuiſſe iudicatur. Sed idem Romanos tanquam vnius ſpeciei cultores, & Bohemos ſpeciem vtramq; plus ſatis vrgẽtes ad animorum concordiam hortatur, ſerioq; monet, ac etiã rogat, vt in cõmunicandi vſu ſint vnanimes & vniformes, ſiue ſub vna, ſiue ſub vtraq; ſpecie id fiat, nec Romani nimio Eccleſiaſticæ poteſtatis rigore abutentes, atq; Bohemi debitam illis è diuerſo ſubiectionem, & obedientiam recuſantes, & ſenſum proprium ſequentes, vtrinq; ſcindãt Eccleſiæ charitatem & vnitatem. Ad quam perpetuò conſeruandam & hoc Sacramentum eſt inſtitutum, & ipſe Dominus nos obligauit. Ad hunc ſenſum plura loquitur ibidem. Vnde liquidò probat vtramq; ſpeciem à Chriſto minimè præceptam fuiſſe. Idem proteſtatur, quòd ſi Cõcilium aliquod vtramq; ſpeciẽ concederet, ſe potiùs

Tom. 7. Ger. VVit. fol. 27. in declarat. quorundã articul. de Euch.

Ibidem.

Bohemos reprehendit Lutherus propter vtramq; ſpeciem.

Species neutra præcepta populo.

Tom. 7. fol. 28.

In lib. de formula Miſſæ &

communionis, Tom. 7. Ger. fol. 397. & Tõ. Lat. VVit. fol. 384.
In lib. de vtraq; ſpecie, Tom. 7. fol. 360. pag. 2. Tom. 2. Ien. fol. 100.

potiùs vnam aut neutram eſſe ſumpturum, quàm vt iuxta Concilij conceſſionem vteretur vtraque, &c. Id quantumuis in Concilij deſpectum non ita ſcribere debuiſſet; tamen verum loqui hominem ratio vera coëgit. Idem autem conſuluit peregrinis, vt ſi venirent ad ea loca, vbi ſub vna ſpecie communicandi conſuetudo eſſet, vt ipſi quoque ſumerent vnam, nec quicquam ſingulare peterent. Id conſulere non potuiſſet, ſi credidiſſet ex Chriſti præcepto obligari omnes ad vtriuſque ſpeciei communionem. Sed neque hæc vnquam gratia & pacis ratio Lutherũ mouit ad ſcribendum; quandoquidem ea, quæ ſub præcepto & mandato Chriſti dicuntur eſſe conſtituta, nulla aut hominum gratia, aut pacis cõſeruandæ ratione, violari debent. Quis enim arbitretur, Baptiſmum relinquendum eſſe, aut Chriſtum non confitendum, vt hominum beneuolentiam venemur? Profectò ſi Lutherus communionem ſub vtraque ſpecie neceſſariam ad ſalutem arbitratus fuiſſet, nunquam ad eas tam manifeſtas ſententias deſcendiſſet, niſi ſummæ inconſtantiæ argui voluiſſet.

Impreſſ. anno 1522. Titul. de abrogatione legis.

PHILIPPVS verò Melanchthon in locis communibus Argentorati impreſſis, de modo communicandi ſic ait: *Errat, qui putat impium eſſe edere ſuillam carnem: errat, qui putat impium eſſe abſtinere à ſuilla; media hæc ſunt, & in arbitrio noſtro poſita. Sic de Euchariſtia iudico non peccare, qui ſcientes huius libertatis & credentes alterutra ſigni parte vtuntur.*

In Colloquio Ratisbon.

BVCERVS quoque ſenſit, vt alios omittam, idem cùm ait: *Ad tollendam hanc controuerſiam inprimis conducturum, vt Eccleſia liberam faceret poteſtatem Sacramentum hoc in vna vel vtraque ſpecie ſumendi; hac tamen lege, vt nulli per hoc detur occaſio, quem vſum tanto tempore tenuit Eccleſia,*

temerè condemnandi atque inuicem iudicandi. Cæteros verò facilè miſſos facio, quorum aliqui libenter concedunt communionem ſub vna ſpecie priuatim licitam & ſalutarem eſſe, quam certè nec priuatim nec publicè concedendam eſſe cenſerent, ſi communionem ſub vtraque ſpecie à Chriſto præceptam eſſe arbitrarentur. Sed hæc ſufficiant, vt omnes intelligant, Aduerſarios verbis tantùm, vt ſuperiores videantur, nõ rebus agere, quod dum agunt, grauiter populum Chriſtianum perturbare iudicantur.

CAPVT SEXTVM,

QVATVOR ASSERTIONES CONTINET: QVIBVS PROBATVR EX RATIONE & Sacramenti Euchariſtiæ natura, ſiue rem, ſiue ſigna ſpectes, communionem ſub vna ſpecie non modò vtilem & ſalutarem eſſe, ſed omnem & integrum eiuſdem Sacramenti fructum dignè communicantibus conferre.

ASSERTIO PRIMA.

Chriſtus Dominus ſub vna panis ſpecie non minus integer, totus, vnus & perfectus, quàm ſub vtraq; panis & vini exiſtit. Proinde ſub vna ſpecie communicandi ritus ab Apoſtolorum temporibus ad noſtram ætatem rectiſſimè ab Eccleſia Catholica vſurpatus fuit.

QVOD.

QVOD tanta tamque longa temporum ſerie, communio nunc ſub vtraque, nunc ſub vna, in vniuerſa Eccleſia frequentata fuerit, vera & ſolida omnium Chriſtianorum fides effecit; qua vnam in conſenſu creditum eſt, & ab omnibus prædicatum, Chriſtum Dominum verum Deum & hominem in Sacramento, ſub altera tantũ ſpecie æquè atq; ſub vtraq; exiſtere, quo factũ eſt, vt populus Chriſtianus nulla gratia ad ſalutem neceſſaria ſe defraudari animaduerteret, ſi vna tantùm ſpecie vteretur. Sed ante mille annos: Neſtorius ingenio improbus, cùm in Sacramẽto ſub ſpecie panis corpus ſine ſanguine, & ſub ſpecie vini ſanguinem ſine corpore conſiſtere impiè aſſereret, vt teſte Claudio de Sainctes ex Cyrillo colligitur, effectũ eſt, vt communio ſub vna ſpecie adeò frequẽtata ſit, vt non modò populus ad Leonis Magni confidenter, ſed & aliqui ſacerdotes rudiores ad Gelaſij tempora, dum ſacris operarentur, per ignorantiam quidem alteram tantùm ſpeciem ſuſciperent; qui quidem error ab his committi potuit, quòd, dum Neſtorij ardentiùs falſam opinionem tanquã Charybdim vitare conati ſunt, in Manichæi ſcopulos & ſcyllã imprudẽtius impegerint. Sed poſtquam à ſummis illis Põtificibus Leone & Gelaſio pugnãtibus illorum hæreticorũ erroribus itum eſt contrà, atq; hæreſes ſublatæ fuerunt, Eccleſia ad liberum communicandi ritum atq; maximè ad vnam ſpeciem, vt Aduerſarij teſtificantur, nullo auctore, niſi ipſa fide, qua Chriſtũ ſub alterutra ſpecie totum, integrũ exiſtere crederet, reuerſa eſt, donec noui homines & noua hæreſi inuenta, cõmunionem ſub vtraque ſpecie à Chriſto eſſe præceptam, & Neſtoriana veteri reuocata, Chriſtum non eſſe integrum, ſub vna ſpecie hoc tempore aſſererent. In qu[illegible]

Vna ſpecies tantum cõtinet quantum vtraq;.

Neſtorij craſſus error.

Claud. repet. 10. c. 3.

Error, quo vna tantũ ſpecies offerebatur & ſumebatur in Miſſa.

Aduerſariorũ diſſen.

etſi dolendum eſt nouos cudi errores,& veteres iam improbatos innouari; tamen quoniam in his machinationibus Aduerſarij non ſibi conſentiunt, non poſſumus non vehementer gloriari, quòd dum aduerſus nos pugnant, ſeipſos propriis armis conficiant. Etenim,vt humanus error in peius ſemper ruit, & in magis denſas caligines labitur, Sacramentarij non minus leuiter, quàm petulanter, Chriſtum in Euchariſtia eſſe pernegant: quibus etſi ex iis,qui Luthero adhærent,nonnulli conſentiunt, tamen aliqui magis timidi & ſubuerecundi,in eam diſputationem nolunt deſcendere, quòd reformident cauſſa penitus ſe caſuros. Laudarem profectò eorum hac in re modeſtiam,ſi non nimis timidè quæſtionis aculeos perhorreſcerent, quod idipſum eorum Anteſignanus non obſcurè declarauit,cùm ait; ſuos aſſeclas hac in re ſumma ſcientia ſophiſtica non indigere. Videbat enim proculdubio, ſi cōcederet apertè Chriſtum verum in Euchariſtia exiſtere,eundem eſſe diuina religione colendum, nec pani communi coniungendum. Videbat certè,ſi Chriſtum ſub vna ſpecie integrum eſſe concederet,crimen nobis obiici non poſſe,quaſi ſanguinem ſuffuremur iis,qui vna vtuntur ſpecie. Et proinde ſuis conſultū voluit,ne ſi nollent contēdendo ludificari,ab eiuſmodi controuerſia abſtinerent. Sed nec hoc ſuo conſilio efficere potuit, vt ſibi diſcipuli omnes obtemperarent. Cùm enim Magiſtrū ancipitem & planè tanquam in ſalebris hærentem viderent, in varias ſententias deſcenderunt,adeò,vt etiam quidam Caluino vltro adhęſerint; alij verò ſubtimidè Chriſtum in Euchariſtia eſſe negârint;reliqui verò omnino anxij de quæſtione planè conticuerint. Vident enim omnes planè, vel Chriſtum in Euchariſtia ſub alterutra ſpecie totum exiſtere negandum.

Lutherani plerique Chriſtum eſſe in Sacramento negant.

Luther. in art. obl. Conc. anno 1538.

gandum eſſe; vel in Sacramento eundem adorandum: liberumque eſſe ſine vllius ſacri fructus iactura, vt ſub vna ſpecie à populo ſumatur: ac proinde pro ſua conſuetudine malunt contra Scripturas ſacras Chriſtum in Euchariſtia negare, quàm cùm Eccleſia vniuerſa, eundem in Sacramēto & venerari, & ſub vna ſpecie ſumere. Quare mirum profectò eſt, quid illud ſit, quòd tantopere ſibi placeant, vt verbum diuinum opinioni ſuæ omnino repugnans non audiant? Quid apertius dicere Chriſtus poterat, ad ſeipſum verum & integrum ſub vna ſpecie in
Matth. 26. Sacramento eſſe teſtandum, quàm cùm ait: *Hoc eſt corpus*
1. Cor. 11. *meum, quod pro vobis tradetur?* Quis enim ita hebes erit, vt ſolum Chriſti viuentis corpus, quod ſine ſanguine, ſine anima, ſine diuinitate eſſe non poterat, traditum eſſe opinetur? Nec eſt profectò quòd hæc verba Chriſti clariſſima in ſumma ſciētia & ſophiſtica cōſtituamus. Vnum proculdubio corpus ſuum tradidit cruciandū & necandum, à quo dum viueret, nec ſanguis nec anima, nec diuinitas; dum verò exanime iaceret, nec diuinitas abeſſe

Corpus Chriſti viuum in Sacramento eſſe & dari.

Rom. 6. vnquā potuit. Iam verò, cùm Chriſtus amplius non moritur, morsq; illi vltra non dominatur, quî fieri poteſt, vt viuū corpus ſine viuo ſanguine, ſine anima, ſine diuinitate in Euchariſtia ſuſcipiamus? Sed nec hîc Philoſophię alicuius ſubtilioris aculeos animaduerto, quos Aduerſarij hac in re, dum nobiſcum agunt, fugiendos docent. Ratio vtpote plana eſt, verba ſingula, nec abſtruſa, nec abdito ſenſu incluſa ſunt. Nec eſt, quòd tantopere hac in re pro ſua modeſtia, mentis ſuæ ingenia obtuſa eſſe querantur. Imò verò eas obſecratos velim, vt rudiores animos noſtros, ſua illa noua ſapientia erudire non grauentur, quo intelligere poſſimus, quomodo corpus viuum, corpus eſſe non poſſit. Nam ſi corpus Chriſti in

Euchariſtia eſſe dicant, Chriſtum autem integrum in Sacramento ſub vna ſpecie ſumi negent, & corpus & non corpus, imò verò & Chriſtum & non Chriſtum ſuſcipiamus oportet. Etenim ſi teſtificantur corpus Chriſti viuum in Sacramento dari, negant autem integrũ Chriſtum, qui ſine corpore non eſt, porrigi; quid erit aliud dicere, quàm corpus & non corpus, Chriſtum & non Chriſtum miniſtrari? Quæ certè ita ſunt diſſentanea & à ſenſu & intellectu humana abhorrentia, vt certè eiuſmodi infantiæ eos plurimùm pudere debeat. Sed Chriſtus planum reddit per corpus ſuum, quod manducandum in Euchariſtia præcepit, ſeipſum totum & integrum ſub vna ſpecie eſſe intelligendum. Ait enim: *Qui manducat me, ipſe viuet propter me:* Non enim corpus ſolùm abſque anima & diuinitate, ſed ſeipſum totum & integrum manducandum hortatur; vt qui eo fruitur, non propter corpus tantùm, & carnem tantùm, quæ per ſe non prodeſt quicquam, ſed propter ſe, id eſt, corpus, animam, diuinitatem, atque adeò propter ſeipſum viuere poſſit. Hunc ſenſum D. Paulus cœnæ myſterium concludendo diſertè ſecutus eſt, cùm ſcripſit: *Itaque quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Adeò verum eſt corpori ſanguinem, & ſanguini corpus coniunctum eſſe, vt qui vnum ſuſcipiat indignè, vtriuſque reus iudicetur. Ita enim hæc duo in Chriſto connexa ſunt, vt licet Sacramentaliter ſeparata, ſub duabus ſpeciebus ſumantur, tamen nec ſub vtraque ſpecie ab inuicem ſeparari, nec ſub vna vnum ſine altero, ſi naturam eorundem ſpectes, manducari vel bibi omnino poſſunt. Quò fit, vt iuſtiſſimè is vtriuſque reus pronuncietur, qui altero indignè potitur. Proinde timendum eſt, ne ij, qui

Ioan. 6.

1 Cor. 11.

qui corpus à ſanguine, animam & diuinitatem ab vtroque, imò verò Chriſtum à ſeipſo diuellere nituntur, audiant ſibi grauiter comminari per D. Ioannem illud: *Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.* Sed quoniam eiuſmodi homines hanc acerbam ſententiam audire reformidârunt, placuit illis potius cum Neſtorio & aliis hæreticis Græcis mutare; & loco, *ſoluit*, *non confitetur*, conſtituere, quàm cum [a] Irenæo, [b] Auguſtino, [c] Leone Magno, atque adeò cum vniuerſa Eccleſia, & priſca vetuſtate, vulgatam Latinam editionem vſurpare. Quippe hanc ſententiam, vt Socrates [d] ait: *Omnes qui diuinitatem ab humanitate Chriſti ſeiungere ſtudebant, ex vetuſtis exemplaribus delere tollereq́; non dubitârunt.* Sed Aduerſarij non ignorant, Neſtorium ſuis corruptelis efficere non potuiſſe, quin celeberrima & grauiſſima illa Epheſina Synodus teſtaretur, carnem & ſanguinem atque adeò diuinitatem in Sacramento contineri, his verbis: *Ad myſticas benedictiones accedimus & ſanctificamur, participes ſancti corporis & pretioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtri redemptoris effecti, non vt communem carnem percipientes (quod abſit) nec vt viri ſanctificati & verbo coniuncti ſecundum dignitatis vnionem, aut ſicut diuinam poſsidentis habitationem, ſed vt verè viuificatricem & ipſius verbo propriam factam.* Et paulò pòſt: *Non tamen eam (carnem) vt hominis vnius ex nobis exiſtimare debemus, (quomodo enim iuxta naturam ſuam viuificatrix eſſe caro poterit hominis?) ſed vt verè propriam eius factam, qui propter nòs filius hominis eſt factus & vocatus.* Vnde & Cyprianus ait: *Armemus & dextram gladio ſpirituali, vt ſacrificia funeſta fortiter reſpuat, vt Euchariſtiæ memor, qui Domini corpus accepit, in ipſo Dominũ*

1. Ioan. 4.

a Lib. 3. ca. 18.
b Tom. 9. Tract 6 in epiſt. Ioan.
c Epiſt 10. ad Flauianum, ca. 5.
d Lib. 7. ca. 32. Eccleſ. hiſt.

Epiſt. ad Neſtoriũ.

Lib. 4. epiſt. 6.

ſuum complectatur. Hieronymus verò: *Nec,*inquit,*Moyſes dedit nobis panem verum, ſed Dominus Ieſus ipſe conuiua, & conuiuium, ipſe comedens, & qui comeditur.* Similiter Auguſtinus: *Ferebatur,*inquit,*enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum ait: Hoc eſt corpus meum: Ferebat enim corpus illud in manibus ſuis.* Sed vt cæteri Patres omittantur, Cyrillus Alexandrinus apertè contra Neſtorium & eius hoc tempore aſſeclas ſcribens ſacerrimi Concilij Epheſini, atque adeò totius Eccleſiæ ſenſum ac mentem dilucidè explicauit. *Non,* inquit, *negamus recta nos fide, caritateq́ ſyncera Chriſto ſpiritaliter coniungi: ſed nullam nobis coniunctionis rationem ſecundum carnem cum illo eſſe, id profectò pernegamus, idq́ à diuinis Scripturis omnino alienum dicimus. Audi Paulum dicentem: Quia omnes vnum corpus ſumus in Chriſto, quia etſi multi ſumus, vnum tamen in eo ſumus, omnes enim vno pane participamus. An fortaſſis putat ignotam nobis myſticæ benedictionis virtutem eſſe? quæ cùm in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Chriſti, Chriſtum in nobis habitare? Cur enim membra fidelium membra Chriſti ſunt? Neſcitis, inquit, quia membra veſtra, membra ſunt Chriſti? membra igitur Chriſti meretricis faciam membra? Abſit. Saluator etiam; Qui manducat carnem meam, ait, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Vnde conſiderandum eſt, non habitudine ſolùm, quæ per caritatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe; verum etiam & participatione naturali. Nam quemadmodum ſi quis igne liquefactam ceram, alij ceræ ſimiliter liquefactæ ita miſcuerit, vt vnum quid ex vtriſque factum videatur; ſic communicatione corporis & ſanguinis Chriſti, ipſe in nobis eſt, & nos in ipſo.* Et paulò pòſt: *Caro vitæ facta vnigeniti caro, ad virtutem vitæ traducta eſt: non poteſt igitur morte ſuperari. Propterea in nobis facta, interitum*

Ad Hedibiā quæſt. 2.

In Pſal. 33.

Lib. 10. in Ioan. cap. 13.

1. Cor. 10.

Epheſ. 5.

1. Cor. 6.

Ioan. 6.

interitum à nobis expellit, non enim abeſt ab ea vnigenitus Dei
Ioan. 6. *Filius, vnde quia vnus eſt cum carne ſua; Ego, inquit, ſuſcitabo eum.* Vides hîc, teſte Cyrillo, Chriſtum ita vnum cum carne ſua dici, vt nec à carne propria ſeparari poſſit; adeò, vt veriſſimè Aduerſarios percunctari cum Apo-
1. Cor. 1. ſtolo lubeat: *Nunquid Chriſtus igitur diuiſus eſt?* nunquid in ſe ſic diſſectus eſt? vt à corpore & ſanguine ſuo ipſe ſeparatus, & à ſeipſo diuiſus vanis opinionibus eſſe pronũcietur? Conſultius proinde foret, ſi Aduerſarij mentem à ſententia Neſtorij reuocarent, atq; cum vniuerſa Ec-
Ioan. 19. cleſia integrum Chriſtum ſub vna ſpecie in Euchariſtia
1. Ioan. 4. confiterentur; niſi meritò inter eos, qui non modò veſtem Chriſti diſcindunt, ſed ipſum Chriſtũm ſoluunt & diuidunt, cum ſuo interitu, numerari velint.

ASSERTIO II.

Tantus ſub vna ſpecie, quantus ſub vtraque piè communicantibus fructus præſtatur, vt ex hac parte, nec poſſint, nec debeant illi, qui non ſacrificant, vtramque ſpeciem vrgere.

IAm ex iis, quæ dicta ſunt, non obſcurè patet, inanes eſſe querelas, quibus Aduerſarij vociferantur, laicis & clericis non ſacrificantibus alteram ſpeciem ſubtrahi; cùm manifeſtum ſit, fontem omnis gratiæ & ſpiritalis fructus datorem, Chriſtum ipſum, in communione ſub vna ſpecie minimè deſiderari poſſe; à quo ſolo per ſemetipſum ſiue ſub vna, ſiue ſub vtraque ſpecie Sacramentum ſumatur, omnis gratia abundantiſſimè proma- *Vna ſpecie totus & integer Sacramenti fructus datur.*
Epheſ. 1.

 nat,

nat, & vita æterna liberaliſſimè communicantibus donatur: *Qui manducat*, inquit, *hunc panem, viuet in æternum.* Quo maior ab homine Chriſtiano nec gratia, nec donum vnquam exoptari poteſt. Etenim virtute verborum Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*, panis Euchariſtiæ, vt loquitur Cyrillus Hieroſolymitanus, poſt ſancti Spiritus inuocationem non amplius eſt panis, ſed corpus Chriſti. Et vt ſcribit Cyprianus, vt cæteros omittamus: *Panis iſte communis in carnem & ſanguinem mutatus.* Et paulò pòſt: *Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro: & ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat diuinitas; ita Sacramento viſibili ineffabiliter diuina ſe infundit eſſentia.* Cur igitur per id, quod amplius non eſt, panem nimirum, gratiam exſpectamus? quid eſt, quod in eo pane, qui in corpus Chriſti mutatus eſt, & planè tranſiit, inhæremus? An ita hebetes ſumus, vt Chriſtum non ſatis per ſe potentem arbitremur, qui non valeat cùm præſens ſit, ſine vllo medio in hoc Sacramento donis ſalutaribus abundanter, nos cumulare? An ita leuiter virtuti Chriſti inuidemus, vt potius à pane, qui non eſt, quàm à Chriſto gratiæ dona quæramus? Neque verò quempiam ſic rerum diuinarum imperitum exiſtimo; vt ab elementis admodum infirmis, hoc eſt, ſpeciebus, præſidium & gratiæ auxilium exſpectet, cùm in promptu habeat Chriſtum, qui excluſo omni inſtrumento per ſeipſum Sacramento vtentem alere & nutrire ſolet. Ac proinde, ſi rationem huius admirandi Sacramenti, penitiùs rimati fuerimus, proculdubio inueniemus vnam eandemq; gratiæ cauſſam Chriſtum habere; ſpecies verò, ſiue ſit vna, ſiue duæ fuerint, nihil omnino communicanti conferre poſſe.

Rom 6.
Ioan. 6.
Catecheſi myſtag. 3. & 1.
Sermo. de cœna Domini.

Cùm

Cùm enim largitor bonorum Chriſtus ſemel in vna ſpecie ſuſcipitur, quid eſt, quòd ad aliam ſpeciem deſcendere nos cogat, vt mox iteratò eadem gratiæ cauſſa ſine vllo ſacrificij myſterio repetatur? Et quoniam iis, qui non operantur ſacris, minimè à Chriſto imperatum eſt, nec ratio Sacramenti, vt cibus eſt, requirit; vt cruentum illud ſacrificium, ſacrificio ſub duplici ſpecie repræſentent: certè alienum facturi eſſent à Chriſtiana modeſtia, ſi vna ſpecie non contenti, vtramque ſibi miniſtrari ferociter contenderunt; cùm quiuis facilè intelligat, non plus duabus, quàm vna ſpecie, ſi cauſſam & effectum ſpectes, quibus ſumma Sacramenti conſtat, donari. Alioquin profectò non iniuria ij etiam conqueri poſſent, quibus minor pars ſpeciei panis, vel minor vini calix in communione miniſtratur, ſi æqua quandoque non fit Sacramenti diſpenſatio. Sed & in vna communionis actione profectò ſatius foret, & panis & vini ſpeciem ſæpius iterare, quàm vnam partem ſemel tantùm ſuſcipere; quod equidem fieri ſine graui Sacramenti contumelia non poſſet. Nam res ita habet, vt Euſebius Emiſſenus ſcribit: *Euchariſtiæ ſacra perceptio non in quantitate, ſed in virtute conſiſtit. Quòd corpus ſacerdote diſpenſante tantùm eſt in exiguo, quantum eſſe conſtat in toto: quod cum Eccleſia fidelium ſumit, ſicut plenum in vniuerſis, ita integrum eſſe probatur in ſingulis. De quo ſenſu Apoſtolica ſententia deriuata eſt, dicens: Qui multa, nō abundabit, & qui modicum non minorabit. Si fortè panes eſurientibus apponeremus, non ex toto perueniret ad ſingulos, quia particulatim & minutatim proportione ſua quiſque præſumeret. De hoc verò pane, cùm aſſumitur, nihilominus habent ſinguli, quàm vniuerſi: totum vnus, totum duo, totum plures ſine dimi-*

Hom.5. de Paſch.

2. Cor. 8.

diminutione percipiunt, quia benedictio huius Sacramenti ſcit diſtribui, neſcit diſtributione conſumi. Cui certè clariſſimæ & deuotiſſimæ ſententiæ præclara illa Sacramenti figura, Manna nimirum, appoſitè reſpondet: ex quo etſi alius plus, vt Scriptura loquitur, alius minus collegerit; tamen nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus. Vnde Philo vetuſtus ſcriptor ſapienter admodum manna coriandri grano ſimile fuiſſe interpretatur, cùm ait: *Aiunt autem rei ruſticæ periti, etiamſi ſemen hoc concidatur minutiſſimè, ſingulas portiunculas & micas ſatas germinare, non ſecus, quàm coriandrum ſolidum.* Ex quo illud ſanè intelligitur, neque maiorem, neque abundantiorem ex ſpecie panis, quàm ex ſpecie vini, vel vtraque gratiam donari; cùm omnes fateri cogantur, & ſub vna & ſub vtraque ſpecie fontem omnis boni Chriſtum Dominum in Sacramento contineri & manducari, adeò, vt qui ſub vna ſpecie Sacramento vtuntur, credant ſe ſummo bono & perfectiſſimo fruituros, dicente Chriſto: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.*

Exod. 16. Lib. 2. de legis Alleg. Exod. 16. Num. 11. Ioan. 6.

ASSERTIO III.

Ex parte tam corporis, quàm ſanguinis Dominici ſolidè probatur, non minus vnam, quàm vtramque ſpeciem efficacem & ſufficientem eſſe.

SEd & diuinæ & humanę naturę mirabilis illa in Chriſto connexio effecit, vt ad noſtram ſummam conſolationem, & de variis hæreſibus victoriam reportandam, Scriptura ſacra vim redemptionis & ſalutis noſtræ

nunc

nunc corpori ſiue carni, nunc ſanguini, nunc Chriſto ipſi attribueret; vt firmiſſimè profiteremur, & clariſſimè intelligeremus, Chriſti operationes, quæ ex verborum natura pugnam non continent, vtriuſq; naturæ non ſolùm hypoſtaſi, ſed etiam partibus veriſſimè conuenire. Etenim, quod ſacræ literæ manifeſtè teſtificantur, Chriſtum nos à peccatis liberâſſe, & æternam nobis vitam donâſſe; idipſum etiam aſſerunt & corpus & ſanguinem Chriſti effeciſſe. Ait enim D. Paulus: *Tradidi enim vobis, quod & accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt, pro peccatis noſtris ſecundum Scripturas.* Et: *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere.* Petrus verò ſcribit: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis.* Et: *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis.* Alibi etiam Scriptura, & corpore & ſanguine Chriſti nos à peccatis expeditos eſſe teſtatur. Atq; de corpore ſiue carne: *Hoc eſt*, inquit, *Chriſtus, corpus meũ, quod pro vobis tradetur.* Et Paulus: *Ideò ingrediens mundum dicit: Hoſtiã & oblationem noluiſti: corpus autem aptâſti mihi; in qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu.* Sed & Petrus: *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* At de ſanguine ſimiliter Scriptura multis modis aſſerit. Paulus enim Epheſiis ſcribens, ait: *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius (remiſſionem peccatorum).* Similiter Hebræis ſcribit: *Quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis.* Sic & Ioannes: *Et ſanguis Ieſu Chriſti Filij eius emũdat nos ab omni peccato.* Vtroque verò & corpore & ſanguine nos ſalutem conſequi Paulus diſertè his verbis explicat: *Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt. Et*

Salus noſtra tribuitur Chriſto, corpori Chriſti, & ſanguini Chriſti.

1. Cor. 15. 1 Theſſ. 5. 1 Pet. 2. 1 Pet. 3. 1 Cor. 11. Luc. 22. Hebr. 10. 1. Pet 2. Epheſ. 1. Hebr. 9. 1. Ioan 1. Coloſſ. 1.

vos, cùm eſſetis aliquando alienati & inimici ſenſu, in operibus malis: nunc autem reconciliauit in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos ſanctos & immaculatos & irreprehenſibiles coram ipſo, &c. Ex quibus planè manifeſtiſſimum & certiſſimum euadit, eandem vim ſalutis, nunc corpori ſiue carni, nunc ſanguini Chriſti per diuinas Scripturas tribui, quam ipſi Chriſto conuenire non ignoramus. Ac proinde ſine ſumma in Chriſtum contumelia dici non poteſt, corpus Chriſti in Euchariſtia, eam ſalutarem vim non continere, quam Chriſtum alioquin efficere profitemur. Quod enim maius ſacrilegium ab homine Chriſtiano committi poteſt, quàm Chriſti corpus ſoluere, 1. Ioan. 4.
conuellere, & planè dilaniare, in quo vno diuinitus omnes vocati ſumus? Quid etiam ab omni fidei ſenſu magis alienum excogitari poteſt, quàm carnem Chriſti à Coloſſ. 3.
diuino verbo penitus ſeparare? Quod dum faciunt Aduerſarij docentes neque ſanguinem ſub ſpecie panis, neque corpus ſub ſpecie vini, neque tandem Chriſtum integrum in corpore vel ſanguine contineri, videant, ne cum ſummo multorum interitu, & Chriſtum rurſum cruci affigant, & ſacroſanctam fidem planè abiurent. Verùm hoc loco ne multorum Patrum enarratione ſim illis moleſtior, audiant quæſo Cyrillum Alexandrinum, ante 1000. annos de virtute carnis Chriſti ſcribentem, ne tam facilè ad Neſtorij Eccleſiæ hoſtis ſententiam deſcendant, eidemque ſuas inter ſe diſſidentes opiniones coniungant: *Quoniam igitur*, inquit, *Saluatoris caro verbo Dei, quod naturaliter vita eſt, coniuncta, viuifica effecta eſt: quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis illi coniuncti, quæ vita effecta eſt: hac de cauſſa in exſuſcitandis mortuis non ſolummodò verbo atq; imperio, vt Deus vtebatur; verùm etiam carnem ſuam, quaſi cooperatricem, non-* In Euang. Ioan. lib. 4. cap. 14.

Caro Chriſti viuifica.

nunquam

nunquam adhibebat, vt reipſa oſtenderet carnem quoq; ſuam, quoniam ſibi coniuncta eſt, viuificam eſſe, atque fideles doceret ſuum, non alterius corpus eſſe. Nam quando Synagogæ Principis
Matth. 9. *filiolam ſuſcitabat, manum eius apprehēdit, vt ſcribitur, & erexit, dicens: Puella, ſurge, ita vt Deus & verbo & carnis ſua tactu eam excitauit, vnam ab vno ſe Chriſto Deo videlicet atque*
Luc 7. *homine operationem, producens. Quando etiam in ciuitatem Naim vocatam, ingrediebatur; & efferebatur vnigenitus matris filius iam mortuus, tetigit corpus eius, dicens: Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Non ergo verbo ſolùm ſemper (vt diximus) verùm etiam tactu mortuos excitabat, vt oſtenderet corpus quoque ſuum viuificare poſſe. Quòd ſi ſolo tactu ſuo corrupta reintegrantur; quomodo non viuemus, qui carnem illam & guſtamus & manducamus? reformabit enim omnino ad immortalitatem ſuam participes ſui. Nec velis Iudaicè (quomodo?) quærere, ſed recordare, quamuis naturaliter aqua frigidior ſit, aduentu tamen ignis frigiditatis ſuæ oblita, æſtuat. Hoc ſanè modo etiam nos quamuis propter naturam carnis corruptibiles ſimus, participatione tamen vitæ ab imbecillitate noſtra reuocati ad proprietatem illius, ad vitam reformamur. Oportuit enim certè, vt non ſolùm anima per Spiritum ſanctum in beatam vitam aſcenderet; verùm etiam vt rude atque terreſtre hoc corpus cognato ſibi guſtu, tactu; & cibo ad immortalitatem reuocaretur.* Hæc Cyrillus. Ex quo vides, verbum ſeu naturam diuinam à carne ſeu corpore Chriſti nullo modo ſeparari. Hoc igitur ſi in Euchariſtia, vt fides docet, admittis; & Chriſtum integrum ſub vna ſpecie concedas, oportet, qui & diuina natura & propria carne viuifica, in Euchariſtia ſe ſub vna ſpecie ſumenti, vitam æternam facillè largietur.

ASSERTIO IIII.

Vni panis ſpeciei nihil omnino deeſt, ſiue fructum Sacramentalem, ſiue myſticam ſignorum externorum ſignificationẽ ſpectemus.

TAndem, vt in controuerſiæ & quæſtionis cardine nodus latens penitus diſſoluatur, ſupereſt declarare ſpecies Sacramenti, de quibus tantoperè & inaniter contenditur, fructum Sacramenti & gratiam ipſam non conferre. Verùm, vt planius hoc intelligatur, operæ precium duxi, paucis explicare diuerſitatem ſpecierum ſeu ſignorum huius Sacramenti, nec maiorem nec minorẽ gratiæ diuinæ fructum afferre. Statuamus igitur oportet eſſe certũ, vt eſt certiſſimum, duas has ſpecies, ſiue duo hæc ſigna, duo potiſſimùm ſignificare. Alterum quidẽ, Chriſtum in cruce per ſanguinẽ pro nobis mortem ſubiiſſe: Alterum verò, Chriſtum verum eſſe cibum, quo ſolidè alimur, & admirabiliter nutrimur. At ſi iã de primo illo oritur quæſtio, vtra ſpecies, panis an vini Chriſtum paſſum melius referat: proculdubio facilè intelligitur, quandoquidem ſanguis in cruce effuſus eſt, vino ſanguinẽ manifeſtiùs, quàm pane ſignificari: verùm, ſi Chriſtum, non vti per ſanguinem paſſum tantùm, ſed natum etiam, ſed inter homines cõuerſatum, ſed traditum, ſed percuſſum, ſed irriſum, ſed colaphis cæſum, ſed mortuũ, ſed ſepultum repræſentari velis; certè panis, qui ex grano mortuo & triturato conficitur, planius & perfectius hæc omnia ſignificauerit. Vnde, qui ſub vna ſpecie Chriſtum ſuſcipiunt, nõ modò crucis beneficium, ſed eiuſdẽ natiuitatis, mœroris, flet⁹, ieiunij, orationis, opprobriorum, flagellorum, reſurrectionis, aſcenſionis in cœlos, & omnium

Species Sacramẽti nõ conferunt communicãtibus gratiam, ſed Christus.

Species Sacramenti quid præſtent.

Species Vini quid repræſentet.

Species panis quæ repræſentet.

omnium Chriſti actionum, gratam memoriam recolunt. Ex quo non video, quid magis ex vtroq; ſigno gratiæ conſequi quiſpiam poſſit, quàm ſi eodem momento vnum ipſum ſignum iterum atque iterum ſumat. De altero verò, quod pane & vino intelligatur, nos veraciter ali & nutriri, & omninò refici, facilè quidem admitti debet, vtramque ſpeciem, ſi morem humanum ſpectemus, aliquo modo, non neceſſariò tamē coniungi oportere. At ſi fructum Sacramenti, ſi gratiam quærimus; ſine negotio ſub vna ſpecie & cibum & potum & diuinum omne nutrimentum inueniemus. Quis enim tam rudis, ne dicam improbus, vt ſub ſpecie panis & corpus, tanquam eſcam, & Chriſti ſanguinem, tanquam potum, nobis ſignificari non agnoſcat? Quis verò ſacrarum Scripturarum ita ignarus, vt ſicut cibum & potum ita odoratum, viſum, auditum in ſenſu ſpirituali, eadem eſſe non afferat, licet ſi ſpectetur eorundem ratio, ſint omnino diuerſa & diſſentanea? Chriſtus etenim Samaritanæ mulieri loquens, verbum Dei, vti aquam, bibendum ſuadet: Reſpondens autem Apoſtolis, vti cibum eſſe, quem manducari oporteat, docet. Atque ipſum Dei verbum Apoſtolus nunc cibum ſolidum, nunc potum, nunc etiam odorem appellat, adeò vt vna eademque res manducari, bibi, odore percipi, id eſt, variis modis ſignificari dicatur. Sed & Chriſtus, vt ſe eiuſdem naturæ eſſe cum patre ſignificaret, nunc à Patre audiuiſſe, nunc vidiſſe ſe teſtatur. Sic Eccleſiæ incrementum diuerſis ſignis, hoc eſt, grano ſinapis, & fermento mulieris, vnam eandemque rem accommodat. Eadem ratione in Eccleſiaſtico, ſapientia, & pani & aquæ, tanquam manducanda & potanda, comparatur. Imò etiam Chriſtus iuſtitiam ipſam cibum & potum appellat. *Beati*, inquit, *qui*

Specie panis corpus, vt eſca, ſanguis vt potus continetur.

Cibus, potus, odoratus, viſus, auditus ſpiritualis in anima ſunt idem.

Verbū Dei cibus & potus eſt.

Signis diuerſis incrementū Eccleſiæ ſignificatur.

Sapientia dicitur panis & aqua.

Iuſtitia cibus et potus.

Ioan. 4.
1. Cor. 3. 9.
Hebr. 5.
2. Cor 2.
Ioan. 6. 15. 16.
Matth. 13.
Marc. 4.
Luc. 13.
Eccl. 15.
Matth. 5.

Eſurire, ſiti re, ſecundũ ſpiritum idem.

Species gratiam non præſtat ſed Chriſtus.

eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam. Vnde ſapienter Auguſtinus affirmat, eſurire & ſitire ſecundum ſpiritum non diuerſa, ſed idem planè eſſe. In Sacramento verò Euchariſtiæ; cùm res ipſa ſignificata variis ſignis mutari non poſſit; ſuperuacaneum planè iudicari debet, de ſignis ſiue ſpeciebus contendere, ſi manducationem ſolam ſpectes; cùm ab iiſdem gratiæ auxilium nullo modo; ſed à Chriſto ſignificato exſpectari debeat. Neque verò intelligo, quare Chriſtus diuerſa ratione & multiplici modo repræſentatus, variis quoque modis gratiam largiri debeat; quandoquidem ſignorum varietas rem ſignatam immutare omnino non poteſt. Etenim ſi præſtanti aliqua vel imagine, vel ſtatua, vel ſpeculo quempiam referas, non video quidnam magis gratiæ ex vno, quàm altero ſignorum reportare poſſis. Duo quidem in hoc Sacramento ſigna, hoc eſt, panis & vinum, vnam eandemque rem, ſcilicet Chriſtum, diuerſis modis deſignant; ſed ita, vt à re ſignata, quæ in donorum diſtributione minimè mutatur, tanquam à fonte & origine gratiæ, hoc eſt, à Chriſto, non ab his duobus ſignis fructum Sacramenti ſperare oporteat. Sed ſi tantopere in hoc Sacramento de ſignorum varietate contenditur; quid eſt, quòd ratio ſigni in Baptiſmate ab omnibus Chriſtianis hoc tempore propemodum non ſeruatur? Equidem ſi veriſſimè & ſapientiſſimè Paulus rationem Baptiſmi declarauit, cùm ait: *An ignoratis fratres, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Quid igitur eſt, quòd & rationem Baptiſmi, & ſignum ipſum contemnimus, & abrogamus? Si omnino

Species ambæ Chriſtũ ſignificant.

Baptizandi diuerſi modi ſed nõ præcepti.

Tractat. 25. ſuper Ioan.

Rom. 6.

conſe-

conſepeliri, & cum Chriſto in mortem, quaſi immergi debemus, vt in nouam vitam reſurgamus; quid eſt, quòd Can 49. more veteri, Apoſtolico decretó, in aquas planè non ter mergimur? quid eſt, quòd mortem, ſepulturam, reſurrectionem in ſigno Baptiſmi non repræſentamus? Si ſigna in Euchariſtia planè conſeruanda ſunt, & retinenda; quid eſt, quòd in Baptiſmo rationem & ſigni, & nominis, à Chriſto traditam, à priſcis & maioribus conſeruatam, negligimus? Quid? nonne melius, & Chriſti inſtitutioni accommodatius, imò verò ſanctiſſimæ Trinitati, cuius nomine nos baptizari oportet, trina immerſio reſpondet? Quotuſquiſque eſt Aduerſariorum, qui trinam immerſionem, à Chriſti & Apoſtolorum traditione profectam, obſeruat? Si in Euchariſtia ſignum ſanguinis tantis viribus reſeruandum ab omnibus contendunt; quare vniuerſis immerſionem, eamque trinam, ſignum mortis, ſepulturæ, reſurrectionis Chriſti & ſacroſanctæ Trinitatis retinendum eſſe non decertant? Si integritati ſignorum Euchariſtiæ, dum vna ſpecies ſumitur, derogari exiſtimant; an non pari ratione permagna Baptiſmi pars, ne dicam totus Baptiſmus è medio tolletur, cùm, ſi verbum ſpectes, immerſio in aſperſionem mutatur? Quare ergo iam non potius aſperſionem, quàm Baptiſmum nominamus? Imò verò, ſi ita religioſi Aduerſarij in hoc Euchariſtiæ Sacramento videri volunt, quid eſt, quòd ſua auctoritate, vel aquam in vinum, in cereuiſiam, in oleum & lac & omnem liquorem, quo homines immergi ſolent, mutari poſſe cenſeant, vel certè aquam Baptiſmi minimè eſſe neceſſariam contra verbum Chriſti aſſerant? An quia in Baptiſmo aqua nimis ſtomacho cruda eſt, ideò abrogatur; vinum verò,

Aduerſariorum error circa materiam Baptiſmi.

Luth. in Sympoſ. de Baptiſmo.

Caluin. in 3. cap. Ioan.

quia

quia ſapidius eſt retinetur? Hoccine eſt ſacroſanctam fidem inſtaurare, & inuiolatam ſeruare, vt vbi præceptum Chriſti manifeſtum eſt de aqua, in Sacramenti Baptiſmi inſtitutione conuellant: vbi verò nullius præcepti veſtigium apparet, de communione ſub vtraque ſpecie, manifeſtum præceptum effingere & proclamare? Ait Chriſtus: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Hîc de aqua & ſigno Baptiſmi manifeſtam præcepti vim animaduertis. Nec eſt, quòd noui religionis informatores, aquam in Baptiſmo non eſſe neceſſariam dicant, quòd ſola fides nos in promiſſione Abrahæ ſaluos reddat. Apertam Chriſtus aquæ neceſſitatem in Baptiſmo imponit. At verò in Sacramento Euchariſtiæ ſpeciem vini liberam relinquit. Ait Paulus: *Hoc facite, quotieſcunque bibetis, in meam commemorationem.* Partem ſigni Euchariſtiæ in libertate Chriſtianorum à Chriſto conſtitutam eſſe pronunciat; *Quotieſcunq; enim biberitis, ait, facite in meam commemorationem.* Vides igitur in Baptiſmo totum ſignum, hoc eſt, aquam præcipi, quam Aduerſarij liberam volunt; vides ſigni partem in Euchariſtia, hoc eſt, vini ſpeciem liberam & ſub conditione conſtitui, quam iidem Aduerſarij præceptam & mandatam aſſerunt. Sed rectè Chriſtus aquam in Baptiſmo præcipit, vinum verò in Euchariſtia liberum relinquit. Etenim non eadem aquæ & vini, non eadem in aquam merſionis & vini potus eſt ratio, non eadem hominum eſt natura. Aqua verò, cùm raro deſideretur, & immerſio non ſit ardua, nec difficilis præcepti neceſſitatem imponit: vini autem, cùm multis in locis magna ſit raritas, & eius potum multi abhorreant, nequaquam mandatum admittere poteſt. Vnde rectiſſimè Chriſtus, cùm in elemento aquæ nullam excuſari poſſe intellige-

Ioan. 3.

1. Cor 11.

Ibidem.

Aqua Baptiſmi cur præcepta.

Vini ſpecies cur non ſit præcepta.

ret,

ret, ſignum Sacramenti in aqua ſub mandato conſtituit, Hom. 24. in Ioan. vt ait Chryſoſtomus; cùm verò nec vbique vinum reperiri, nec vniuerſos vino vti poſſe, non ignoraret, in Sacramento Euchariſtiæ ſpeciem vim ad libertatem Eccleſię, 1. Cor. 4. cui Sacramentorum miniſterium commiſit, reliquit. Ex quo profectò Aduerſarios ſatis mirari nequeo, quamobrem apertum manifeſtumque Chriſti de Baptiſmi aqua præceptum, leuiter contra Scripturas, adeoque contra Chriſti explicatum verbum contemnant, & ludificentur? Speciem verò vini in Euchariſtia ſine vllo Chriſti pręcepto, contra vini & hominum naturas, mãdatam effingere volunt. Certè ipſi fateri illud debent, *Specie panis Chriſtus repræſentatur & ſumitur.* ſub ſpecie panis gratiæ largitorem, Chriſtum natum & paſſum, in Sacramento tam ſuſcipi verè, quàm abundè repræſentari. Sed & illud intelligunt, niſi manifeſtæ ve- Ioan. 3. Eph. 5. Act. 8. 10. ritati reſiſtere velint, nullum eſſe ſine aqua Baptiſmi Sacramentum; à quo, cùm aquam ſurripiunt, ſe nouis planè laruis, ſimplicioribus Chriſtianis imponere. Hic iuſtam iracundiam męam moderari non poſſem, niſi ſeriò meæ patientiæ modeſtiæque terminos, me non exceſſurum decreuiſſem. Summis enim contumeliis Eccleſiam Dei proſcindunt, eam propterea malè traducentes, quòd ſcilicet ſpeciem vini (quæ in Sacramento imperata non eſt, nec maiorem gratiæ vim quàm panis affert) omnibus laicis non concedat: ipſi verò cùm in ianua ſalutis, hoc eſt, in Baptiſmo, aquam vel neceſſariam reiiciant, vel in quemuis liquorem contra expreſſum Dei verbum mutent, omnino reprehendi nolunt. *Caluinus. Lutherus.* Egregij verò Chriſti cenſores à nobis qualitatis ſigni tantùm Euchariſtiæ partem grauiſſimis querelis, ne dicam iniuriis, expoſcunt, & tamen illi Sacramentorum & formas, hoc eſt, verba ipſa Chriſti, planè vti fanaticas rationes execrantur;

crantur; & materies, hoc eſt, ſigna ipſa integra reiicientes pro ludibrio habent. Nos verò Chriſti mandato obtemperantes libentibus animis, & materiam aquam ipſam, & verba Chriſti neceſſariò in Baptiſmo adhibemus; vt per ea verè Chriſti gratiam conſequamur. In Sacramento. verò Euchariſtiæ Chriſtum verè & integrè ſub ſpecie panis, ſicut Eccleſia tradit, ſuſcipimus. Verumtamen quando cruentum in cruce ſacrificium incruento ſacrificio repræſentare volumus, ſpeciem vini etiam adhibemus; vt ſic nullo modo integra ſigna, integrumque ſacrificium, aut Sacramentum Euchariſtiæ in noſtræ religionis ritu deſiderari poſſit. Quin imò in hoc ſacerrimo Euchariſtiæ Sacramento, Chriſti corpus perfectiſſimum ſub vna ſpecie gratiæ ſignum, & eiuſdem gratiæ cauſſam veneramur, atque eandem cum noſtra ſumma conſolatione, ſpeciem panis ſumendo, Chriſtum & natum, & mortuum, & reſurrexiſſe, & ad cœlos aſcendiſſe deſignamus & repræſentamus. Ipſe enim & panis eſt, qui de cœlo deſcendit, & granum illud frumenti, quod mortuum in terra fuit, & per ſemetipſum multum nobis fructum, eundemque abundantem attulit; cuius certè vbertate, Chriſtiani contenti & ſatiati ad vini ſpeciem aſpirare non debent.

Specie panis Chriſtus integer continetur.

Species vini cur & quando adhibeatur.

Ioan. 6.

Ioan. 12.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM,

CONSTAT QVATVOR ASSERTIONIBVS, QVIBVS DECLARATVR ECcleſiæ poteſtas, quam à Chriſto verè conceſſam habet, ac ſalubriter exercet, in diſponendis adiaphoris, quæ Chriſtus Dominus neque præcepit, neque prohibuit, ſed libera reliquit, vt ad ſalutem fidelium pro temporum & locorum ratione, tum etiam hominum maiori vtilitate conſtitui & variari poſsint, cuius generis ſunt feſtorum celebrationes, ieiuniorum indictiones, diuini cultus, cærimoniæ, ac varij ritus Baptiſmi, Euchariſtiæ, aliorumque Sacramentorum.

ASSERTIO PRIMA.

Eccleſia Præpoſitis tradita à Deo poteſtas eſt, qua poſsint in rebus dubiis fidei iudicium, ac in adiaphoris leges nouas ferre, & latas pro temporis ratione corrigere, vel ſi viſum melius fuerit, abrogare.

Ioan. 17. Hebr. 5. ETsi veriſſimum certiſſimumq; ſit, Chriſtum tanta vi, tantaq; virtute, pro vniuerſa Eccleſia ſua ſponſa Deum Patrē oráſſe, quatenus ita ſanctificaretur & in veritate cōfirmaretur, ne vnquam erraret, vt exauditus fuerit pro ſua reuerentia; ſic tamen aſcendit in altum, vt etiam peculiaria dona daret hominibus, ne cùm ſanctificationem ſuam in medio populi ſui in perpetuum daret, planè Eccleſia confuſa hæreret, ac quiuis gubernandi & docendi munus ſibi vſurparet, Proinde dedit quoſdam Apoſtolos, *Eccleſia cur & quanta poteſtas tradita.* Epheſ. 4. Hier. 31. 1. Cor. 12.

quoſdam Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem paſtores, & Doctores, vt ſic omnia vnũ membrum minimè apparerent; ſed in diuiſione gratiarum miniſtrationum & operationum, idem in Eccleſia ſpiritus, idem Dominus, idem Deus haberetur. Vnde quamuis tali corpori Eccleſiæ Chriſtus benignè & liberaliter Rom.10. ſine errore credendi, & bene viuendi gratiam tradiderit; 1.Cor.6. tamen ſingularia docendi adminiſtrandique dona, neque ſingulis, neque confusè, ſed vt omnia cum ſummo 1.Cor.14. ordine fierent, quibuſdam ſingulariter diſtributa eſſe voluit. Hoc ipſum ſumma Dei ſapientia intelligebat, & ratio totius corporis Eccleſiæ requirebat; quæ etſi ipſa vniuerſa certa fide formaretur, ſingulæ tamen eius partes regendi, aut docendi, non haberent poteſtatem. Sed ſolùm eæ, quibus datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum. Epiſcopos verò Spiritus ſanctus Matth.13. Luc. 8. poſuit regere Eccleſiam ſuam: Illis, tanquam verè te- Actor.20. ſtibus præordinatis à Deo, manifeſtum Chriſtus ſe fecit, non populo, non turbis, ad quos ſine parabolis Actor.10. non loquebatur, quibus eiuſmodi minimè donata eſt Matth.24. poteſtas, vtpote, quæ præpoſitis ſuis ſubiacere debent, quos Dominus tanquam ſe audiendos præcepit, qui, Luc.10. vt [a] Cyprianus ait, Apoſtolis vicaria ordinatione ſuc- a Lib.4. cedunt. Et ante eum [b] Irenæus, qui ſucceſſionem ha- epiſt.9. bent ab Apoſtolis: reliqui enim, qui abſiſtunt à prin- b Lib.4. cap.45. cipali ſucceſſione, & quocunque loco colliguntur, ſuſpecti habentur, vel quaſi hæretici, vel ſcindentes. Vbi igitur chariſmata Domini poſita ſunt, ibi diſ- Iren. eodẽ cere oportet veritatem, apud quos eſt ea quæ eſt ab lib. cap.45. Apoſtolis ſucceſſio. Ac proinde Auguſtinus Primates multitudinis quærendos iubet, [a] in cathedra a Epiſt.166 vnitatis, in qua poſuit Chriſtus doctrinam veritatis.

Eccleſiæ poteſtas non omnibus nec ſingulis, ſed quibuſdam tradita.

Succeſſio probatur.

Quæ-

b De vtil. cred. cap. 14. [b] *Quaram*, inquit, *& quaram diligentiſsimè & liberaliſsimè, vt ab his potius de his literis aliquid diſcam; qui ſi non eſſent, diſcendum omnino eſſe neſcirem.* Et quoniam in iis, quæ ad Deum pertinent, natura ſtulti ſumus, ſtulto autem nihil optabilius, quàm ſapientis conſilio regi; & quia inter ſinceriſſimam ſapiẽtiam Dei & ſtultitiam hominis, medium quiddam eſt hominis ſapientia, ideoque homini ſtulto ad imitandum ſalubriter, nihil eſt homine ſapiente propinquius: Ideò ſapientiſſimè Apoſtolos, Doctores & eorum ſucceſſores, Epiſcopos & Sacerdotes, lu-
Matth. 5. Luc. 24. Act. 1. 2. 3. 5. cem mundi, ſalem terræ, & teſtes veritatis vſque ad vltimum terræ conſtituit; vt omnes intelligerent homines, Epiſcopos & Sacerdotes diuina ſapientia ad docendum & gubernandum eſſe donatos, quam ipſemet Chriſtus de ſe proferebat, quando lucem ſe mundi eſſe & teſtimo-
Ioan. 8. nium perhibere veritati diceret. Quamobrem, ne olim legibus prudentiſſimè ſtatutis populus, quem elegerat, ſapientia & religione imbuendum per conſuetam opinionum vanitatem & ſtultitiam à veritate laberetur; tutiſſima præſidia, Pontifices Sacerdotesque conſtituit, à quorum doctrina & ſententia, tanquam ſua propria dependere alios voluit, ac ne in errores ducerentur ſapienter admodum præcauit. Atque hoc ipſum grauiſſimis verbis eidem populo hunc in modum ad noſtram infor-
Deut. 17. mationem imperauit: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſſam & cauſſam, lepram & non lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variari: ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſq; ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quareſq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunq; dixerint, qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta le-*

gem eius, ſequeriſq́ ſententiam eorum, nec declinabis ad dextram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo; ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël: cunctuſq́ populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Vides hîc, ſacerdotes, arbitros & iudices certos à Deo definiri, certo in loco conſtitui, certa ſucceſſione demonſtrari, qui inſipientes erudire, qui dubios & ancipites de Dei voluntate informare, ſubiectos populos per communicatam ſibi diuinitus ſapientiam regere debeant. Hos ſub pœna acerbiſſimæ mortis audiendos eſſe imperat; quandoquidem ad omnem controuerſiam fidei, & cærimoniarum tollendam, omni ſapientia, eaque diuina præditos & ornatos eſſe voluit: *Habeatis*, inquit, *ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, doceatiſq́ filios Iſraël omnia legitima mea, quæ locutus ſum ad eos per manum Moyſi.* Quoniam fieri non poterat, vt olim legiſlator Moyſes & Aaron perpetuò populum Iſraël ex ore Dei regerent, nec vt quiſque ſui ipſius iudex haberetur; Sacerdotibus definita ſtirpe propagatis, ſcientiam Scripturas intelligendi, leges pro temporum ratione conſtituendi, abundè Deus eſt impertitus: *Sacerdotes*, inquit, *Ezechiel, populum meum docebunt, quid ſit inter ſanctum & pollutum: & inter mundum & immundum oſtendent eis. Et cùm fuerit controuerſia, ſtabunt in iudiciis meis & iudicabunt.* Huius rei manifeſtam reddit Malachias Propheta rationem: *Labia enim*, inquit, *ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Hoc ratio poſcebat, vt qui diuina voluntate ſacrificiis, populi vota Deo deferrent, ab eodem ad populum, doctrinam, leges, earun-

Sacerdoti obtemperandum.

Sacerdotes habent clauem ſcientiæ.

Leuit. 10.

Ezech. 44.

Malach. 2.

rundemque tanquam Angeli & Legati, interpretationem referrent. Ac proinde Chriſtus ita primatibus Eccleſiæ parendum imperauit, vt etiam Cathedram Moy-
Matth. 23. ſi obſeruandam atque adeò Phariſæos, dum in ea reſiderent, audiendos eſſe voluerit. Neque ipſe (oportebat enim eum ex hoc mundo tranſire ad Patrem) ne-
Ioan. 13. que Apoſtoli continuò his in carceribus nobiſcum agere, infinitamque multitudinem quotidie ad Eccleſiam venientem, corpore viſibili præſentes gubernare poterant; atque ideò, vt nullus arroganter ſibi docendi poteſtatem vendicaret, cum grauiſſimis minis & terrori-
Matth. 18. bus Eccleſiam audiendam præcepit: *Si Eccleſiam*, inquit, *non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*. Huius rei cùm rationem claram reddit, ſimul & quæ ſit Eccle- *Eccleſia Dei eſt audienda.*
Luc. 10. ſia illa audienda, dilucidè explicat, cùm ait: *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit*. Neque profectò intelligo, quis tandem in populo Chriſtiano audire poterit, ſi omnes loqui voluerint? Neque etiam illud aſſequi poſſum, qui tandem obtemperabunt vel obedient Præpoſitis, ſi omnes Præpoſiti habebuntur? Si omnes imperare & regere voluerint, qui tandem oues
Ioan. 21. nominabuntur? Quas, inquam, Petrus oues regendas, quas à Petro per manus eius ſucceſſores paſcendas in promptu habebunt, ſi mutata natura & condi- *Paſtoribus & Rectoribus eſt neceſſaria poteſtas.*
Auguſt. de vtil. cred. cap. 15. tione oues in Paſtores, in Epiſcopos, ne dicam lupos, ſeſe transformârunt? Imò verò, quoniam infirmi, quoniam imbecilles ſumus; Paſtores & Doctores inſtitui in Eccleſia oportebat, ad conſummationem San-
Epheſ. 4. ctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corpo-
1. Cor. 12. ris Chriſti, ne tanquam paruuli fluctuantes circumferamur dubij omni vento doctrinæ. Ac meritò Pau-
Actor. 20. lus à Mileto mittens Epheſum maiores natu ſolùm

conuocat, grauiterque illis mandans ait: *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus ſanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* *Paſcite*, inquit Petrus, ***qui in vobis eſt, gregem Dei.*** At quomodo regere vel paſcere Chriſti gregem poſſunt; niſi certam habeant poteſtatem, cui ſubeſſe ac obedire ſubditi teneantur? Et qua poſſunt alia ratione conceſſam ſibi poteſtatem legitimè ac ſalubriter exercere, niſi quando tollunt abuſus & ſcandala, quando ſalutaria præcipiunt, quando prohibent noxia, quando leges, de cultu, de ritibus, de cærimoniis ferunt & mutant, prout temporum, locorum, ratio atque hominum vtilitas poſtulauerit. Hanc igitur poteſtatem ab ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis, Apoſtoli & poſtmodum eorum ſucceſſores Epiſcopi, ſuccedentibus temporibus, & omnibus deinceps ſeculis ſemper & meritò quidem exercuerunt, quemadmodum id Apoſtolicis & Canonicis teſtimoniis certiſſimè demõſtratur. Nam, vt in Actis Apoſtolicis legitur, cùm inter primitiuos fideles ex Gentibus & Iudæis conuerſos in quæſtionem verteretur; Vtrum circumciſionis & Moſaicæ legis obſeruatio Chriſtianis eſſet neceſſaria ad ſalutem, iis quidem, qui ex Iudæis conuerſi fuerant, eam tanquam neceſſariam affirmantibus, aliis verò, qui Chriſtum ex gentilibus confitebantur, vel eorum patrocinium ſuſcepetant, oppoſitum defendentibus. Tandem vt hæc alioqui grauiſſima controuerſia tolleretur, & in Eccleſia pax fieret, conuenerunt Apoſtoli & ſeniores, videre de verbo hoc: atq; ſic Paulo atq; Barnaba præſentibus, Petrus & Iacobus cum vniuerſo Concilio, per poteſtatem ſibi diuinitus conceſſam, quid hac in parte creditu, vel obſeruatu neceſſarium eſſet, facto decreto ſtatuerunt, atq; aliis abſentibus declarârunt: Quod ſanè decretum Apoſtoli-

Poteſtatis Eccleſiaſtica vſus in quibus præcipuè conſiſtat.

Poteſtate ſunt vſi Apoſtoli.

Actor. 20.

1. Pet. 2.

Actor. 15.

ſtolicum cæteri fideles, qui ne vocati quidem fuerant, reuerenter & cum gaudio ſuſceperunt, ac deinceps non minori ſtudio, quàm ſi ab ipſo Chriſto profectum fuiſſet, obſeruârunt. Eadem poteſtate ſubſequentes Epiſcopi, cùm neceſſitas ita poſtularet, ſemper vſi leguntur, maximè quando conueniſſent ad generalia Concilia, qualia conſtat ad componenda religionis diſſidia, ad hæreſes profligandas, ad Catholicam veritatem rectiùs intelligendam frequentiſſimè ac ſaluberrimè celebrata fuiſſe. *Cōcilia generalia cur celebrata.* Sed, ne à ſucceſſoribus Apoſtolorum, ſapientiſſimis illis & vetuſtis Epiſcopis nimis diligenter in eorum cauſſa, teſtimonia, quæ innumera ſunt, petere videamur, ad oues nos præcipuas & præſtantiſſimas conferamus, atque ab iis petamus; An Epiſcopi & Sacerdotes Eccleſiæ poteſtatem habeant de controuerſiis fidei, de cærimoniis, de difficultatibus, quicquam ſtatuere, leges veteres pro temporum ratione abrogare, & nouas ſancire? *Epiſcoporũ poteſtas probatur.* Non enim exiſtimo eas, etiamſi vellere & fœcunditate cæteris præſtent, hoc munus & officium ſibi Eccleſiam gubernandi vendicaturas. Quid, inquam, ais præſtantiſſime & clariſſime Imperator Cōſtantine? tibíne de rebus diuinis iudicandi, tibíne de Eccleſiaſticis negotiis, leges condendi data eſt poteſtas? At ille ſumma cum obſeruantia Patribus Nicænis & Eccleſiæ paſtoribus reſpondet: *Deus vos conſtituit ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi; & ideò nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari, propter quod ſolius Dei, inter vos exſpectate iudicium & veſtra iurgia, quæcunque ſint, ad illud diuinum reſeruentur examen. Vos enim à Deo nobis dati eſtis Dij, & conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos, ſed ille ſolus de quo ſcri-*

Conſtãtini Imperatoris humilitas & reuerentia erga Epiſcopos et Prælatos Eccleſiæ.

Ruf. hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 2.

f *ptum*

ptum eſt: Deus ſtetit in Synagoga Deorum; in medio autem Deos diſcernit. Ac proinde cùm verè ſe ouem intelligeret, non modò de ſacerdotibus iudicare noluit, ſed vltimus omnino ad ſacroſanctum Concilium Nicænum, vt ſcribit Theodoretus, ingreſſus, & ab Epiſcopis poſtulauit, vt ſella parua in medio poſita conſidere ſibi permitteretur; imò verò ſimulatque aduentauit, ſicuti refert Socrates, in media turba eiectus, conſtitit; nec prius aſſidere voluit, quàm Epiſcopi, vt ita faceret, iuſſiſſent. Tanta enim reuerentia & pudor Imperatoris animo erga illos viros inſedit. Vnde ſententiam ſacerdotalis Concilij, vt teſtis eſt Rufinus, Imperator nō minus triumphis, quàm humilitate inuictus, tanquam à Deo profectam ita veneratus eſt; vt ſi quis illi (nimirum ſentētiæ) tentâſſet obniti, velut contra diuina ſtatuta venientem, in exilium ſe proteſtaretur acturum. Illa fuit profectò egregia Dei ouis, quæ non modò paſtores ſuos ſumma cum veneratione reuerita eſt, & eorundem ſententiam in rebus fidei difficillimis, tanquam Dei voluntatem, excepit; ſed etiam ipſos lupos gladio & armis à Deo cōceſſis, ab ipſo grege, paſtores conſeruans, abegit & propulſauit. Hunc Imperatoris & Patris inuictum animum Conſtantius filius Imperator, quoniam nō ſequebatur, ſed potius eius degener, paſtores veros exilio premebat, meritò ab Hoſio, grauiſſimo & inter Patres Nicænos præſtātiſſimo viro Cordubenſi Epiſcopo, his verbis, vt Athanaſius teſtatur, reprehenditur: *Ne te miſceas Eccleſiaſticis, neq; nobis in hoc genere præcipe, ſed potius ea à nobis diſce. Tibi Deus imperiū commiſit, nobis, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit.* Nec minus grauiter, quàm verè Leontius Tripolis Lydiæ Epiſcopus, eundem Conſtantium Imperat. interrogantem, cur aliis appro-

Pſal. 81. Lib. 1. c. 7. Euſ. li. 3. de vita Conſtantini, c. 10. Lib. 1. ca. 8. Lib. 1 ca 5. *Conſtātius Imp. reprehēditur ab Epiſcopo.* Epiſto. ad ſolitariam vitā agentes *Conſtātius Imp. ab alio Epiſcopo reprehenditur.* Suydas in verb. Leōt.

approbantibus ſolus taceret, his verbis reprehendit: *Miror, qui fiat, vt, cùm aliis curandis diſtinearis, alia tractes. Cùm enim rei militaris et ciuilibus negotiis præſis; tamen Epiſcopis ea præſcribis, quæ ad ſolos pertinent Epiſcopos. Si iſtud proinde*, vt loquitur Athanaſius, contra eundem Conſtantium, *eſt iudicium Epiſcoporum, quid commune habet cum eo Imperator? ſin contrà, iſta minis Cæſaris conflantur, quid opus eſt hominibus titulo Epiſcopis? Quando à condito æuo auditum eſt? Quando iudicium Eccleſiæ auctoritatem ſuam ab Imperatore accepit? Aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitum eſt? Plurimæ antehac Synodi fuêre, multa iudicia Eccleſiæ habita ſunt, ſed neque Patres iſtiuſmodi res Principi perſuadere conati ſunt, nec Princeps ſe in rebus Eccleſiaſticis curioſum præbuit.* Sed & ex grege Eccleſiæ ouem ſe veram præbuit Valentinianus primus Imperator, qui cùm rogaretur ab Epiſcopis Helleſponti & Bithyniæ, vt conueniendi in vnum poteſtatem faceret, Hypatiano Heracleæ Epiſcopo reſpondit: *Sibi qui vnus ex laicorum numero eſſet, non licere, ſe eiuſmodi negotiis interponere. Et ideò Sacerdotes & Epiſcopi*, inquit, *quibus hæc curæ ſunt, ſeorſum per ſe, vbicunque ipſis libitum fuerit, in vnum conueniant.* Eandem planè ſententiam ſecutus eſt Theodoſius iunior, cùm in hunc modum Epheſinæ Synodo legatum Candidianum mittens, ſcriberet: *Deputatus eſt Candidianus magnificentiſſimus Comes ſtrenuorum domeſticorum tranſire vſque ad ſanctiſſimam Synodum noſtram: & in nullo quidem, quæ facienda ſunt, de piis dogmatibus quæſtiones, ſeu potius expoſitiones communicare. Illicitum namque eſt, eum, qui non ſit in ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum, Eccleſiaſticis intermiſceri tractatibus.* Quin imò idem religioſus Imperator cum Arcadio & Honorio, hæreticos meritiſſima ſeueritate, perſequendos voluit. *Huic itaque, hominum*

Epiſto. ad Sol. vit. agentes.

Sozom. lib. 6. hiſt. Eccl. ca. 7.

Theod. in epiſt. ad Epheſ. Syn.

Valentinianus Imperator honorauit Epiſcopos, nec immiſcuit ſe negotiis Eccleſiæ.

Theodoſius iunior Imperator honorauit Epiſcopos, nec immiſcuit rebus Eccleſiæ.

f 2 *generi*

Theodoſius Imp. quomodo hæreticos, honore, bonis & vita priuandos iudicârit.

generi nihil ex moribus, nihil ex legibus commune ſit cum cæteris. Ac primùm quidem volumus eſſe publicum crimen. Quia quod in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam, quos bonorum etiam omnium publicatione perſequimur, ipſos quoque volumus amoueri ab omni liberalitate & ſucceſſione, quolibet titulo veniente. Præterea non donandi, non emendi, non vendendi, non poſtremò contrahendi cuiquam conuicto relinquimus facultatem; in mortem quoque inquiſitio extendatur. Vides ſacratiſſimos Imperatores & Eccleſiaſtici iuris defenſores, & in hæreticos, qui præpoſitos Epiſcopos contemnunt, grauiſſimos eſſe vindices. Ac proinde Ambroſius meritò Valentinianum Imperatorem ſecundum anteà reprehenderat his verbis: *Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere, noli te extollere, ſcriptum eſt: Date, quæ Dei ſunt, Deo, quæ Cæſaris ſunt, Cæſari. Ad Imperatorem Palatia pertinent: ad ſacerdotem Eccleſiæ: publicorum tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſacrorum.* Et epiſtola præcedenti: *Nec quiſquam contumacem iudicare me debet, cùm hoc aſſeram, quod auguſtæ memoriæ pater tuus non ſolùm ſermone reſpondit, ſed etiam legibus ſuis ſanxit, in cauſſa fidei, vel Eccleſiaſtici alicuius ordinis, eum iudicare debere, qui nec munere impar ſit, nec iure diſſimilis. Et quando audiſti, clementiſſime Imperator, in cauſſa fidei laicos de Epiſcopo iudicâſſe?* Et paulò pòſt: *At certè ſi vel Scripturarum ſeriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis eſt, qui abnuat in cauſſa fidei, in cauſſa inquam fidei, Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare? Et pater tuus, Deo fauente, vir maturioris æui dicebat: Non eſt meum iudicare inter Epiſcopos.* Hoc ipſum probè intelligēs Marcianus Imperator, vt vera & obediens ouis paſtoribus Epiſcopis & Sacerdotibus ſacri Con-

Leg. Manich. Cod. de Hæreti. & Manich.

Valētinianus Imper. reprehēditur ab Ambroſio, quòd ſe immiſiſceret Eccleſiaſticis.

Epiſt. 33. ad ſororem.

Matth. 22. Marc. 17. Luc. 20.

Ambr. epiſtola 32. ad Valent. Imp.

Epiſcopi iudicant de Imperatoribus in Eccleſiaſticis.

Marcianus Imp. Epiſcopis reliquit Eccleſiaſticas tractationes.

Concil. Chal. act. 3.

Concilij Chalcedonenſis obſequium demonſtrare, his verbis voluit: *Ceſſet iam profana contentio: nam verè impius atque ſacrilegus eſt, qui poſt tot ſacerdotum ſententiam, opinioni ſuæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippe dementiæ eſt, in medio & perſpicuo die commentitum lumen inquirere. Quiſquis enim poſt veritatem repertam aliquid vlterius diſcutit, mendacium quærit.* Et paulò pòſt: *Igitur ſi Clericus erit, qui publicè tractare de religione auſus fuerit, à conſortio Clericorum remouebitur: Si verò militia præditus ſit, cingulo ſpoliabitur. Cæteri etiam huius criminis rei, de hac ſanctiſſima vrbe pellentur, pro vigore iudiciario, etiam competentibus ſupplicijs ſubiugandi.* Ne verò per omnes cum moleſtia Imperatores tranſeamus, vnus tandem Baſilius Imperator concludat atque declaret, ſe & omnes Principes oues, non paſtores rerum diuinarum eſſe conſtitutos: *De vobis laicis,* inquit, *tam qui in dignitatibus, quàm qui abſolutè conuerſamini, quid amplius dicam non habeo, quàm quòd nullo modo nobis licet, de Eccleſiaſticis cauſſis ſermonem mouere, neque penitus reſiſtere integritati Eccleſiæ, & vniuerſali Synodo aduerſari. Hæc enim inueſtigare & quærere Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ſoluendi & ligandi poteſtatem habent, qui Eccleſiaſticas & cæleſtes adepti ſunt claues; non noſtrum, qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari vel à ligamento ſolui egemus; quantacunque enim religionis & ſapientiæ laicus exiſtat, vel etiamſi vniuerſa virtute interius polleat, donec laicus eſt, ouis vocari non deſinet. Rurſus, Epiſcopus quantacunque ſit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute donec Antiſtes eſt & veritatis verbum rectè prædicauerit, paſtoris vocationis & dignitatis damna non patietur, quæ ergo nobis ratio eſt, in ordine ouium conſtitutis? Paſtores verborum ſubtilitatem diſcutiendi, & ea, quæ ſuper nos ſunt, quærendi & ambiendi habent.*

Baſilius Imperator decreuit Principes eſſe oues Epiſcoporum.

Concil. Conſtantinop. 4 general. act. 10.

Laici omnes ſunt oues licet alioqui ſummi vel doctiſſimi.

Epiſcopi licet rudes & peccatores, quatenus ſunt Paſtores.

bent. Oportet nos ergo cum timore & fide ſincera hos audire, & facies eorum revereri (cùm ſint miniſtri Domini omnipotentis, & huius formam poſſideant) & nihil amplius, quàm ea, quæ

Laici præſumentes de rebus Eccleſiaſticis arguuntur.

noſtri ordinis ſunt, requirere. Nunc autem, vt videmus, adeò multos malitia in inſaniam accendit, vt obliuiſcentes proprij ordinis, & quòd pedes ſint, minimè cogitãtes, legẽ ponere velint oculis. Non quieſcet ſupernũ iudicium, ſed contra diffidentes diuinus furor ſtillabit, & iuſtam vltionem opere cunctis oſtendet. Hæc ille. Quamobrem, vt vnde incepta eſt, terminetur ſententia, Cyprianum in hunc modum loquentẽ audia-

Laicorum præſumptuoſorum punitio. Sacerdotes honorandi.

mus: *Quomodo poſſunt cenſuram Domini vltoris euadere, qui* Lib.1.epiſt. 3. *talia ingerunt non ſolùm fratribus, ſed & ſacerdotibus, quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur, vt quiſquis ſacerdoti eius & ad tempus hic iudicanti non obtemperaret, ſtatim necaretur?* Et paulò pòſt: *Cùm hæc tanta ac talia & multa alia exempla præcedant, quibus ſacerdotalis auctoritas & poteſtas de diuina dignatione firmatur: quales putas eſſe eos, qui ſacerdotũ hoſtes, & contra Eccleſiam Catholicã rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri iudicij vltione terrentur?*

Hæreſes vnde ortæ. Schiſmata vnde nata.

Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur. Hactenus ille. Proinde, qui in grege Dei & inter oues numerari ſe volunt, benignè & patienter, vt oues decet, ſe

Ouium officium & proprietas. Contumaces puniendi.

doceri, ſe ad paſcua duci ſinant, niſi potius, procacium caprarum more, ex præruptis cantibus in ouile, & ſtabulum vi cogi malint. Ob eiuſmodi enim contumaces poteſtas & gladius à Deo Principi data ſunt; Ideò enim à Deo mandatum eſt, vt qui ſacerdotis imperio noluerit Rom.13. Deut.17.

Libertas credendi cõfutatur.

obtemperare, planè moriatur. *Vbi enim eſt*, ait Auguſtinus, errorem Donati refutans, *quod iſti clamare conſueuerunt: liberum eſt credere, vel non credere? cui vim intulit Chriſtus?* Epiſt.50.ad Bonifaciũ.

ſtus? quem coëgit? Ecce habent Paulum: Agnoſcant in eo prius cogentem Chriſtum, & poſtea docentem: prius ferientem & poſtea conſolantem. Mirum eſt autem, quomodo ille, qui pœna corporis ad Euangelium coactus intrauit, plus illis omnibus, qui ſolo verbo vocati ſunt, in Euangelio laborauit. Et quem maior timor compulit ad caritatem, eius perfecta caritas foras miſit timorem. Cur ergo non cogeret Eccleſia perditos filios vt redirēt, ſi perditi filij coëgerunt alios, vt perirent? Hinc etiam rectè Donatum cogi nolentem alloquitur: *Diſplicet*, inquit, *tibi quòd traheris ad ſalutē, cùm tam multos noſtros ad perniciem traxeris?* Et paulò pòſt: *Quantò vos magis ab errore pernicioſo, in quo vobis inimici eſtis, trahendi eſtis, & perducendi ad veritatem vel cognoſcendam, vel eligendam, non ſolùm vt honorem ſalubriter habeatis, ſed etiam ne peſſimè pereatis? Dicis Deum dediſſe liberum arbitrium, ideò nō debere cogi hominem ad bonum: quare ergo illi, de quibus ſuprà dixi, cogūtur ad bonum? Attende ergo, quod conſiderare non vis. Ideò voluntas bona miſericorditer impēditur, vt mala voluntas hominis dirigatur.* Et poſteà: *Et, ſi mala voluntas ſemper ſuæ permittēda eſt libertati, quare corripiuntur negligentes paſtores, & dicitur eis: Errantem ouem non reuocâſtis, perditam non inquiſiiſtis. Et vos Chriſti oues eſtis, characterem Dominicū portatis in Sacramento, quod accepiſtis, ſed erratis & peritis. Non ideò vobis diſpliceamus, quia reuocamus errantes, & quærimus perditos. Melius enim facimus voluntatē Domini monentis, vt vos ad eius ouile redire cogamus, quàm conſentiamus voluntati ouiū errantium, & perire vos permittamus.* Ex his verò clariſſimè patet, Eccleſiā Dei à populi multitudine audiendā eſſe, quę more obedientiū ouiū, nullo modo rebellionē & contumaciam meditari debet: alioqui eiuſmodi homines, vt Præpoſitorū ſententiis acquieſcant per principū poteſtatē in rebus iudicatis & ſtatutis, diuina lege cogantur, oportet.

Eccleſia rectè cogit errantes ad viam reuerti.

Epiſt. 204.

Liberū arbitriū quomodo ſit nobis datum.

Ezech. 34.

Deut. 17. Matth. 18.

ASSER-

ASSERTIO II.

Eccleſia Dei, quæ per Epiſcopos & Primates intelligitur, cùm de controuerſiis fidei iudicet, & ad omnem abuſum ſiue offenſionem tollendam diſponendi habeat diuino iure poteſtatem, ea, quæ ſunt libera, ad mandatum & præceptum reducere poteſt.

QVoniam, Apoſtolo teſte, non omnia quæ nobis licent, & tanquam libera, ſeu media quædam in arbitrio noſtro poſita ſunt, ſemper expediunt vel ædificãt; ſed multa frequentiſſimè nec parum obſunt, vel incommodant Chriſtianis, ne ſint vel eſſe poſſint expediti ſatis & alacres ad currendam viam mandatorum Dei; ſicut nec etiam ad Apoſtolicæ & Catholicæ doctrinæ puritatem, ac fidei veritatem integram & immaculatam conſeruandam: Idcirco neceſſum fuit, vt non ſolùm Eccleſiaſticus, ſed & politicus Magiſtratus eiuſmodi poteſtatem haberet, & nonnunquam exerceret (quod & rectiſſimè facit) in adiaphoris quibuſdam, quæ poſſunt obeſſe, prohibendis; & in aliis, quæ commoda ſalubriaque ſint, præcipiendis. Quot, obſecro, leges, eæque non ſalutares minus, quàm neceſſariæ de rebus adiaphoris in iure politico ſancitæ reperiuntur? Quot item in Eccleſiaſtico iure ſanctiſſimi Canones extãt de moribus, de vita Cleri, de cultu diuino rectius ac decentius peragendo, de cærimoniis ac ritibus, de ieiuniis, abſtinentiis, ciborum delectu, certis nuptiarum temporibus, dierum feſtorum celebrationibus, deque ſimilibus adiaphoris, quæ iure diuino nunquam nec prohibita, nec præcepta fuerunt?

1. Cor. 6.

Adiaphora prohibendi aut præcipiendi poteſtas & neceſſitas.

Et

Et cùm in eiuſmodi prohibẽdis aut pręcipiẽdis vtrumq; ius præcipuè cõſiſtat; nonne, ſi poteſtas de reb⁹ adiaphoris diſponendi tollatur, vtrumq; ius iam quodammodò perierit? Veruntamẽ nihilominus Aduerſarij, ſicut aliàs facere conſueuerunt, hoc loco curioſius ſcrutantur, cur nimirùm Eccleſia quędam prohibeat, vel pręcipiat, quę Chriſtus ipſe liberrima, tanquam media, nobis reliquit? Cur libertas Chriſtiana prohibitionibus aut præceptis Eccleſiaſticis reſtringatur, & nouæ peccandi dentur occaſiones in rebus alioqui licitis, quæ poterant abſq; peccato fieri, ſi præceptum Eccleſiæ non interueniſſet? Cur Eccleſia non aduertit, quòd lex iram operatur, & quòd nitimur in vetitum ſemper cupimusque negata? Hîc viciſſim lubet Aduerſarios interrogare, cur in Paradyſo Deus ab initio mundi Protoplaſtis noſtris lignum ſcientiæ boni & mali prohibuit? Nonne veſci fructibus illius nec peccatum, nec periculum vllum tunc erat? Cur igitur Deus lignum alioqui per ſe licitum ac liberum, imò bonum ad veſcendum & pulchrũ oculis, aſpectuq; delectabile, grauiſſimo mortis periculo tã ſeriò prohibuit? Cur rem liberrimam interdixit? Nunquid voluit Deus primis illis parentibus occaſionẽ peccandi moriendiq; prębere? Neq; verò vllum Chriſtianum tam maledicum exiſtimo, qui eiuſmodi tam abſurda, mente cõcipere audeat. Quid ergo mirum, ſi Eccleſia Catholica mater noſtra, Chriſti Dñi ſponſa, tanquã filia ſanctiſſimum Patris cœleſtis exemplũ imitetur, ad ſpiritualem filiorum ſuorum vtilitatem; cùm præſertim ſtatus vitæ præſentis ita poſtulet? Cur etiam olim Deus in ſtatu innocentiæ Protoplaſtis, & poſt lapſum in veteri Teſtamento eorũ quoque poſteris, multa præcipere, quædam etiam prohibere voluit, quæ aliàs erant liberrima? Ergone Dominum

Aduerſariorum error circa adiaphora.

Rom. 4.

Aduerſarij conuincuntur circa adiaphora.

Geneſ. 2.

eiusq; in rebus diſponendis ſapientiam Aduerſarij contumelioſè redarguere audebunt? Multa ſiquidem præcepit Deus, vt per ea cõſeruaret in nobis caritatẽ ſuam, & rerum fluxarũ contemptum foueret, adeoq; nos confirmaret, ne relicto vero ſummoq; bono, aura concupiſcentiæ abſtracti & illecti, ſiue à diabolo ſeducti, ad vanitates & inſanias falſas difflueremus, in iiſque malè perderemur. Multa quoq; prohibuit homini Deus, partim ob varias & occultas ſacrorum myſteriorũ ſignificationes, partim quòd humanæ fragilitati ſic expediret, & eſſet laudabile à multis etiam adiaphoris cauere, iuxta illius ſententiam: *Eſt virtus licitis abſtinuiſſe bonis*: partim deniq; vt ſic Deus hominis (tanquam in præſenti vita curſoris ac viatoris) obedientiam & patientiam, & tanquã Chriſtiani militis fortitudinem in contemnendis voluptatibus, & in edomandis affectibus ac propriæ carnis deſideriis, quæ militant aduerſus animam, ſapienter probaret. Aliàs quam haberet homo ſegetem & occaſionem exercendæ virtutis, aut abnegandi ſeipſum, aut animam ſuam in hoc mundo propter Chriſtum odiendi, ſi nihil prohibitum, nihilque præceptum, ſed omnia eſſent adiaphora liberaque relicta; vt quicquid ei, cùm luberet, id per omnem quoque modum liceret? Certè hoc ipſum Ariſtoteles & ante eum Plato, multique Philoſophi naturæ viribus animaduerterant, nullo modo ſtatum Reipub. ob hominum improbitatem diu contineri poſſe, ſi leges, prout ratio & ſapientũ iudicia decernunt, in ſocietate hominum non ferrentur. Etenim inter animalia, vt homine, virtutibus prædito, nullum eſt melius; ita eo legibus & iuſtitia libero, nullum immanius, & ad omnes explendas libidines effuſius inueniri poteſt. Ex quo ſanè intelligitur, Primates Eccleſiæ, à diuina ſapientia

Adiaphora multa cur ſint prohibita.

Iacob. 1.
Pſal. 39.
1 Pet. 2.
Luc. 9.
Ioan. 12.

pientia illuſtratos, cùm animaduertunt, hominum licentia & libidine ſtatum Eccleſiarum labefactari, iuſtiſſimè pro temporum ratione, ad pacem populi Chriſtiani, nouas leges, in rebus alioquin liberis & licitis, condere poſſe, atque veteres abrogare, prout olim tempore naſcentis Eccleſiæ factum eſſe non ignoramus.

ASSERTIO III.

Multæ & graues ſunt cauſſæ, cur Eccleſia ea, quæ adiaphora dicuntur, præſertim quoſdam Sacramẽtorum ritus & cærimonias, pro hominum, locorum & temporum ratione, mutare & variare debuerit. *Eccleſia Dei cur aliquãdo præceperit vel prohibuerit adiaphora.*

QVemadmodum homo duabus, animæ nimirum & corporis partibus conſtat; ſic ad Deum ritè laudandum & colendum duplici ſcilicet interno ſpiritus, &. externo cærimoniarum ac rerum ſenſibilium cultu indiget, vt ſic cor hominis, ſicut & caro, exultent in Deum viuũ, adeoq; iuxta ſententiã Apoſtolicam, *pſallat ſpiritu, pſallat & mente.* Et quoniã ſpiritus eſt Deus, oportet eos, qui adorant eũ, in ſpiritu & veritate adorare. Quod fit, per internũ fidei, ſpei, caritatis & aliarũ virtutum & piorũ ſuſpiriorũ ac deſideriorũ cultũ. Verùm, ne corpus hominis ſit ocioſum, aut omnino diuini cultus expers, ſed modo quodã externo ac viſibili debitas Deo ſuo laudes decãtet, & grãtiarũ actiones ſemp exequatur; præter vocis ſeu labiorũ orationẽ, cantus, genuflexiones, & varios corporis debitos geſtus, quæ omnia ad excitandã & augendã populi Chriſtiani deuotionẽ non parum faciunt, neceſſarium ſemper fuit, aliquos ritus ac cærimonias,

Marginal notes: *Cultus Dei eſt duplex.* — Pſal. 83. — 1. Cor. 14. — Ioan. 4. — *Cultus interior probatur.* — *Cultus exterior probatur.* — *Cærimoniarum neceſſitas.*

præſertim circa legitimam Sacramentorũ adminiſtrationem,inſtituere atq; ſeruare.Qui ritus,cùm nõ diuini, ſed Eccleſiaſtici ſint iuris, quemadmodum ab Eccleſia ſunt inſtituti,ſic ab eadem iuſtas ob cauſſas, nimirum ob populi maiorem ædificationem, vel ad confirmãda Catholicæ fidei dogmata, vel ad hæreſes extirpandas, vel alias ob cauſſas mutari ac variari rectiſſimè poſſunt. Cuius rei licet plurima paſſim exſtent exempla,pręſenti tamen inſtituto ſatis fuerit,pauca commemoràſſe. Conſtat per Eccleſiam Catholicam decretum fuiſſe ritum quendam, vt in principio Chriſtiani abſtinerent ab immolatis ſimulacrorũ,& ſanguine,& ſuffocato,&c.quem ſanè ritum eadẽ Eccleſia iuſtas ob cauſſas poſtmodum ſic abrogauit, vt à multis iam ſeculis nec vllum quidem huius Apoſtolicæ legis veſtigium exſtiterit. Et ſanè nullus Aduerſariorum hoc tempore repertus eſt, qui malè ferat,aut etiam admiretur, Apoſtolicum hoc decretum à nobis non obſeruari. Conſtat præterea per Eccleſiam Apoſtolicam, quibuſdam perſonis, pia de cauſſa (quò videlicet Iudæi facilius ſuaue Chriſti iugum ſubirent) ſaltem ad tempus permiſſum fuiſſe circumciſionis ritum,qui tamen paulatim fuit ita ſeriò ſublatus, vt Apoſtolus in hæc erumperet verba: *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*. Conſtat olim fuiſſe pleroſq;,qui contenderent merſionem trinam propter Apoſtolorũ atq; Patrum antiquiſſimorum traditionem, omnino fuiſſe neceſſariam,quaſi non poſſet abſque illa Sacramentum Baptiſmi plenè conferri. Vnde Eccleſiæ Hiſpanicæ & Gallicæ vt hæreſes, quæ SS. Trinitatem non perſonis tantùm, ſed & natura diſtinctam docebant, ortas abolerent; primò tantùm ſemel immergere in Baptiſmate, cum trium perſonarum nominum prolatione,

Ritus de immolatis ſimulacrorum & ſuffocato, & ſanguine ſublatus.

Ritus immerſionis trina cur abrogatus.

Actor. 15.

Actor. 16.

Gal. 5.

Apoſt. Can. 49.

Concil. Conſt. 1. cap. 7.

Chryſoſt. hom. 24. in Ioan.

Baſil de Spir. ſanct. cap. 15.

Can. 5 ne, cœperunt. Deinde à Gregorio Magno & Concilio Toletano quarto, propter eoſdem hæreticos ſalubriter fuit decretum, vt abrogata immerſione trina, Sacramētum Baptiſmi per vnam ac ſimplam tantùm immerſionem conferretur. Poteſt enim vtroque modo Baptiſmi Sacramentum rectiſſimè conferri, quemadmodum [a] Cyprianus aſſerit, & idem [b] Gregorius teſtatur, cùm ait: *Sed quòd nunc huc vſq; ab hæreticis infans in baptiſmate tertiò mergebatur, faciendum apud nos eſſe non cenſeo; ne dum merſiones numerant, diuinitatem diuidant: dumq; quod faciebant faciunt, ſe morem noſtrum viciſſe glorientur.* Conſtat etiam ſanctæ Euchariſtiæ ſumptionem (quod ſpectat ad tempus cōmunionis) eſſe rem adiaphoram, nec à Chriſto ad certum tempus alligatam, quātumuis poſtquam cœnauit veſpere Sacramentum inſtituerit. Vnde, cùm exiſtimârunt plerique malè perſuaſi, neceſſarium eſſe, vt quemadmodum fuerat ab ipſo Chriſto factum, ſic peracta cœna neceſſariò ſumeretur; Eccleſia ſapienter inſtituit ad tollendam eam hæreſim, & ob Sacramenti reuerentiam, ne quiſquam (exceptis tantùm neceſſitatis & ægritudinis caſibus) niſi ieiunus ſanctam Euchariſtam ſumeret. Quod Eccleſiæ præceptū Aduerſarij nobiſcum eaſdem ob cauſſas, & rectè quidem, obſeruant, quandoquidem & D. Auguſtinus ſapienter aſſerit, illud eſſe ſeruandum, quod tota die per orbem frequentat Eccleſia; *Nam hoc*, vt ait, *quin ita ſit faciendum diſputare, inſolentiſſima inſania eſt.* Videant iam Aduerſarij, quomodo contra ſtatuta Eccleſiæ, & decreta maiorum diſputare poſſint, & quomodo cōtra conſuetudinem legemq; Eccleſiæ receptam, & longiſſimo tempore ſeruatam in communione ſub vna ſpecie diſputare audeant.

[a] Lib. 4. epiſt. 7.
[b] Lib. 1. epiſt. 41.

Cōc. Carthag. III. cap. 29. de Cōſec. diſt. 1. Sacramēta alta.

Concil. Conſt. ſeſſ. 13.

Epiſt. 118. ad Ianua.

Ritus communicandi poſt cœnam ſublatus.

ASSERTIO IIII.

Sacroſanctam Euchariſtiam ſub vna vel vtraque ſpecie ſumere per ſe res adiaphora & libera eſt; quam olim Eccleſia pro temporum, locorum, & hominum ratione, frequenter & optimè quidem mutauit, ac variauit, & deinceps variare poteſt.

Communicare ſub vna vel ſub vtraq; ſpeciе res eſt adiaphora.

Libertas cõmunicandi ſub vna vel vtraq; ſpecie ſumma, quando fuit.

Vtriuſq; ſpeciei communio, quãdo, cur, & vbi ab Eccleſia fuerit præcepta.

RItum ſub vna vel ſub vtraq; ſpecie communicandi, non à Chriſto præceptum, ſed liberum fuiſſe relictum, vt ab Eccleſia pro fidelium vtilitate variari ſemper potuerit, & ex inſtitutionis ratione & omnium temporum ac Eccleſiarum cõſuetudine, ſuperiùs abundè ſatis declaratũ eſt. Nam poſt Aſcenſionem Chriſti per 450. primos & continuos annos fuit in Eccleſia ſumma libertas, vel ſub vna, vel ſub vtraq; ſpecie cõmunicandi: prout quemq; ſua trahebat pietas, & in Deũ deuota religio, nec vlla fuit inter eos, qui ſub vna, & alios, qui ſub vtraq; ſpecie communicabant, diſſenſio: quòd optimè ſcirent omnes, ritum vtrumq; adiaphorum, & æquè hunc atq; illum liberum ac licitũ & ſanctum eſſe. Elapſis verò prędictis 450. primis annis, cùm inualeſceret hæreſis Manichæorum; qui vinum tanquam rem malam atq; fel Principis inferorũ damnabant; & ideò, cùm vini ſpeciem deteſtabantur, Eccleſia tẽpore Leonis Magni conſtituit, & hoc ipſum Gelaſius innouauit, quemadmodũ in præcedentibus fuſè probatum eſt; vt oẽs ad tollendam Manichæorũ hæreſin ſub vtraq; ſpecie communicarẽt. Quod tamen Eccleſiæ prçceptũ, nec diu, nec vbiq; fuit ſeruatũ, & eos tantùm obligabat, qui Romæ & in Occidẽtalibus parti-

partibus exiſtebant, idq; Paſchali vel ſolenni ſolùm tem-
pore, quo ſolebant oẽs lege conſueta communicare. At
quamprimùm Manichæorũ hæreſis profligata fuit, paſ-
ſim omnibus Chriſti fidelibus priſtina ſiue ſub vna, ſiue
ſub vtraq; ſpecie cõmunicandi libertas eſt reſtituta. Suc-
ceſſu verò temporũ, cùm Eccleſia multis ac variis expe-
rimentis intelligeret, vnius ſpeciei ritũ populo Chriſtia-
no longè commodiorem ac tutiorem eſſe; illum idcirco
paulatim Chriſtiani diuerſis in locis, abſq; vllo Eccleſiæ
præcepto (ſed tacito quodam conſenſu) ſuſceperunt, &
frequentârunt. Cui deinde conſuetudini piæ & ſalutari,
acceſſit vniuerſalis Eccleſiæ, non ſolùm approbatio, ſed
& præceptum, quo cuncti fideles in ſaluberrima hæc cõ-
municandi vniformitate feliciter continerentur, ac per-
Seſſ. 13. ſeuerarent, vt in Cõſtantienſi, & Baſilienſi Cõciliis ſupe-
Seſſ. 30. riùs videre licet. Deniq; his noſtris, & quidẽ vltimis tem-
poribus, quibuſdam regionibus ac prouinciis, non quidẽ
abſolutè, ſed conditionibus nonnullis ſeruatis, nonnihil
eſt indultum, vt vel hinc cõſtaret, ritũ illum, ſub vna, vel
vtraq; ſpecie cõmunicandi liberum à Chriſto relictũ eſ-
ſe. Sed & Aduerſarij aliqui conſcientia moti, Euchariſtiã
in arbitrio noſtro poſitam eſſe, vt nunc ſub vna, nunc ſub
altera ſpecie ſumere nobis liberum ſit, ſcriptis mandâ-
Epiſt. 118. runt. Intelligebant proculdubio ab Auguſtino dictum
eſſe: *Chriſtum non præcepiſſe quo deinceps ordine Sacramen-
tum ſumeretur, ſed Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus e-
rat, locum hunc ſeruâſſe.* Nec certè mirum, quòd Chriſtus
Dñs Apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus hanc de cultu, de
cærimoniis, de modis, vel ritibus adminiſtrandi Sacra-
menta, deq; ſanctæ Euchariſtiæ ſpeciebus (tãquam rebus
adiaphoris) libertatẽ ac poteſtatem diſponendi plenam
conceſſerit; quandoquidem, Apoſtolo teſte, conſtituit

Vnius ſpeciei communio quomodo paulatim introducta.

Vtraq; ſpecies noſtris temporibus quomodo et quibus ſit indulta.

Libertatẽ ſub vna vel vtraq; ſpecie communicãdi Aduerſarij agnoſcunt.

Libertatẽ communicandi ſub vna vel vtraq; D. Auguſt. probat.

Ritus communicandi cur à Chriſto liber ſit relictus.

cos

Apoſtoli diſpenſatores myſteriorũ Dei.

Diſpẽſatoris officium in quibus conſiſtat.

eos diſpenſatores myſteriorum Dei. Nam verum officium diſpenſatoris, nónne vel maximè conſiſtit in eo, vt òmnia prudẽter & vtiliter ad aliorum commoditatem ac ſalutem diſpenſentur, ordinentur, vel etiam ordinata mutentur, cùm ſic expedire iudicatur? Nónne hocquoque ſenſu loquutus eſt Chriſtus, dum ait: *Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore?* Nónne Chriſtus ipſe, quem hoc loco ſeruum, eundem apud D. Lucam appellat diſpenſatorem fidelem ac prudentem, vt hinc nobis conſtet, ad Prælatos Eccleſiaſticos, hoc eſt, ad Apoſtolos, Apoſtolorumq; ſucceſſores Epiſcopos & alios Eccleſiarum Prępoſitos ac Rectores ex officio pertinere, vt populo Chriſtiano Dominicum triticum, hoc eſt, ſanctam Euchariſtiam (ſicut alia quoq; Sacramenta) verbum Dei, cæteraque diuina myſteria, ſecundum certam menſuram, quemadmodum ipſis id magis expedire videbitur, diſtribuant atq; diſpenſent? Vnde, cùm ſpecies ſanctæ Euchariſtiæ ſpectent ad candẽ tritici menſuram, de qua ſola contenditur; rectiſſimè fecit olim, ac etiamnum facit Eccleſia Dei, quòd idem Euchariſtiæ Sacramentum plerunq; ſub vna, nonnunquam etiam ſub duabus ſpeciebus, pro ratione locorum & temporum, ac fidelium ſuorum vtilitate diſpẽſet ac diſtribuat. Sed ignorare non poſſunt Aduerſarij de ſpeciebus & aliis Sacramentorum ritibus, quæ ſpectant & ad temporis rationem, & ad tritici menſuram, nihil à Chriſto pręſcriptum vnquam fuiſſe. Quin optimè intelligunt totam & temporis commoditatem, & tritici menſuram, Eccleſiæ paſtoribus, tanquam veris Chriſti diſpenſatoribus, fuiſſe commiſſam atque traditam. Quò propriè ſpectat illud Apoſtoli dictum: *Cætera, cùm venero, diſponam.*

Diſpẽſator, & ſeruus fidelis idẽ.

1. Cor. 4.

Matth. 24.

Luc. 12.

1. Cor. 11.

Erat

Erat namque memor Apoſtolus illius poteſtatis, quam tanquam fidelis ac prudens diſpenſator acceperat, vt cætera diſponeret, ea nimirum, quæ ſpectabant ad Sacramentorum ſpecies, modos, ritus, cærimonias, ac totum Dei cultum externum, qui ſemper ad maiorem populi deuotionem ac ſpiritualem ędificationem accommodari debet. Quamobrem Reipub. Chriſtianæ paci conſultum admodum foret, ſi Aduerſarij, vti obedientes filij, à Patribusfamilias, hoc eſt, à fidelibus diſpenſatoribus & Primatibus Eccleſiæ ſibi menſuras tritici diſtribui paterentur, ſicut rectè & cum laude ac meritò Catholici faciunt.

Aduerſarij deberent à diſpenſatoribus petere ſuam tritici menſurã & non ſe immiſcere alienis officiis.

CAPVT OCTAVVM,

QVINQVE CONTINET ASSERTIONES, QVIBVS PROPONVNTVR ET EXplicantur rationes, cur ſancta mater Eccleſia laudabilem ſub vna ſpecie communicandi conſuetudinem (prætermiſſo calice) paſsim receptam, & multis ſeculis vſitatam, Canonico tandem decreto voluerit, vel etiam ex officio debuerit ita confirmare, vt ad eam retinendam & frequentandam populus Chriſtianus obligaretur.

ASSERTIO PRIMA.

Ad confirmandam Catholicæ fidei doctrinam & hæreſes euertendas, vtile & neceſſarium fuit, vt Eccleſia ſalutarem vnius ſpeciei ritum Chriſtiano populo frequentandum mandaret.

QVas potiſſimùm ob cauſſas Eccleſia Dei nõnunquam ea, quę adiaphora dicuntur, circa diuinum cultum & Sacramẽtorum ritus ac cærimonias mutare poſſit ac debeat, præcedentibus ſatis ſuperq; demonſtratũ eſt. Nunc ſequi videtur, vt paucis declaretur iuſtas ob cauſſas ſanctam Eccleſiam, ſub vtraq; ſpecie cõmunicandi conſuetudinem ad defendenda fidei dogmata in eam, quę ſub vna à Catholicis frequẽtatur per legem commutâſſe. Nam cùm exortus eſſet error ille grauiſſimus in Bohemia, per Petrũ quẽdam Dreſdenſem ſeminatus, & à Iacobo Sileſita per idem regnũ euulgatus, nimirum ſub duabus panis & vini ſpeciebus, ita neceſſariò cõmunicandum eſſe, vt ſi quis alteram vini ſpeciem prætermitteret, eum ob violatum Chriſti præceptum ac teſtamẽtum de ſalute ſua periclitari. Quæ certè falſa opinio per Eccleſiã omnino debuit cõfutari. Nec id potuit euidẽtius & efficacius fieri, quàm ſi Eccleſia Dei per Conſtantienſe ac Baſilienſe Concilia, (veritate Catholica prius declarata) antiquã, ſacroſanctam & piam ſub vna panis ſpecie cõmunicandi conſuetudinem, omnibus deinceps ſeruandam præciperet; ne videlicet rudiores & ſimpliciores homines, eiuſmodi errore ſeducti, calicem omnibus præceptum putarẽt; quin potius omnes in Orthodoxa & Catholica fide perſeuerãtes, iſtos communicandi ritus indifferẽtes, & ab Eccleſia variari poſſe, crederent. Et quoniam hac ætate noſtra Aduerſarij, eundem errorem olim damnatũ, ab inferis reuocârunt, & apud Germanos non abſq; miſerabili ac certiſſimo plurimorũ interitu diſſeminârunt; omnino fuit neceſſarium, & Spiritus ſanctus per Concilium Tridentinũ, ſicut & factum eſt, eundem errorẽ rurſus damnaret, ac per Canonicum decretũ eos anathemate feriret,

Vnius ſpeciei communio cur confirmata ſit ab Eccleſia.

Calicis neceſſitas à quibus inuecta.

Calicis error hoc tempore reuocatus.

Seſſ. 13.

Seſſ. 30.

Seſſ. 21.

ret, qui calicem omnibus à Chriſto præceptum eſſe, falſò crederent, aut docerẽt. Plurimùm igitur profuit tam ad Catholicæ doctrinæ confirmationem, quàm ad erroris exitioſi deſtructionem, vt laudatiſſima ſub vna ſpecie cõmunicandi conſuetudo, confirmaretur Eccleſiaſtico præcepto, quo Chriſti fideles cõſtanter eam retinerent. Ad hunc modum frequenter Eccleſia Dei, per contraria præcepta de rebus adiaphoris varias & contrarias olim

Adiaphora ab Eccleſia præcepta vel prohibita.

obortas hæreſes exterminauit, vt ſuperiùs de ſuffocato, & ſanguine, de trina vel vna Baptiſmi immerſione, declaratum eſt. Ad eundem modum, quando Manichæi vini

Manichæi coacti ſunt ſub vtraq; ſpecie cõmunicare.

ſpeciem, tanquam malam deteſtarentur, Eccleſia Dei per contrarium præceptum (ad propulſandum eorum errorem) eos vel inuitos coëgit, vt ſumptione calicis fidem ſuam palam, dum ſub vtraq; ſpecie cõmunicarent,

Nicephor. lib. 14. c. 32.

Neſtorij error de matre Chriſti damnatur.

profiterentur. Ad eundem modum cùm Neſtorius D. Virginem Mariam non Dei, ſed, vt Chriſti genitricem ſalutandam impiè opinaretur, quaſi nõ Deum, ſed hominem tantùm genuiſſet; mox Eccleſia Dei per Cõcilium Epheſinum, ad confutandum hunc errorẽ, & ad Catholicum dogma confirmandum, per contrarium præceptũ ſeriò decreuit, ne Chriſti, ſed Dei genitrix, ne χριστοτόκος ſed θεοτόκος appellaretur. Ad eundem planè modum, cõtendentibus Manichæis omnino ieiunandum eſſe diebus Dominicis, Eccleſia mox, vt errorem iſtum profligaret,

Dominicis diebus non ieiunandum.

Can 64.

contrario mandato per Cõcilium Carthaginenſe IIII. Chriſtiano populo grauiter prohibuit, ne quiſquam illis diebus ſtudioſè ieiunaret. Ad eundẽ deniq; modum, cùm circa ſpecies S. Euchariſtiæ, multiplices ac variæ multorũ

Errores varij circa calicem orti cõfutãtur.

hæreſes orirentur, vt quidam perperam affirmarent, ſub vna ſpecie panis non totũ, ſed dimidiatũ contineri Chriſtum; alij cõtenderent calicis hauſtũ ſingulis ad ſalutem

omnino neceſſarium eſſe, cæteri verò improbarent eos, qui ritu Catholico vna tantùm ſpecie contenti ſacram Euchariſtiam perciperent, quid mirum, ſi Eccleſia Dei per contrarium pręceptum, ſicut aliàs rectiſſimè facere conſueuit, cõuictis & repudiatis erroribus, Catholicam & Orthodoxam de vnius ſpeciei cõmunione veritatem conſtabilire voluit? Quamobrem (quod libẽter pio Lectori inculcatum ac valde commendatum eſſe deſidero) non leui, ſed grauiſſima iuſtiſſimaq; ratione, Eccleſia impulſa fuit, vt decerneret, populo Chriſtiano vnius ſpeciei ritum planè retinẽdum eſſe, quò profligatis & euerſis falſis opinionibus, vera fidei Orthodoxæ dogmata, incorrupta & integra permanerent.

ASSERTIO II.

Ex intimo ſacræ Euchariſtiæ myſterio & effectu, optima ac legitima eſt cauſſa, cur Eccleſia ſaluberrimam ſub vna ſpecie communicandi conſuetudinem, tandem præcipere meritò debuerit.

Euchariſtia Sacramentum caritatis & vnionis eſt.

NEmini dubium eſſe poteſt SS. Euchariſtiã, vt Scripturæ ſacræ indicant, & Orthodoxi Patres aſſerunt, rectiſſimè Sacramentum caritatis & vnionis appellari, propterea, quòd ſit diuinũ quoddã Chriſtianæ coniunctionis, ac concordiæ ſingularis vinculum atq; ſymbolũ, quod clarè teſtatus eſt Apoſtolus, quando multos (videlicet Chriſtianos) vnũ panem & vnum corpus eſſe pronunciauit, vt per hoc Sacramenti myſterium nobis vnitas cõmendaretur. Et cùm iſtã ſpiritus & animorum

1. Cor. 10.

vnitatem, Sacramenti huius myſterio nobis tantopere commendatã, magis vnius, quàm vtriuſq; ſpeciei communio repræſentet, exprimat, & operetur, dum populus Chriſtianus non ſolùm vna fide, vnoque ſpiritu, & vnanimi deuotionis ac pietatis conſenſu, ſed vniformi quoque ſacræ Synaxeos ritu ſimul communicat; quid mirum, ſi columna veritatis Eccleſia, vel hanc etiam ob cauſſam, vt pia mater ſuis filiis vnius ſpeciei communionem non commendare modò, ſed etiam præcipere voluerit? Nónne maximè refert, vt in nobis integerrima conſeruetur fidei, ſpiritus, ac religionis vnitas, cuius ille ritus ſymbolum longè perfectiſſimum exiſtit? Nónne ſapiẽter & accuratè filiis prouidet ſollicita mater, quando præcipit, quæ ad conſeruandam ſpiritus vnitatem, & animorum coniunctionem valdè neceſſaria, nedum vtilia iudicantur? Quid enim omni Chriſtianorum religione, ad animos vniendos aptius, quid ad voluntates firmiter coniungendas accommodatius eſſe poteſt? quàm vno ſimilique ritu, in eo ſacrificio vti, quo Chriſtus ſibi tanquam capiti, nos membra ſociari voluit? Hanc autem diuinam vnionem, qui intueri voluerit, & eos, qui ſub vna tantùm ſpecie, & alios, qui ſub vtraque ſpecie communicant, ante oculos ſtatuat, atque ſtatim è veſtigio deprehendet in his miſerandam animorum inter ſe pugnam, & exitioſam planè opinionũ diſſenſionem, vt præter nomen Chriſtianum, nihil Chriſtianæ fidei prorſus reperias: In iis verò, qui Catholico ritu ſub vna ſpecie Euchariſtiam ſuſcipiunt, tanta in vna fide conſpiratio, tanta in ſacrificij & Sacramentorum numero, ritu, & cærimoniis cõſenſio elucet, vt certiſſima filiorum Dei ſigna animaduertas. Nónne quotquot hactenus Catholici vnius ſpeciei ritum ſeruauerunt, & vſque reti-

Vnius ſpeci-ei commu-nio opera-tur vnitatẽ fidei, ſpiri-tus, &c.

nent, ſunt ac ſemper fuerunt vnius ſpiritus, vnius fidei, vnius moris in domo Dei? vt rectè de primis illis Chriſtianis, ſub vna ſpecie communicantibus, in communicatione fractionis panis perſeuerantibus, dictum fuerit: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna.* Nónne hoc ipſum non ſolùm in his noſtris prouinciis, ſed etiam in omnibus nationibus ac regnis, per vniuerſum orbem Chriſtianum ita manifeſtum, ac certum eſt, vt hæc vnitas fidei, ſpiritus, ac religionis, vbiuis locorum, ſub vna ſpecie communicantium, meritò ſit ac habeatur inſtar incredibilis cuiuſdam miraculi, quo Deus Opt. Max. tot homines per vnius ſpeciei ritum, ſic vnanimes in fide conſeruat. At è diuerſo, quid apparet aliud apud eos, qui calicem tantopere ſitiunt, vrgent & quaſi prorſus ad ſalutem neceſſarium, vi quadam rapiunt, niſi diſſenſio, contentio, diſcordia, & in fide, fideique doctrina, ac Sacramentorum vſu, ſumma cum offenſione, perturbatio? Id omnibus eſt manifeſtius, quàm vt egeat longiori probatione. Nónne omnes, qui Eccleſiam Romanam oppugnant, calicem vrgent, & ſibi magna alacritate propinant, cùm tamen nec inter ſe conueniant, nec illius vnitatis & caritatis, quàm S. Euchariſtia nobis tantopere commendat, planè ſint participes. Bone Deus, quot & quantis opinionum monſtris inter ſeſe diſſentiunt, & ſeipſos ad fidei noſtræ Catholicæ robur conficiunt? Qui, ſi deinceps in tanta rerũ perturbatione & animorum diſſidio petrexerint, ipſis metuendum eſt, ne iuſto Dei iudicio breui caſtris eorum dirutis, ita fame & ſiti enecentur, vt ſpeciei vini in Euchariſtia amplius, (vt iam Trinitarij non curant, nec multum ſunt ſolliciti) non recordentur.

Epheſ. 4.

Actor. 2.

Aduerſari-orum diſ-ſenſiones.

ASSERTIO III.

Rectè, pieq́; D. Thomas Aquinas, & Albertus Magnus, ſimilesq́; ſapientiſſimi Theologi ſenſerunt, quòd Eccleſia Dei, meritò propter effuſionis periculum vtriuſque ſpeciei communionem intermiſerit, & minimè porrigendam iudicauerit.

QVi ingenio faciliores & opinione modeſtiores ſunt Aduerſarij, facilè nobis concedunt, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum nullis iniuriis vel contumeliis afficiendum, aut profanandum, ſed omni potiùs honore, reuerentia, debitoque cultu, ſedulò venerandum, & in eo Chriſtum adorandum eſſe. Quis enim tam impius eſſe poſſit, aut velit, qui contumeliam (quæ per effuſionem fieri ſolet) illatam ſanguini Dominico, grauiſſimis pœnis vindicandam ac puniendam eſſe non iudicet? Profectò D. Paulus proteſtatur, eum deteriora, quàm mortis ſupplicia, mereri, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem Teſtamenti pollutũ duxerit, in quo ſanctificatus eſt; & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit. Atq; idem alibi probat, eos grauiſſima, nedum infirmitatum ſed & mortis æternæ pœna mulctãdos eſſe, quòd irreuerenter & indignè perciperent ſanctiſſimã Euchariſtiã, dum ait: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Quamobrem olim maiores noſtri varias pœnas in eos conſtituerunt, quibus vna ſaltem guttula de ſanguine Domini per negligentiam, vel in terram, vel in veſtes, vel etiam in mappam excidiſſet. Huc

Calicis pericula quãtopere cauenda.

Hebr. 10.

Sanguinis Dominici effuſio quomodo punita.

1. Cor 11.

Sanguinis Dominici irreuerentia pro ſacrilegio habetur. Huc accedit quòd eorum plerique eiuſmodi negligentiam, ſummum, nec immeritò, ſacrilegium appellare conſueuerunt; quo Dei furor & indignatio contra nos prouocatur. Quid igitur mirum, ſi Eccleſia Dei Spiritu *Calicis vſus cur rectè prohibitus.* ſancto edocta, calicis vſum laicis communicantibus minimè neceſſarium prohibuerit, ne tot ac tantis ludibriis, contumeliis & ſacrilegiis occaſiones præberentur, cùm id facillimo negotio, videlicet per vnam panis ſpeciem, abſque vlla populi Chriſtiani fraude, ſed cum eodem, ſi non maiori, ſpirituali fructu fieri potuerit, vt non dicam eos, qui ſub vna ſpecie recipiunt, & maiori fide & laudata magis obedientia, ſe ornatos eſſe demonſtrare. Quòd autem, ſi calicis hauſtus omnibus porrigi debeat, non facilè poſſit effuſionis eiuſmodi periculum euitari, non ſolùm experientia certiſſima demonſtrat, ſed & ma- *Calicis pericula quomodo caueri vix poſſunt.* nifeſta quoque ratio perurget, cùm nimirum nec à ſenibus tremulis, nec ab aliis in tanta communicantiũ multitudine ſiue pueris, ſiue barbatis viris hauriri tutò poſſit, quin aliquid de ſacratiſſimo Domini ſanguine, vel in barbas, vel in veſtes, vel etiam in terram effluat & irreuerenter effundatur. Nec illud hoc loco prętereundum eſt, *Calix ad ægros difficulter ferri poteſt.* quòd abſque manifeſto effuſionis periculo, calix ad ægros quoque per itinera longa deferri non queat. Porrò nec poſſunt Aduerſarij graues illos abuſus ſuos excuſare, dum calicem non deferunt ad ægros; quibus ex tempore vinum, qua poſſunt illi ſua benedictione, (quanquam potius ſuis opinionibus, quàm verbis Chriſti, confici Sacramentum volunt) Sacramentum in cypho vel cochle- *Aduerſarij habent cochlear noui Teſtamẽti.* ari propinant, dicentes: *Hoc eſt cochlear noui Teſtamenti.* Quod ab eis in Sileſia & aliis in locis eſſe factitatum, ita certum & compertum habemus, vt in teſtimonium illis, vel potius in perpetuum illorum ac ſummum dede-

cus.

cus, tale cochlear, quo fuerunt vſi, ab amico mihi traditum ac donatum fuerit, quod mox Vulcano, ſicut dignum erat, conſecratum eſt. Verùm enimuerò, cùm rem hanc penitiùs intueor, nec doleo, nec miror, quòd apud ægros, vti cochleari, quàm calice malint. Cùm enim ſacerdotes non ſint, nec vllam proinde conſecrandi poteſtatem habeant, ægris non ſanguinem Domini, ſed merum vinũ propinant: quod rectius cochleari, quàm calice fieri poteſt. Nec vllum in eo peccatum eſſet, ſi non ægris falsò perſuaderent, in cochleari (cùm nihil ſit minus) ſanguinem Domini contineri, ſiq; contra rationem & Scripturam noui Teſtamenti, cochlear ægris non prędicarent, & (vt faciunt) non commendarent.

Cochleari rectius, quã calice vinũ ægris propinant.

ASSERTIO IIII.

Non deſunt porro difficultates plures, eæq́ omnino grauiſſimæ, ob quas Eccleſia facilius rectiusq́ potuerit ac debuerit calicis hauſtum intermittere.

NOta ſunt incommoda plura ſimul & grauiſſima, quæ propter calicis vſum contigerunt aliquibus maioribus noſtris, quantumlibet Catholicis ac piiſſimis hominibus, vt proinde calicis vſu ac ritu (tanquã re adiaphora & in arbitrio noſtro poſita) deinceps carere, quàm cum tot periculis ac ſacrilegiis eo diutius abuti, mallent. Videbant enim viri ſapientiſſimi Eccleſiæ paſtores, in tanta communicantiũ multitudine, neceſſum fore nonnunquam integra vini dolia, vel certè magna quędã vaſa conſecrare, ex quo animaduertebant, nunc vnam Dñici ſanguinis partem in terram effluere, nunc aliam, quæ ſu-

Calicis incommoda, quæ olim acciderunt.

pererat

pererat communicantibus, corrumpi vel aceſcere, nunc etiam ſanguinẽ hyemali tempore congelari, & aliis quoque modis irreuerenter perire, ſicut luculenter ſcribit ac teſtatur Æneas Syluius. Videbant verò multis in prouinciis, vinum planè deeſſe, & vini pauxillũ, imò ne guttam quidem haberi poſſe, quo ſaltem (& rarò quidem) Miſſæ ſacrificium perageretur. Sed & abſtemiorum conditio, & multitudo plurimorum mouit, qui vinum, nec quidem odoratu ſuſtinere, ſalua valetudine, potuerunt, vt proinde D. Thomas optimè dixerit: *Si nocumentum timeatur, non eſt neceſſe, quod omnes accipientes corpus Chriſti, etiam ſanguinẽ accipiant.* Quis verò inter maiores vnquam repertus eſt, vt eiuſmodi homines, qui inter Chriſtianos plurimi ſunt, orbatum iri regno cœlorum dixerit, quòd ſub vtraq; ſpecie Sacramentum non ſuſceperint? Non ignorabant inſuper maiores noſtri, propter diuerſitatem eorum, qui bibebant ex eodem calice, graues querelas, difficultatesq; ob cuiuſq; naturam & conditionem, ab ipſis communicantibus moueri. Etenim Principes aliiq́ue magnates, proceres & diuites adduci non poterant, vt inferiorum hominum & vino & communi poculo vtererentur, ſiue quòd Domini ſuis ſubinde ſubditis, cum quibus communicandum erat, & magnates inferioris ſortis hominibus, ſimiles eſſe nollent; ſiue quòd delicatiores & lautiores, anhelitus, fœtores, morborum, infectionisq; pericula, & contagiones vehemẽter exhorreſcerent. Quibus ſanè malis prouidendum erat, ne, cum horrore & nauſea Sacramentum ſuſciperent, vel etiam aliquando cum dedecore & aliorum offenſione redderent. Quæ cùm diligenter & vſu quotidiano & vetuſto, maiores noſtri pertractarent, & per vnius ſpeciei communionem (tanquam per ſaluberrimum ac præſentiſſimum

Dialog de communione ſub vna ſpecie.

Abſtemij aliiq́ſimiles nõ damnabuntur propterea quod calicem non hauriant.

Parte 3. quæſt. 80. art. 12.

mum

mum antidotum) optimè ſibi proſpectum iri cognoſcerent, facilè ſuaq; ſponte citra legem vel præceptum ab vſu calicis, vna tantùm panis ſpecie contenti, ceſſarunt. Vnde tacito quodam & vnanimi fideliũ omnium cõſenſu, ſanctiſſimus pariter & commodiſſimus vnius ſpeciei ritus, (amoto calice) receptus paſſim & introductus, & ſingulari quadam & admirabili tam locorum, quàm aliquot ſeculorum conſuetudine, confirmatus eſt. Quæ tandem, vt ſalutaris & legitima conſuetudo per Conſtantienſe, Baſilienſe Concilia, Canonicis legibus conſtabilita fuit, ſicut eſt ſuperiùs declaratum, vt populus Chriſtianus per vnius ſpeciei communionem in religionis, vnitatis, ſpiritus ac fidei vinculo, ac Sacramentorum vniformitate conſeruaretur, & de neceſſitate calicis error aliquando exſtinctus periret.

Vnius ſpeciei communio quomodo introducta & confirmata ſit.

ASSERTIO V.

Iuſtiſſimè communio ſub vtraq; ſpecie ab Eccleſia ad tempus prohibita fuit, quòd cùm extra vſum veritas naturaq; Sacramenti etiã conſiſteret; vini ſpecies ad infirmorum, vt olim, peregrinorumq; neceſſitates, tamdiu atq; panis, incorrupta ſeruari nõ poſſet.

Vini ſpecies non poteſt incorrupta ſeruari pro agris ac peregrinis.

ETſi ſuperuacaneum exiſtimem ea, quæ ſuperiùs abundè & fusè explicata ſunt, denuò repetere: tamen non alienum à ratione arbitror fore, ſi eadem paucis ad mentem reuocentur, vt animo præſenti & firma memoria teneantur, quæ obliuioni tradi non debent. Atque illud ſine controuerſia declaratum & pro-

Clem. lib. 8. hiſt. Apoſt.

batum eſt, ſacram Euchariſtiã à Dei ſacerdotibus & miniſtris memoria omniũ temporum, partim, vt Græci loquuntur, in paſtophoriis, ſiue ſacrariis, vt peregrinis & ægris in promptu eſſet, partim etiam à priuatis hominibus domi conſeruatam fuiſſe. Hæc enim ſuperiùs ex Tertulliano, Cypriano, Baſilio, Ambroſio & aliis vetuſtioribus ſcriptoribus manifeſtiùs patuerunt, quàm, vt iterum & ſæpius repeti debeant. [a] Irenæus inſuper & [b] Iuſtinus luculenter teſtantur; Euchariſtiã, quæ pro ægris & peregrinis ſeruabatur, ex Eccleſia ad eos, qui ſacris non interfuerant, deportatam fuiſſe. Et quoniam diuina tanti Sacramenti maieſtas poſtulabat, vt ſumma cum reuerentia & ſeruaretur & deportaretur; factum eſt, vt plerique maiorum S. Euchariſtiam ſub ſpecie panis tantummodò aſſeruatam & deportatam eſſe voluerint. Reliqui verò, cùm paſſim ſanguinem effundi irreuerenter animaduerterent, facilè vrgente neceſſitate, ad vnam tantùm ſpeciem & conſeruandam & deferendam animum adiecerunt. Atque ſic monente & ſuadente pia reuerentia, factum eſt, vt ſpecies vini, nec in ciboriis, nec in ſacrariis cuſtodita fuerit, quandoquidem nec ſine effuſionis deportari, nec ſine corruptionis periculo aſſeruari poterat. Vnde ipſa neceſſitas, docente longo tempore experientia, mandatum per Eccleſiam impoſuit; ne populus calicis hauſtu in poſterum vteretur: qui, quoniam facilè animaduerteret, vinum incorruptum diu ſeruari non poſſe, ſenſim, antequam præceptum euulgaretur, pro ſua modeſtia & obedientia, ſine vlla interceſſione ſic acquieuit; adeò, vt iuſtiſſima & rectiſſima lex, qua populo calix prohibitus eſt, iudicari debeat: Quoniam autem ea omnium populorum & nationum conſenſu, prius longo vſu quodam-

[a] Epiſt. ad Victorem. Euſeb. lib. 5 cap. 24.
[b] 2. Apolog. ad Anton.

Calix cur ab Eccleſia per Canonẽ prohibitus.

Canon prohibens calicis iuſtus eſt iudicandus.

quodammodò ſcita eſt, quàm ab Eccleſiaſtico Magiſtratu publicata fuit (ſicut adhuc in Eccleſia Catholica inuiolata perſeuerat) facilè intelligitur, eam & à diuina voluntate profectam, & ob incommoda prędicta hactenus conſeruatam eſſe. Quòd autem Aduerſarij Tribunorum more, huic ſacroſanctæ legi reſiſtere conantur, perperam quidem faciunt, atque ob id maximè, quòd contra omnium Patrum ſententiam, & contra ſenſum communem & omnem rationem opinantur (ſed fruſtrà) Sacramenti ſpecies quidem reſeruari & deportari, ſed corpus & ſanguinem Chriſti, extra vſum in Sacramento non exiſtere. In quo, dum potius Martino Bucero, huius hæreſis promotori, & pacis nouæ conciliatori, ne dicam belli incentori, potius, quàm venerandæ & priſcæ antiquitati, totique Eccleſiæ vnanimi conſenſui aſſentiantur; profectò declarant ſe non paci & animorum tranquillitati, ſed contentioni operam dare. Quid enim quæſo eſt, quòd Irenæum, Iuſtinum, Tertullianũ, Cyprianum, Baſilium, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Optatum, Nazianzenum, Chryſoſtomum alioſque priſcos Patres, eruditione & ſanctimonia grauiſſimos viros, non audiant? qui cum ſumma fide ſcribant, deportatam & conſeruatam Euchariſtiam fuiſſe, ſimul etiam declarant in Sacramento, nõ ſolùm in vſu, ſed ſine vlla ſumptione, conſecratum Chriſti corpus & ſanguinem contineri? Ac ne ſingulorum ſententias recenſendo animum Lectoris tædio grauare videar, vnus ex omnibus Cyrillus, diſertis verbis omnium conſenſum declarans, audiatur velim: *Porro*, inquit, *alios etiam eſſe audio, qui myſticam benedictionem nihil ad ſanctificationem proficere dicant, ſi quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Inſaniunt verò, qui hæc aſſerunt. Neq; enim alteratur Chriſtus, neq;*

Martinus Bucerus Sacramentũ tantum in vſu eſſe docuit.

Martinum Bucerum Aduerſarÿ potius, quã Eccleſiã ſequuntur.

Euchariſtia veritas extra vſum probatur auctoritate Patrum & Scripturis & rationibus.

Epiſtola ad Caloſyrium.

ſanctum eius corpus immutatur, ſed benedictionis vis, & facultas, & viuificans gratia perpetuò in ipſo exiſtit. Videant igitur iam Aduerſarij, qua ratione huic grauiſſimæ ſententiæ in Anthropomorphitas prolatæ, reſpondeant. Nec eſt, quòd per cōtemptum & ludibrium Patres reſpuant, cùm non ſolùm eorum multitudine & grauitate, ſed etiam Scripturarū auctoritate vehementer premi ſe ſentiant. An fortaſſis non recordantur eorum verborum, quæ in ore ſuo magnifico quotidie geſtant & efferunt: *Verbum Domini, veritas Domini manet in æternum.* Itáne Ef. 40. 1. Pet. 1. Pſal. 116.
Chriſtus leuiter ſacratiſſima illa verba, &, vt ait Ambroſius, operatoria: *Hoc eſt corpus meum*, prolata eſſe voluit, vt conſtantia, certa, firmaque non permanerent? Siccinè Chriſtus locutus eſt, vt hominum opiniones, vel eneruatæ cogitationes, id demolirentur & deſtruerent, quod iiſdem verbis effecerat & ſtabiliuerat? Siccinè verbum eius manet in æternum? Etenim ſi tantummodò corpus Chriſti & ſanguis eius in manducatione exiſtant, quam ob rem Chriſtus pani & vino primùm benedixit? quam ob rem fregit? quam ob rem dedit? quam ob rem gratias egit? quam ob rem verba illa ſacrantia protulit? Si verbo, quod in æternum manet, vniuerſa ſunt ita producta, vt ſine verbo interire nullo modo poſſint, quid eſt, quòd, cum verbo diuino panem in corpus, vinum in ſanguinem, verſa eſſe certò credimus: ſine verbo, permanentibus ſignis, euaneſcere leuiter & inaniter confingimus? Itanè nobis blandimur? ita nobiſipſis imponimus? ita nos ipſos fallimus, & cum Chriſto iocamur? vt certiſſima corporis & ſanguinis ſigna nunc vacua, nunc plena, nunc inania, nunc continentia, prout libuerit, & opinio tulerit, afferamus? Deus

bone,

bone, quantum ſibi humanum ingenium arrogat, vt quod verbum diuinum admirabili potentia effecit, mox opinione tantùm leui & momentanea labefactet atque euertat. Quæſo, quàm imperioſæ ſunt hominum mentes, vt ad voluntatem corpus & ſanguinem è Sacramento extrudant, rurſus eúndem Chriſtum tanquam mancipium, ſub eadem ſigna reuocent? Eiuſmodi homines vehementer oratos velim, vt nonnihil de ſeueritate, & de imperio ſuo remittant, aduertantq́; cuínam imperitent: Non enim eorum imperiis, non eorum verbis, non eorum opinionibus, ad Sacramentum Chriſtus acceſſit, ſed proprio verbo: *Hoc eſt corpus meum*, ipſe aduenit. Quid igitur eſt, quòd illi ſua voluntate conantur Chriſtum expellere, nunc ad libitum ſuum eundem ad Sacramentum reuocare? Atque ſi ita ſeueri ſunt, vt nihil de ſua auctoritate derogari velint, ſtatuant tamen & decernant, quanto tempore Chriſtus debeat à Sacramento excludi, & quando tandem reuerti? Sed quis arbitretur Spiritum ſanctum, non tamdiu ſuper Chriſtum, Ioanne Baptiſta vidente, hæſiſſe (quanquam nunquam à Verbo ſeparari potuit) quamdiu forma colũbæ viſa eſt? Quis Angelos non exiſtimet tamdiu perdurâſſe, quamdiu humana illa corpora, ab iis aſſumpta, ante intuentium aſpectum perdurârũt? ſi verò nolit Chriſtus niſi ſuo verbo, quo venerat, reuerti, quid tãdem illi machinabuntur? Adeóne immites erunt, ne dicam audaces, vt Chriſtum ſua fide, tanquã, vt reuertatur, cogere conẽtur? Modeſtiores, credo, erunt, quàm vt communicantium fide Sacramentum fieri, exploſo Chriſti verbo, afferant: alioquin fruſtrà & inaniter ad verbũ Dei nos ſæpius reuocabũt. Etenim ſi non verbo Dei efficaci,

Matth. 3. Ioan. 3.

ſed

ſed communicantium fide, ſeu potius opinione panis in corpus & vinum in ſanguinem conuertitur, quorſum tanta miniſtrorum multitudine ipſi oneramur? Quam ob rem ad Eccleſiam profuſè concurritur, ſi domi cuiuſque fides Chriſtum in pane & vino fabricare poteſt? Sed facilè & vltro cōcedent, Chriſti eſſe, inſtitutionem, & fœdus Chriſti eſſe teſtamentum, cuius quamdiu ſigna perdurant, & res ipſæ permaneant, certè neceſſe eſt. Olim ſignum fœderis & promiſſionis Deus arcum in nubibus conſtituit, ſe inpoſterum aquis humanum genus non deleturum, qui certè, quamdiu permanet, etiam promiſſio permaneat, oportet. Alioquin ſignum inaniter per aëra extenſum conſpiceremus. Circumciſio inſuper pacti & fœderis, inter Deum & Abrahæ ſtirpem icti, ſignum conſtituta fuit, quæ quamdiu ante Baptiſmum in ſingulis eiuſdem Abrahæ generis perdurauit, fœdus quoque inuiolatum permanſit, vt ſignum ei, cuius ſignum poſitum fuit, reſponderet. Nec eſt, quòd huius ter venerandi Sacramenti rationem, cum aliorum Sacramentorum naturis, comparemus: cùm quoduis eorum ſua propria & inſtitutione & ſignificatione ſit abundè nobilitatum. Etenim, ſi de Sacramentorum omnium ianua, & introitu Baptiſmo, diſſeratur, proculdubio ſine vlla controuerſia patebit, omnìno, vt pleraque cætera Sacramenta in actione verſari, ſine qua Sacramenta nullo modo eſſe poſſunt. Hoc ipſum eorum formæ, id eſt, verba quibus conficiuntur, declarant: Nam non ſolùm cæteris Sacramentis nomina ab actionibus ſecundum Chriſti inſtitutionem impoſita ſunt, vt, ab immergēdo, Baptiſmus; à confirmando, confirmatio; ab abſoluendo, abſolutio; ab vngendo, extrema vnctio: ſed etiā formæ ipſæ verbis conſtant actionem.

Gen 9.
Gen. 17.
Rom. 4.

nem ſignificantibus. Vnde in Baptiſmo: *Ego te baptizo.* In confirmatione: *Ego te confirmo,* atque in aliis ferè ſimiliter, verba actionem tranſeuntem ſignificantia proferuntur, adeò, vt materia permanens Sacramentorum, qua Sacramentum efficiatur, verbis Chriſti non conſecretur. Neq; enim ſuper aquã Baptiſmi; Hæc eſt ſepultura mea, hæc eſt mors mea, hæc eſt reſurrectio mea, Christi præcepto enũciamus, etiamſi, teſte Apoſtolo, Baptiſmus earum rerum ſignum ſit conſtitutum. Imò verò, neque aquam Baptiſmi, neque oleum vnctionis ſacræ, neque pœnitentes, neque ſacris initiandi, imperatis verbis à Chriſto ante Sacramentum conſecrantur; neq; eiuſmodi res Sacramenta vllo modo nominantur, vt facilè quiuis deprehendere poſſit, eiuſmodi Sacramenta ab inſtitutione ſua, in actione, non permanente materia, perfici. At ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, præterquam, quòd mortem Chriſti ſignificat, diuinam illam ipſam hoſtiam atque ſacram victimam, ſignum & ſignatum, gratiam & gratiæ largitorem continet, adeò vt ſapientiſſimè Chriſtus panem in ſuum corpus & vinum in ſuum ſanguinem prius conuerti & tranſmutari voluerit, quàm Apoſtolis porrexerit, vt rectiſſimè ab Auguſtino dictum ſit: *Ferebatur Chriſtus in manibus ſuis.* Ferebat enim corpus ſuum in manibus ſuis antequã Apoſtoli ſumerẽt. Ac proinde ſacra Euchariſtię inſtitutio, tribus potiſſimùm actionibus, à Chriſto completa & perfecta eſt. Verbis enim ſacroſanctis, & panem in corpus, & vinum in ſanguinem ſuum cõſecrando tranſmutauit: Eandem Patri victimam obtulit: demum Apoſtolis ad ſui memoriam verum alimentum tradidit. Quarum vltima ita à duabus primis eſt ſeiuncta actio, vt etiam lõgiſſimo interuallo ab illis ſeparari potuerit. Pote-

Rom. 6. Coloſſ. 2.

In Pſal. 33. Conc. 1.

rant proculdubio Apoſtoli hanc diuinam eſcam ad ali-quos dies, poſtquam mœrore & grauiſſimo dolore, quo ob Chriſti mortem premebantur, leuati fuiſſent, reſer-uare, ſi temporis & fœderis ſeu teſtamenti ratio ante Chriſti mortem aliter faciendum non ſuaſiſſet. Nam o-lim à primis illis Chriſtianis, Martyrum tempeſtate, id factitatum eſſe, nemo ignorat, quando ab Eccleſiis ſa-croſanctus ille panis mundis linteolis, vt ex Tertullia-no, Cypriano, Auguſtino, aliiſque Patribus patuit, de-portabatur. Ex quo ſanè manifeſtum euadit, veneran-dum hoc Sacramentum non ad vſum ſolùm, ſed ad in-cruentam in altari victimam peragẽdam, à Chriſto eſſe inſtitutum. Et quamuis Aduerſariis vltrò daretur, id quod à veritate alienum eſt, Sacramentum ad vſum tantummodò eſſe à Chriſto ordinatum, quæſo, quid tandem hinc concluſum eſſe viderent? An ideò corpus Chriſti & ſanguis eius, à ſignis illis & ſpecieb⁹ elaberetur, quia non ſuſciperetur? An ideò protinus è Sacramento emigraret, quòd nullus è veſtigio manducaret? quid ro-go eſt, quod panis à pane, vinum à vino, fruges à frugi-bus, animalia ipſa ab animantibus, & id genus alia à ſe-ipſis non continuò euolent, quando illis non vtimur? Quid? nónne Deus Opt. Max. cuncta animalia terræ & omnes volucres cœli cum vniuerſis, quæ mouentur ſu-per terram, omneſque piſces maris manui noſtræ tradi-dit? Nónne omne, quod mouetur & viuit in cibum de-dit? Nónne olera virentia nobis dedit ad vtendum? Iam verò, cùm infinita rerum propemodum genera ad vſum hominum, ne dicam aſpectum, non venerint, ea fortaſ-ſis & ſua natura & ſuo nomine orbata dicentur, quia vſu non conſumpta ſunt? An ita rerum imperiti erimus, vt omnia quæ ſitu, quæ vetuſtate, quæ viciſſitudine, quæ fortuito.

Euchariſtia olim ſeruabatur à fidelibus.

Euchariſtia etiam propter ſacrificium eſt inſtituta.

Res variæ extra vſum exiſtunt & manent.

fortuitò, quæ vi, quæ tempeſtate, interierunt, quia hominesiis vſi non ſunt, nunquam fuiſſe aſſeramus? Iam verò, ſi ſacroſanctum Chriſti corpus, ſi pretioſus eius ſanguis, paulò antè in Sacramento in promptu erant, ſi, vt par eſt, paulò antè colebantur, qua ratione eſſe deſinent, ſi non è veſtigio ſumantur, ſi ad veſpertinum, ſi ad matutinum tempus, ſi ad aliquot dies reſeruentur? Quid, ſi tempeſtas, ſi bellum, ſi incendium ingruerit, ſi ægritudo miniſtros proſtrauerit, ſi fulmen communicaturos oppreſſerit, ſi repentinus caſus, ſi inopinatus terror, & miniſtros ab officio, & communicaturos ab incœpto reuocauerit, nunquid & corpus à panis, & ſanguis à vini ſpecie, & Chriſtus à Sacramento eiectus, emigrabit? Cauendum profectò diligenter eſt, ne dum nouas opiniones ex noſtris ingeniis leuiter depromimus, maledici & Chriſto contumelioſi iudicemur. Atq; ſic planè hæc ſententia reiicienda eſt, veritatique Eccleſiæ ſubſcribendum, quæ cùm ſemper Euchariſtiam, verum eſſe Sacramentum extra vſum docuerit, ſimul longo & vſu & ritu declarauit, rectiſſimè nunc vtramque, nunc alterutram ſpeciem in Eccleſiis obſeruari, & miniſtrari poſſe, & hactenus potuiſſe. Hinc ſine dubio intelligitur, cùm vinum ſit conſeruatu difficillimum, tutius & melius in vna panis ſpecie eſſe conquieſcendum.

CAPVT NONVM

COMPLECTITVR QVINQVE ASSERTIONES, EX QVIBVS INTELLIGItur, quænam & qualis ab Aduerſariis celebretur vtriuſq; ſpeciei communio. Quę cùm multis ſit plena diſſenſionibus, multorumque perplexas, dubias & ancipites reddat conſcientias, nec à Chriſto profecta, aut inſtituta, nec ab Eccleſia Catholica recepta eſſe potuit.

ASSERTIO PRIMA.

Aduerſariorum cœna, vt vocant, vel vtriuſque ſpeciei Synaxis, nec à Chriſto profecta, vel inſtituta eſt, nec ab Eccleſia Catholica probari poteſt, adeoq; nulla, ſed omnino putatiua eſt, poſtquam ipſi ſacerdotes non ſint, & ideò nullam conſecrandi poteſtatem habeant.

Eccleſia caſtrorũ acies ordinata.

ECCLESIAM Chriſti aciem eſſe caſtrorum ordinatam, in qua, ſicut par eſt, omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant, rectè & diuinitus in Canticis ſcriptum eſt. Vnde Chriſtus in ea: *Dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad cõſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionem Filij Dei, in virum perfectum.* Vnde ſequitur omnino neceſſarium eſſe, vt diſcrimen perſonarum,

Cant. 6. 1. Cor. 14. Eph. 4.

Miniſteriorum Eccle.

ſonatum, officiorum & miniſteriorum conſtituatur, ne *ſiaſticorum diſcrimina.*
quilibet pro arbitratu ſuo quæuis munia præſumere, vel
vſurpare ſibi queat, ſed potius, *in qua quiſq; vocatione vo-*
1. Cor. 7. *catus eſt, in ea*, iuxta ſententiam Apoſtoli, *permaneat. Nun-*
quid enim omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid
1. Cor. 12. *omnes Doctores?* minimè gentium. *Nec quiſquam ſumit ſibi*
Hebr. 5. *honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Alioquin
ordinata illa acies perturbatis legionibus, eorumq; Du-
cibus confuſis, diutius cõſtare non poſſet. Quamobrem,
nec Chriſtus ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, ſed qui *Chriſtus miſſus à Patre venit in hunc mundum.*
Pſal. 2. *locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ad
Hebr. 2. quem porro modum, ipſe Chriſtus frequenter atteſta-
tur, ſe non auctoritate propria (liceat ita loqui) ſed à
Ioan. 14. 15. Patre miſſum, in hunc mundum veniſſe. Et quemadmo-
16. 17. 18. 20. dum à Patre miſſus ipſe venerat: ſic Apoſtolos quoque
Ioan. 20. ſuos miſit, cùm ait: *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.*
Marc. 6. Videlicet ad euulgandum Euangelium, ad remittenda
peccata, ad ſacram Euchariſtiam conficiendam, inſuper
ad cętera conferenda Sacramenta, atque adeò ad Eccle-
ſiam vniuerſam adminiſtrandam. Et quoniam hæc Ec-
Actor. 20. cleſiæ miniſteria, non ad breue tempus, ſed vt perpetuò
Matth 28. durent in conſummationem ſanctorum, cõſtituta ſunt,
Epheſ 4. donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & perfecto
ordine ſub capite Chriſto perpetuò regnemus: Idcircò
neceſſum etiam fuit, vt Eccleſiaſtica legitimaque voca- *Vocatio & miſſio Eccleſiaſticorũ miniſtrorũ.*
tio & miſſio aſcitorum miniſtrorum ſeu paſtorum in Ec-
cleſia ſemper ſummo cum ordine obſeruaretur. Hoc e-
Ioan. 10. nim eſt oſtium Euangelicum, per quod in ouile Paſtores *Oſtium Euangelicum ouilis Chriſti quale.*
omnes oportet intrare, vt ſi quis (quales multi fuerunt,
& nunc ſunt plurimi) per illud oſtium in ouile non ingre-
deretur, ſed aſcenderet aliunde, hic à Domino fur & la-
tro meritò pronunciaretur. Per illud legitimum Eccle-

ſiaſticæ vocationis ac miſſionis oſtium in ouile Chriſti Petrus intrauit; cùm à Chriſto Domino vocatus, ordinatus, & miſſus eſt, ac mandatum accepit, vt eius oues paſceret. Peridem illud oſtium (vt nunc de Principibus tantùm Paſtoribus agatur) poſt Petrum iuxta communem ſupputationē Linus, poſt Linum Cletus, poſt Cletum Clemens, poſt hunc Anacletus, poſt iſtũ Euariſtus, poſt eum Alexander, aliiq; plures eorũ ſucceſſores, perpetua quadam ſummorũ Paſtorum ſucceſſione ad præſentem vſq; diem, tanquam veri Paſtores in ouile Chriſti ſunt ingreſſi, quando per Eccleſiaſticam, canonicam & legitimam vocationem, ordinationem ſeu miſſionem paſcendis ouibus Chriſti poteſtate diuinitus accepta, præfecti fuerunt. Hinc maiores noſtri, ſolùm eos eſſe veros Eccleſiæ Paſtores iudicârunt, qui per hanc Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum ſucceſſionem continuam, ac per Eccleſiaſticum miniſterium legitimè vocati, ordinati ac miſſi fuerunt: Cæteros verò qui ſeſe aliter ingeſſerunt, vel tanquam fures & latrones aliundè aſcenderunt in ouile Chriſti, ſuſpectos vel hæreticos eſſe declarârunt. Sic enim Irenæus, eos aſſerit tantùm preſbyteros audiendos, qui ſucceſſionem ab Apoſtolis habent: Cæteros verò, quocunque loco colligantur, ſuſpectos in Eccleſiam coniuratos eſſe cenſendos. Pari modo Tertullianus ſui temporis hæreticos non eſſe legitimos Eccleſię miniſtros, his verbis probauit: *Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarũ; euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerint, habuerit auctorẽ & anteceſſorem.* Et paulò pòſt: *Confingãt tale aliquid hæretici. Sed etſi cõfinxerint, nihil promouebunt.* Eadem ratione motus Origenes

ſeriò

Ioan. vlt.

Succeſſio Paſtorum Eccleſiæ.

Lib. 4. contra hæreſ. cap. 43.

Lib. de proſcript. hæretic.

In proœmio περὶ ἀρχῶν. ſeriò conſulit, vt ſeruetur Eccleſiaſtica prædicatio, per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita, & vſque ad præſens tempus in Eccleſiis permanens; & vt illa ſola credatur veritas, quæ in nullo diſcrepat ab Eccleſiaſtica traditione. Ad eundem ſenſum Optatus Mileuitanus (Lib. 2.) Donatiſtas redarguens, ſcribit: *Veſtra cathedra vos originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vendicare.* Ecce ſaluberrimas & longè veriſſimas vetuſtiſſimorum Patrum ſententias, quibus omnes Aduerſarij facilè, vt ad mentem, & ad obedientiam redeant, commoueri poſſint. Neque ſanè intelligo, qua ratione Eccleſiæ miniſterium ſibi arrogare poſſunt, cùm non inficientur, ſe nullo iure vocationis & miſſionis ordinariæ, cathedras, pulpita, & altaria legitimorum miniſtrorum occupâſſe. Hanc ob rem meritò D. Auguſtinus (Tom. 7 in pſal contra partem Donati.), vt quondam Donatiſtas, ſic horum temporum Aduerſarios alloqui poteſt: *Numerate*, inquit, *ſacerdotes vel ab ipſa Petri ſede, & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſerit, videte. Ipſa* (videlicet Petri ſedes vel ſacerdotum ſucceſſio) *eſt petra, quam non vincunt inferorum portæ.* Et alibi (Epiſt. 165.), cùm idem Auguſtinus per ordinem Eccleſiæ Romanæ Pontifices vſque ad Anaſtaſium recenſuiſſet, tandem hæc verba ſubiunxit: *In hoc ordine nullus Donatiſta inuenitur.* Vt hinc luculenter conſtaret; propterea nec Donatiſtas legitimos Eccleſiæ miniſtros fuiſſe. Sed non attinet huc plures, & quidem veriſſimas aliorum Patrum ſententias adiungere, cũ in Apologia noſtra contra Tubingenſem hęc ſucceſſionis ratio (Fol. 111. & 112. ac deinceps.), nõ copioſè minus, quàm verè à nobis pertractata fuerit. Cùm igitur Aduerſarij ſeſe nec legitimè ad Aaron imitationem vocatos (Hebr. 5.), nec ordinatos, nec miſſos à legitimis D. Petri ſucceſſoribus, ac veris Eccleſiæ Paſtoribus eſſe, (*Aduerſarij nec vocati, nec miſſi, nec ordinati ſunt.*)

ſed

ſed per ſeipſos veniſſe fateantur; aduertant quo ſeipſos nomine vel titulo & honore vel ſucceſſionis ordine dignari velint. Et quoniã inter innumeras ipſorum opiniones, quibus ſe mutuò conficiunt, nullus ferè reperitur, quem non ſui Doctoris ſubinde pudeat; aduertant igitur diligenter, an à ſeipſis veniſſe cenſeri malint, cùm ſuas priuatas inuentiones tradunt, quàm miſſi à ſuis Magiſtris & Anteſignanis, quorum tamen opiniones nõ ſequuntur, ſed magis reprobant (licet apud illos non Eccleſiaſtica, nec canonica, nec legitima vocatio vel miſſio poſſit eſſe) Vnde dum etiam ſuos Magiſtros in miniſterio non agnoſcunt, ſed eos tanquam alterius & oppoſitæ opinionis Architectos planè execrantur; nullum ſanè prætextum vel etiam fucum alicuius vocationis, miſſionis, ordinationis, aut Eccleſiaſtici miniſterij fingere, vel præ ſe ferre poſſunt. Et cùm nihilominus vſurpent ſibi miniſteria Eccleſiæ, manifeſtè probant, ſe nõ per oſtium in ouile, ſed aliunde, ſicut fures & latrones, intrare.

ASSERTIO II.

Aduerſariorum cœna, ſeu ſpecies vtraque Euangelica dici non poteſt, quòd à tumultu & ſeditione ortum habeat.

REctè à D. Paulo Euchariſtiam pacis & vnionis Sacramentum declaratur, adeò, vt qui erroribus & opinionibus inanibus in hoc diuino Sacramẽto diſſenſiones mouent; facilè teſtatum faciunt, ſe à veritate eiuſdem & vero ritu aberrare. Iam verò cùm luce ſit clarius, Aduerſarios inter ſeſe de hoc Sacramento miſerandum in modum, & pernicioſè pugnare, & totã hanc de vtraq; ſpecie

ſpecie cõmunionem, procellam à ſeditioſis & Reipubli-
cæ Chriſtianæ perturbatoribus excitatam eſſe; quis eſt,
qui non æquo animo iudicet eiuſmodi communionem
ab Euangelica pace, & Chriſtiana fide longè alienam &
remotam eſſe? Superiùs paucis inſinuaui incredibilem *Euchariſtia eſt Sacramentũ vnitatis.*
& verè diuinam atque admirandam eorum, qui ſub vna
ſpecie Sacramento potiuntur, vnionẽ, coniunctionem
& conſtantem in vna fide religionem; vt meritò omnes
vnum corpus de vno pane participare dicantur. Atque
1.Cor 10. ideò: *Beati illi omnes qui timent Dominum: Filij eorum ſicut*
Pſal.127. *nouellæ oliuarum in circuitu menſæ Domini, & videbunt filios
filiorum ſuorum, pacem ſuper Iſrael,* quandoquidem creden-
tium multitudinis in fractione panis illius, cum exulta-
Act. 2 & 4. tione & ſimplicitate, cor vnum & anima vna eſt. At ve-
rò nullus eſt, qui ignorat, quàm ferociter, & quàm exiti-
osè ij, qui vtramque ſpeciem ſub præcepto conſtituunt, *Calix Aduerſariorũ per diſſenſiones ortus, diſſenſiones peperit.*
inter ſeſe pugnent & confligant: quòd certè mirum vide-
ri non debet. Hæc enim tempeſtas, cùm à grauiſſimo
turbine ſit orta, non poteſt non omnes Eccleſiæ partes
conturbare. Quî enim fieri poteſt, vt eius rei euentum
felicem & fauſtum ſperemus, cuius exordium à ſeditio-
ne, à ſanguine totum promanârit? Verùm, quomodo ca- *Calix Aduerſariorũ ab hæreticis quibuſdam acceptus eſt.*
licem Aduerſariorum legitimum, Euangelio, & verbo
Dei conſentaneum prædicare poterimus, cùm nõ igno-
ramus, ipſum ab hæreticis, hoc eſt, à VValdenſibus illis
fratribus acceptũ & his temporibus introductum eſſe?
Rem ignotam & anteà inauditam nõ commemoro. Pa-
tent annales, teſtãtur prouinciæ, noſtraq; quaſi tempo-
ra nõ obſcurè id palàm faciunt. Petrus enim Dreſdenſis *Petrus Dreſdenſis primus inuexit calicem.*
ſectæ fratrum VValdenſium, ſiue Picardorum, primus
vtramq; ſpeciẽ ex Chriſti præcepto Chriſtianis omnibus
eſſe neceſſariã cõmentus eſt. Hunc deinde Iacobus atq;

Bohemi,magna cum totius Eccleſiæ perturbatione,ſequuti ſunt.His autem,vbi ab Eccleſia ſapienter & modeſtè reſtitum eſt,Ziska Bohemiæ & Morauiæ turbo,cruentis armis ita ſuppetias tulit, vt cùm clariſſimum regnum cædibus & incendiis planè populatus eſſet, ſeditioſè admodũ Regi Ladiſlao VValdenſes reſponderint: *communionem ſub vtraq; ſpecie locum non fuiſſe habiturum,niſi Ziska tribulis ſuis multos Bohemos & Morauos trituráſſet.* Egregia profectò vox,& digna nouis Apoſtolis, qui Sacramenta violenter & cruentè ſibi miniſtrari imperant. Sed poſt eoſdem, nouarum opinionum Architectus & Magiſter Lutherus,non alienum à ſuo putauit Euangelio & officio, ſi Sacramentum Euchariſtiæ, cum tumultu & perturbatione,apud ſuos adminiſtraretur. Nam in eo vehementer eſt gauiſus, Euangelium ſuũ (non Chriſti) magno ſtrepitu armorum,& claſſicis cruentis diuulgari.Quo ſanè deſiderio ſocius eius Zvvinglius mirificè quoque recreatus eſt, cùm Euangelium ſitire ſanguinem crudeliter pronunciaret. Verum, illum in ſuo ſanguine natãtem, eo modo alloqui poſſumus,quo quondam Thomiris, caput Cyri cruore proprio imbutum, execrata eſt; *Satia te ſanguine quem ſitiſti:* Hæc tam ſæua atroxque de communione ſub vtraque ſpecie ſententia, facilè omnibus teſtatum facere poteſt, ex ea tanquam ex malo ouo,non bonum pullum, ſed potius Baſiliſcum,vel Crocodilum,ſicut accidit,enaſci oportere. Etenim ſi non ſolùm auctores, inuentoresq; contra Eccleſiam Dei,cõmunionis ſub vtraque ſpecie,opinionem ſuam in ſanguine & Chriſtianorum cæde fundatam eſſe voluerunt, ſed eorundem etiam adminiſtri, tanquam ſatellites & coniurati,tumultu, atq; adeò ſanguine ſeipſos imbuerunt; quantum à veritate,à Chriſtiana pace, à vin-

Ziska vindex calicis.

VValdenſes tyrannide Ziskæ gloriantur.

Surius in Com.

Galia Aduerſariorũ ſanguinaria.

à vinculo caritatis, cuius eſt Sacramentum, communionem illam vtriuſq; ſpeciei diſtare arbitrabimur? Quamuis enim Eccleſia Dei ſanguinis effuſione cœpta & aucta fuerit, adeoque ſanguine deinceps ſemper creuerit, vt quidam olim rectiſſimè dixerit: *Plures efficimur, quoties metimur à vobis; Semen eſt ſanguis Chriſtianorum*, non tamen idcircò laudantur illi, qui tumultus ac ſeditiones excitant; ſed qui patienter tolerant: nec beati prædicantur, qui arma contra fidem inferunt, ſed ij potius, qui propter fidem & iuſtitiam ſeu Euangelium, cruciatus patiuntur. Vnde de eiuſmodi canit Eccleſia Dei: *Caduntur gladiis more bidentium; Non murmur reſonat, non querimonia: Sed corde tacito mens benè cõſcia, Conſeruat patientiam.* Tales imitatores quærit Chriſtus, qui nouerunt myſterium crucis, ac non modò nullos aduerſus alios tumultus excitant, ſed etiam ab aliis excitatos patienter tolerant, adeoque ſemetipſos abnegantes tollunt crucem ſuam, & ipſum Chriſtum humiliter ſequuntur. Quemadmodum enim Chriſtus non ſeditioſus, non ſanguinarius, ſed humilis, ſed pacificus, ſed manſuetus Rex nobis venit, qui ſuos ac noſtros hoſtes non repugnando, ſed patiendo vicit: ſic hac etiam in parte nobis exemplum dedit, vt quemadmodum ipſe fecit, ita & nos faciamus.

Eccleſia Dei quomodo ſanguine creuerit.

Tertul. in Apol. aduerſus gentes.

Matth. 5. Luc. 6.

Matth 16. Luc 9.

Matth. 21.

1. Pet. 2. Ioan. 13.

ASSERTIO III.

Aduerſariorum communio ſub vtraq; ſpecie, variis & multis difficultatibus intricata eſt, quibus pleriq; cum ſumma offenſione irretiuntur & illaqueantur.

HOc bonorum cædes & incendiorum calamitas pe-
perit, vt, cùm hiatus & horrentes foueæ effoſſæ
Aduerſariorum calix intricatus. ſunt, in eas plerique miſerandum in modum præcipites
agantur. Hoc ipſum ſuperiùs attigimus & hoc loco pau-
cis ad memoriam lubet reuocare. Nolo illud (*nullum
violentum diuturnum*) vſurpare, ſed potius illud: *Calami-
tas calamitate feritur.* Et profectò neſcio, quæ maior re-
rum perturbatio excogitari poſſit, quàm ea, quam ho-
mines in mentibus ſuis & opinionibus experiuntur.
Aduerſariorum calix affligit corda. Nam cùm anima variarum opinionum inter ſeſe diſſi-
dentium tempeſtatibus quatitur, dici non poteſt, quan-
ta in calamitate verſetur. Hos tumultus Aduerſario-
rum Adminiſtri in ſeipſis miſerè iam ſentiunt; qui, cùm
armis & cædibus communionem ſub vtraque ſpecie, ad
neceſſarium præceptum violenter traduxerunt, quò ſe
iam diuerſis exurgentibus difficultatibus vertant, pla-
nè ignorant. Etenim cùm communicandi ſub vtraque
Aduerſariorum calix multa parit abſurda. ſpecie neceſſitatem imponunt, duæ grauiſſimæ, æ-
què vehementer ancipites oriuntur difficultates: Al-
tera, quæ cùm inextricabiles habet labyrinthos, pleroſ-
que homines in deſperati animi errores inducit. Nam
ſi ita neceſſarium eſt, ſub æternæ vitæ iactura, ſub vtra-
que ſpecie communicare: quid de infantibus, de ab-
ſtemiis, de iis qui nullo modo vinum nanciſci poſ-
ſunt, dicendum erit? Altera verò, cùm perplexa
ſit & dubia, in Chriſti & Sacramenti contumeliam
redundat. Etenim cùm vtramque ſpeciem neceſſa-
riam ducunt, in hanc incidunt abſurditatem, vt
eorum quidam opinentur, quod in altera ſola Chri-
ſtus integrè non contineatur. Sed, vt ad primam
difficultatem reuertamur, ita Aduerſarij in ea hærent
& toti pendent, vt etiam innumeros diſcipulos ſuos

ancipiti

ancipiti opinione pendere cogant. Atque illud dignum animaduerſione eſt, Aduerſarios hac in re, non modò inter ſeſe iam contendere, ſed etiam primis auctoribus & architectis huius opinionis, omnino repugnare. Etenim Bohemi non modò communicandi ſub vtraque ſpecie adultis omnibus, ſed etiam pueris, hanc neceſſitatem impoſuerunt: At iam Aduerſarij planè à puerorum communione abſtinendum putant, quanquam aliqui eorum nihili ducant, etiamſi ſubinde cuius hominum opinioni, pro temporum ratione, ſeruiant.

Aduerſarij inter ſe diſſentiunt, & Magiſtris ſuis contradicunt.

Bohemorũ error circa cõmunionẽ ſub vtraq; & infantium.

Ac pro ſuo ingenio diuinas literas interpretantur, vt nõ ſit mirum, ſi in tam diſſonas & pugnantes ſumma cum aliorum offenſione labantur ſententias. Conueniant proinde poſteri cum auctoribus, & diſcipuli cum magiſtris, imò magiſtri inter ſeſe in aliis prius fidei dogmatibus, & tunc faciliùs cognoſcent, an aliquando in vnionis Sacramento conuenire poſſint. Iam verò, quòd quidam eorum ita ſeueri ſunt & obſtinati, vt etiam abſtemios hoc calicis præcepto teneri defendant, profectò innumeros cœleſti beatitudine priuare moliũtur. A qua tamen ſententia nimium dura & aſpera, dum plerique abhorrent, ad alios ſe conferunt, qui loco vini, vt olim Aquatij (quos Cyprianus redarguit) nunc aquã impoſita vini gutta, nunc ceruiſiam, nunc mulſum, vt cœna lauta habeatur, propinant. Sed quoniam hæc opinio à ſagacioribus, qui in Scripturis genimen vitis ſcriptum eſſe odorati ſunt, planè repudiatur, qui abſtemiis conſulunt, vt priuatim non publicè, ſub vna ſpecie Sacramentum ſuſcipiant: Hi ſanè honori & doctrinæ ſuæ aſtutè conſulunt, qui, cùm non ignorent, & priuatim & publicè continuò in Eccleſia ab Apoſtolorum temporibus, ſub vna ſpecie Sacramentum eſſe ſuſceptum, latenter

Aduerſariorum diſſenſiones inter ſe cum aliis vnde oriãtur.

Epiſto. 63.

Marc. 14.

Abſtemiis Aduerſarij loco vini aquam, vel ceruiſiam vel mulſum propinant.

Abſtemij iubẽtur priuatim ſub vna ſpecie communicare.

 populo

populo imponere ſtudent, vt Oratores & veritati magis conſentientes videantur. Quanquam etſi laudandi ſint, quòd non grauatè Eccleſiæ fidei appropinquent, tamen in hoc caſtigandi ſunt, quod ſua auctoritate, duplicem communicandi ritum conſtituant, alterum priuatum, alterum publicum, quaſi priuatim potius, quàm publicè Dei præceptum, ſi quod eſt, violare liceret. Si enim ſub vna ſpecie, ne Sacramentum ſuſcipiatur, Chriſti mandato cautum eſt, quod certè non eſt; qua ratione id domi negligere poterimus, quod, vt ait Hieronymus, in Eccleſia obſeruare neceſſe ſit? Altera verò difficultas, quæ non ſolùm pueros & abſtemios, ſed omnes penè perturbat, adeò, vt Aduerſariorum Duces, ne hæc in quæſtionem vocentur, diligenter admodum caueant. Nam plerique eorum omnino inuerecundè aſſerunt, (etiamſi eorum Anteſignanus docuerat non eſſe de his diſputandum) corpus Chriſti tantùm ſub vna panis ſpecie, & Chriſti ſanguinem quoque tantùm ſub vini ſpecie contineri: atque ideò, vt aiunt, neceſſariò vtramque ſpeciem eſſe ſumendam. Hanc quoniam opinionem ſuperiùs abundè refutaui, quod Sacramentariis conſentiret, non arbitror hoc tempore, niſi ſilentio eſſe obruendam. Alij verò, quòd hæc atrocior eſſet ſententia, quàm à modeſtioribus tolerari poſſet, malunt planè, ſilere, & Magiſtro obtemperare, qui hac in re ſilentium imperauit, ne Leo ex cauerna dormiens excitaretur, quàm quippiam inconcinnè & minus verè eloqui. Reliqui verò, qui etiam non priuatim neceſſariam communionem ſub vtraque docuerunt, arbitrantur, ſed callidè admodum, ne nihil dixiſſe iudicentur, corpus Chriſti & ſanguinem ſub vna ſpecie exiſtere: quo autē ſenſu intelligant, difficillimum eſt, vel ab illis extorquere, vel certè

Aduerſariorū craſſus error de corpore & ſanguine Chriſti.

etiam

etiam diligentiſſima inueſtigatione ominari. Ex his verò tantis inuolucris manifeſtè conſtat, quàm ſplẽdidam & conſtantem ſuis cõuiuis menſam inſtruant. Quantis putas terroribus, ac cruciatibus timidæ illę cõſcientię quatiuntur, quando ad eiuſmodi epulas meditato animo & Cap. 16. euigilãti mente accedũt? Profectò rectè Hieremias eiuſmodi menſas nobis prohibuit, à quibus Dominus Deus pacem abſtulit: *Ne ingrediaris*, inquit, *domum conuiuij, neq; vadas ad plangendum, neq; cõſoleris eos, quia abſtuli pacem meã à populo iſto.* Omnia etenim plena ſunt terroribus, omnia laqueis, & cõſcientiarum inuolucris repleta ſunt, adeò, Cap. 1. vt de iis appoſitè vaticinatus fuerit Propheta Nahum: *Quia ſicut*, inquit, *ſpinæ ſe inuicem complectuntur, ſic conuiuium eorum pariter potantium, conſumentur, quaſi ſtipula ariditate plena.* Sed neglecto hoc potantium conuiuio, rectiùs nos acceſſerimus ad menſam ſalutarem, in qua panis viuus, qui de cœlo deſcendit, nobis proponitur, Ioan. 6. & magno ſpiritus gaudio & ſolatio percipitur, quod multi ſentiunt & teſtantur.

ASSERTIO IIII.

Calix Aduerſariorum non modò armis & cædibus fundatus, ſed grauibus etiam & iniquis in Eccleſiam Catholicam et Romanam calumniis propagatus eſt.

CHriſtus fidei & ſalutis noſtræ auctor, vt veram doctrinam & diuinam religionem fundaret, eamque *Fundamẽtum veræ religionis.* per vniuerſum orbem ſedulò propagaret, potius vim, mortem & calumnias ab aliis pati, quàm cuipiam inferre, & opprobriis alios afficere voluit. In quo ſuos etiam

Apoſto-

Apoſtolos & diſcipulos inſigniri & notari placuit. Hac enim ſingulari nota veritatem ſuæ doctrinæ,& veram religionem patiēdo teſtatus eſt; Vnde & calumniis,opprobriis,maledictis,tum acerbiſſima morte ita affectus eſt,vt ipſo in cruce paſſo nos,vt Apoſtolus monet, eadem cogitatione armaremur. Teſſeram proinde veræ doctrinæ, & ſignum ſinceræ fidei,olim Martyres,& iam, qui eos ſequuntur,certiſſimè geſtare dicuntur. Qui verò, vt Barbari,Tyranni, Schiſmatici cōtentione, armis, cædibus, calumniis,opiniones ſuas propagatas & intruſas volunt, profectò in veritatis caſtris conſiſtere nullo modo poſſunt, cùm ea potius vim patiendo,quàm inferendo,inuicta victrix euadat. Quantis verò calumniis Eccleſiam Dei Aduerſarij affecerint,eorum libri, annales,monumenta apertiùs teſtantur,quàm vt ſit opus demonſtrare. Nec hoc loco referam, quàm effuſi ſint,vt Eccleſiam Dei in odium & in inuidiam apud imperitam multitudinem rapiant, dum ab ea calicem populo ſacrilegè ſublatum, & ereptum, & teſtamentum Chriſti ſuppreſſum impunè vociferantur. Hęc & his ſimilia malo diſſimulare, nec pluribus referre, ne piis mentibus hanc ob rem afflictis maiorem afflictionem addere videar. Potius ipſi doleant & ingemiſcant, quòd hac ratione ſeipſos,ipſo Sacramento Euchariſtiæ & toto eiuſdem fructu miſerè priuauerint. Qui enim Chriſtum in vna ſpecie non agnoſcit, quomodo vtramq; ſpeciem & Sacramentum nō è medio tollit? Qui etiam Teſtamentum,in ſpecie vini ſumenda, non in effuſione ſanguinis, conſtituit,quomodo Teſtamentum Chriſti nōn euertit & penitus eneruat? ſed calumniis ipſi delectantur. Videamus nos deinceps,quidnam offenſionis in ſacroſanctis Eccleſiæ Conciliorum decretis inuenerint, ac primùm

1. Pet. 4.

Teſſera veræ doctrinæ ac fidei.

Aduerſarij multis calumniis afficiunt Eccleſiam,

Aduerſarij ſeipſos Sacramento, eiusq; fructu priuârunt.

mùm in Concilij Conſtantienſis decretum vehementer debacchantur; cuius ſenſum eiuſmodi eſſe volunt: *Licet Chriſtus inſtituerit, vt omnes communicarent ſub vtraq; ſpecie, tamen hoc non obſtante, nos volumus, vt omnes communicent ſub vna.* Et profectò ſi tale decretum, eoque ſenſu, quo ab illis citatur, fuiſſet à Concilio ſancitum & conſtitutum, quis non cum ipſis Concilium illud tanquam impium damnaret? Quis honorem Chriſti Domini (cuius eſt virtus & gloria, poteſtas & imperium) non lingua, non libris ſcriptis, non vita, morte ac ſanguine vindicaret? Verùm res aliter ſe habet. Non enim ita decretum, ſicut ab iis citatur; ſed ad hunc planè modum habet, ſicut etiam in præcedentibus allegatum fuit: *Cùm in nonnullis mundi partibus, quidam temerariè aſſerere præſumant, populum Chriſtianum debere Sacramentum Euchariſtiæ ſub vtraque panis & vini ſpecie ſuſcipere; & non ſolùm ſub ſpecie panis, ſed etiam ſub ſpecie vini, populum laicum paſſim communicent, etiam poſt cœnam, vel aliàs non ieiuni, & communicandum eſſe pertinaciter aſſerant, contra laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem rationabiliter approbatam, quam tanquam ſacrilegam damnabiliter reprobare conantur: Hinc eſt, quod hoc generale Concilium declarat, decernit, & definit contra hunc errorem, quòd licet Chriſtus poſt cœnam inſtituerit, & ſuis diſcipulis adminiſtrauerit, ſub vtraq; ſpecie panis & vini, hoc venerabile Sacramentum: tamen hoc non obſtante, ſacrorum Canonum auctoritas laudabilis & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſeruauit & ſeruat, quòd huiuſmodi Sacramentum, non debet confici poſt cœnam, neq; à fidelibus recipi non ieiunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis à iure vel Eccleſia conceſſo vel admiſſo.* Hactenus Concilij verba, quorum præcedentia ſicut & ſequentia, ſi quiſpiam diligenter obſeruet, maniſeſtè videbit, eam decreti clauſulam (*Hoc non obſtante*)

Conſtantienſe Cōcilium contra aduerſarios declaratur.

Seſſ. 13.

Conſtātienſis Concilij ſenſus probatur.

m mini-

minimè referendam eſſe ad vtriuſq; ſpeciei communionem, ſicut perperam contendunt Aduerſarij; ſed ad refellendum abuſum eorum, qui poſt cœnam non ieiuni conſecrabant, & ſumebant S. Euchariſtiam. Quin imò manifeſtiſſimum eſt, Concilium nunquam protuliſſe: *Licet Chriſtus ſub vtraque ſpecie inſtitutum Sacramentum omnibus imperauit, tamen vt omnes & ſinguli ſub vtraque ſpecie communicent, nemini neceſſarium ducimus.* Hoc enim modo apertè Patres inſtitutioni Chriſti aduerſati fuiſſent, & repugnâſſent. Neq; enim Patres ſic infantes fuerunt, vt arbitrarentur Chriſtum hoc Sacramentum ſub vtraq; ſpecie inſtituiſſe, vt omnes illud ex præcepto ſub vtraque ſpecie ſumerent. Nam ſenſus Patrum eſt: *Licet ſub veſperam Chriſtus inſtituerit, licet non ieiunis tradiderit, licet ſub vtraque ſpecie miniſtrârit, tamen quoniam nec de tempore, nec de ieiunis, nec de vtraque ſpecie mandatum poſuit, decernimus, nec ſub veſperam, nec niſi à ieiunis, nec ab omnibus ſub vtraque ſpecie eſſe recipiendum.* In quo certè ſenſu, non video, quamobrem ſapientiſſimi Patres calumniis onerari debeant, cùm eorum ſententia, nec Chriſti inſtitutioni, nec vllis Scripturis omnino repugnet.

Patres Conſtanienſis Cõcilij vindicantur.

Quòd autem ad hunc verum Concilij Canonem labefactandum, nouam fabricant calumniam, aſſerentes per Baſileenſe Concilium illud emandatum & correctum eſſe, vehementer admiror, quî fieri poſſit, vt ad ſuas opiniones corroborandas, eos non pudeat in tanta luce hallucinari, nouaq; figmenta producere. Superiùs adduximus Cõcilij Baſileenſis verba, quę eiuſmodi ſunt: *Hæc ſancta Synodus decernit & declarat, quòd fideles laici, ſiue clerici communicantes & non conficientes, non aſtringuntur ex præcepto Domini, ad ſuſcipiendum ſub vtraq; ſpecie, panis ſcilicet & vini, ſacrum Euchariſtiæ Sacramentum; ſed Eccleſia,* Seſſ. 30.

quæ

Ioan.14. Matth.28.

quæ regitur ſpiritu veritatis, ſecum manente in æternum, & cum qua Chriſtus manet vſq; ad conſummationem ſeculi, ordinare habet, quomodo ipſis non conficientibus miniſtretur, prout pro reuerentia ipſius Sacramenti, & ſalute fidelium viderit expedire, ſiue autem ſub vna ſpecie, ſiue ſub duplici quis communicet, ſecundum ordinationem ſeu obſeruantiam Eccleſiæ proficit dignè communicantibus ad ſalutem. Nec vllatenus ambigendum eſt, quod non ſub ſpecie panis caro tantùm, nec ſub ſpecie vini ſanguis tantùm, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integer & totus Chriſtus. Laudabilis quoque conſuetudo communicandi laicum populũ, ſub vna ſpecie ab Eccleſia & ſanctis Patribus rationabiliter introducta & hactenus diutiſſimè obſeruata, & à Doctoribus diuinæ legis, ſacrarum Scripturarum, atque Canonum multam peritiam habentibus, iam à longæuo tempore commendata, pro lege habenda eſt, nec alicui licitum eſt eam reprobare, aut ſine auctoritate Eccleſiæ ipſam immutare.

Conſtantienſe Concilium nõ eſt correctum per Baſileẽſe.

Sed ecce manifeſtum & clarum Concilij decretum. Quibus quæſo verbis Concilij Conſtantienſis ſcita ſunt correcta? Ex his ſanè euidenter conſtat, per Concilium Baſileenſe, non ſolùm in Conſtantienſi nihil omnino fuiſſe correctum, ſed etiam hæc duo Concilia quòd ad rem præſentẽ attinet, inter ſeſe conſentire.

Conſtantienſe & Baſileenſe Cõcilia optimè conſonant.

Et quamuis Æneas Syluius referat à Baſileenſi Concilio Bohemis vtriuſque ſpeciei communionem fuiſſe conceſſam;

Bohemis quomodo vtriuſq; ſpeciei communio ſit conceſſa.

Vide in Appen. Conc. Baſil. in reſp. facta Ambaſiatorib. Imp. ſuper facto Bohem.

id tamen ea ratione factum eſſe conſtat, vt Bohemi certas conditiones, vel, vt aiunt, compactata quædam ſeruarent; nec ſolùm vnius ſpeciei communionem tanquam licitam, piam ac ſanctam eſſe crederent, ſed & in cæteris omnibus Catholicæ fidei dogmatibus ſeſe Romanæ Eccleſiæ conformarent.

Bohemorũ compactata.

Itaque ſi fidei doctrinam ſpectamus, hæc duo Concilia prorſus idem in hoc Catholicæ fidei dogmate ſapiunt ac ſentiunt, adeoque

m 2 hoc

hoc ipſum Chriſtianis omnibus per vniuerſam Eccleſiã paſſim ac certò credendum proponunt: ſi verò conſideramus id, quod non fidei, ſed facti dicitur, hoc eſt, an ſic expediret tunc ſaluti Chriſtianorum, vt vtriuſq; ſpeciei communio Bohemis concederetur; nihil mirum, quòd Concilium Conſtantienſe calicem tunc iuſtis de cauſſis Bohemis malè petentibus negauerit: quem poſtea Baſilienſe (propoſitis tamen neceſſariis conditionibus) piè conceſſit. Idem, vt ſuperiùs declaratum eſt, & ab Eccleſia longo vſu, & primùm ab Apoſtolis in diuerſis cauſſis, vt circumciſionis & cærimoniarum legis factitatum eſſe non ignoramus. Inſuper, vt viris doctis probè conſtat, hoc diſcrimine verum & bonum diſtinguũtur, quòd verum ſibi maneat ſemper ſimile, nec vllo modo poſſit in diuerſum aut contrarium à ſeipſo mutari. Nam, vt ait Epiphanius, vniformis eſt res veritas, quin & veritas Domini manet in æternum. Sed alia eſt ratio boni, vt vtile eſt, quod ſubinde variatur, adeoque pro rerum, temporum, locorum atq; perſonarum ratione, aliquando neceſſariò mutatur. Non enim, quod prodeſt ſemel, id ſemper prodeſſe ſolet (quod de rebus adiaphoris, nimirum de ritibus & cærimoniis, aliiſq; piis inſtitutis intelligitur) Nam, vt ait Poëta: *Tempora mutantur, & nos mutamur in illis.* Quin & locis ac temporibus diuerſis, varij quoq; ſunt hominum ordines, conditiones & cærimoniarum ritus; quibus ad animorum ſolatium atq; ſalutem poteſt ac debet nonnunquam in rebus liberis aliquid concedi. Vnde, cùm ait D. Auguſtin. *Concilia priora per poſteriora corrigi*, nõ de vero, ſeu fidei dogmatibus, ſed de bono, hoc eſt, de rebus, quæ mutari poſſunt ac debẽt, intelligendum eſt. Atq; ſic ratio temporum poſtulabat, vt Bohemis, conditionibus datis & acceptis, communio

Verum & bonũ quomodo diſtinguuntur.

Galat. 5. Actor 16. Actor. 21.

Actione 6. Synodi ſeptimæ. Pſal. 116.

Tom. 7. cõtra Donatiſt. lib. 2. cap. 3.

ritu

ritu Catholico concederetur. Verùm,quid ad hæc Aduerſarij? In rebúſne manifeſtis audebunt tergiuerſari, aut nouos cuniculos quærere? Quærent dubio procul; cùm ſit difficillimum eiuſmodi hominibus ſanctæ matri Eccleſiæ,vel etiam manifeſtæ veritati cedere; & idcirco, ne victi videantur, Tridentinum Concilium acclamabunt, verbo Dei tandem illuminatum, errorem ſuum circa negotium calicis agnouiſſe,adeoque correxiſſe,dum calicem antea prohibitum, quibuſdam prouinciis conceſſerit. Hîc grauiter ferrem eiuſmodi maledictis Eccleſiam ab Aduerſariis laceſſiri;ſi non intelligerem,eoſdem, dum talia confingunt, ſeſe ludibrio,viris præſertim doctis,exponere. Quæſo, quibuſnam verbis tandem errorem agnouit? Séne erráſſe fatetur,dum ait: *Si quis dixerit, ex Dei pracepto vel neceſſitate ſalutis, omnes & ſingulos Chriſti fideles, vtramque ſpeciem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere, anathema ſit?* (Concil. Trident. Seſſ. 21. cap. 13.) (*Tridentinũ Concilium vindicatur contra calumnias Aduerſariorum.*) An fortaſſis ſequenti Canone, dum ait: (Can. 2.) *Si quis dixerit, ſanctam Eccleſiam Catholicam, non iuſtis cauſſis & rationibus adductam fuiſſe, vt laicos atq; etiam clericos non conficientes, ſub panis tantummodò ſpecie communicaret, aut in eo erráſſe, anathema ſit?* Sed planè ridiculum eſt,ne dicam quidpiam grauius,columnam veritatis Eccleſiam contumeliis afficere, eamq; criminis & erroris accuſare,cuius ne veſtigium notare,vel adumbrare poſſis. Sed quæſo,quanam ſeſſione,quoto capite,quoto Canone,repererunt ſcriptum Aduerſarij, Concilium aliquibus prouinciis conceſſiſſe? Sed ſic placitum eſt illis, populares eiuſmodi figmentis ludere, & in errores ſuos pertrahere. Et quamuis Concilium Tridentinum, cùm eſſet legitimum & Oecumenicum, repræſentaret vniuerſalem Eccleſiam ſua poteſtate,quam diuinitùs accepit,calicem quibuſdam prouinciis concedere potuerit;

non tamen conceſſit, nec communicandi ſub vna ſpecie conſuetudinem mutauit, ſed eandem præcedentium Cõſtantienſis ac Baſileenſis Conciliorum ſtatutis inhærendo ſeruandam, adeoque pro lege tenendam cenſuit. Sess.22.in fine. Vnde integrum hoc calicis negotium, ad ſummũ Pontificem referendum decreuit, qui pro ſua ſingulari prudentia, id efficeret, quod vtile Reipublicæ Chriſtianæ, & ſalutare, petentibus vſum calicis, fore iudicaret. Atque ſic patet, quàm firmis nitatur fundamentis communio ſub vtraque ſpecie Aduerſariorum, qui vt eam probent, calumniis à veritate alienis, Eccleſiam Dei grauiter apud omnes in odium & inuidiam rapere, modis omnibus contendunt. Sed noſtra intererit & probra, & contumelias & mortem pro veritate, æquo animo ad ſponſi Chriſti imitationem, ſufferre.

ASSERTIO V.

Aduerſariorum cœna non modò armis inchoata, ſed permultis pugnantibus verbis & doctrinis contrariis eſt propagata.

ET quamuis ſacerrimum hoc Euchariſtiæ Sacramentum nobis à Chriſto ad animos inter ſeſe conciliandos & ſociandos relictum ſit; tamen ne pacem ſectari Aduerſarij viderentur, armis potius quàm maiorum decretis pugnare voluerunt. *Aduerſarij potius armis quàm decretis pugnant.* Hoc enim magnis cladibus in Bohemia & Morauia peractum eſſe nullus eſt, qui ignorare poſſit. Quod dum Aduerſarij magnis contentionibus imitantur, palam faciunt ſe non de auguſtiſſimo caritatis & vnionis vinculo agere, ſed de aliqua cœna potius Satyrorum, ne dicam Harpyarum

rum

rum confligere. Et certè vix tolerandum eſſet, ſi illi inter ſe ſolùm pro ſuo more contenderent; ſed quoniam vnuſquiſque in ſuis libris, in ſuis ſermonibus, atque adeò in ſuo ore apertè ſecum pugnat, non intelligo, quamobrem à tali tanquam diuerſa & pugnanti cœna Catholicus homo abhorrere planè non debeat. Et ne curioſè nimis per ſingulorum libros venari videar ipſorum pugnas, vnus pro omnibus, eorum Anteſignanus loquens audiatur. Martinus Lutherus (vt ex plurimis ſaltem nonnullas eius pugnas attingam) aſſerit impium & Tyrannicum eſſe, nec in manu vnius Angeli, nedum Papæ, aut Concilij cuiuſcunque vtramque ſpeciem negare; cùm tamen alibi contrarium adſtruat ad hunc ſenſum: *Quamuis populo non datur nunc vtraque ſpecies, ſicut olim, neque eſt neceſſe: tamen ſacerdotes vtramque ſumunt quotidie coram populo: & ſatis eſt, populum quotidie deſiderare, & ſuo tempore alteram ſpeciem, quantum ordinat, & dat Eccleſia Catholica, ſumere.* Idem fatetur: *Se non dixiſſe, nec conſuluiſſe, nec intentionem fuiſſe ſuam, vt vnus, aut aliquot Epiſcopi propria auctoritate incipiant, alicubi vtramque ſpeciem porrigere, niſi ita conſtitueretur, ac mandaretur in Concilio Chriſtiano.* Et tamen alibi contrarium affirmans ait: *Sibi conſultum videri, vt non modò per Concilium, ſed per quamcunque Diœceſim, quilibet Epiſcopus, vel inuito Papa, Chriſtum ſequutus in Euangelio, rurſus vtramque ſpeciem laicis daret.* Idem ait: *Quod licet Romana tyrannis integritatem Sacramenti nobis abſtulerit, non tamen in Chriſtum peccare, qui vna ſpecie vtuntur, cùm Chriſtus non præceperit vlla uti, ſed arbitrio cuiuslibet reliquerit, dicens: Quotieſcunque hoc feceritis in mei memoriam facietis.* Et alibi idem affirmat: *Sibi non probari laicis vtramque ſpeciem*

Aduerſarij circa cœnã ſuam à ſeipſis & ab aliis diſſentiunt.

Martini Lutheri prima contradictio circa calicem.

Lib. de cap. Babylon.

In ſerm. de Euchar. Tom. 7. German. VVit. fol. 17. b.

In declaratiõe Euch. Tom. 7. German. VVit. fol. 27. a.

Lutheri ſecunda contradictio circa communionem ſub vtraq;.

In aſſert. art. Tom. 7. Germ. VVit fol. 122. pag 1.

De Capt. Babylon.

Lutheri tertia contradictio circa communionem vtrunſq; ſpeciei.

In ſchedula tabi.

ſpeciem dari, niſi fiat mandante Concilij generalis auctoritate. Et tamen alibi his verbis, ait: *Si quo caſu Concilium ſtatueret, minimè omnium nos vellemus vtraq; ſpecie potiri: Imò tunc primùm in deſpectum Concilij vellemus, aut altera tantùm, aut neutra, & nequaquam vtraque potiri, ac planè eos anathema habere, quicunque auctoritate talis Concilij potirentur vtraq;.*

bit. Tom. 7. Germ. VVit. fol. 22.a

In formula Miſſæ, Tō. 7. German. VVit. fol. 396. b.

Lutheri quarta contradictio de ſpeciebus communicandi.

Idem vno loco ſcribit, neutram ſpeciem, ſed fidem ſolam ad ſalutem eſſe neceſſariam; & tamen alio loco monet Parochos, vt fortiter ac liberè prædicent hanc Euangelij de vtraque ſpecie doctrinam, & nullo modo alteram ſpeciem iuſtificent, ſed tanquam rem impiam redarguant.

In aſſert. articulorū, art. 16.

In viſitat. Saxonica.

Lutheri quinta contradictio circa communionem.

Idem caput 6. D. Ioan. omnino ſeponendum iudicat, quippe, quod ne ſyllabam quidem de Sacramento contineat: & nihilominus idem ipſe contendit ex Ioan. 6. capite probari, ſub vtraque ſpecie communicandum eſſe.

In Capt. Babylon.

In viſitat. Saxonica.

Lutheri ſexta contradictio de cōmunione vtriuſq; ſpeciei.

Idem aſſerit non eſſe populo neceſſarium Sacramentum ſub vtraque ſpecie porrigere, ſed eſſe ſatis, ſi ſub vna ſpecie fiat; & tamen rurſus alibi ait: Sic eſſe neceſſarium ſub vtraque ſpecie communicare, ſicut confiteri Chriſtum neceſſarium eſt.

In ſerm. de venerabili Sacram.

Ad Lipſenſes.

Lutheri ſeptima contradictio de communione vtriuſq; ſpeciei.

Idem monet, quòd propter vtramque ſpeciem non debeat reſiſti Papæ, neque, quòd illa per vim accipi debeat: & nihilominus alibi citra cunctationem aſſeuerat contrarium, quòd nimirum inuito Papa debeat vtraque ſpecies porrigi, & propter idipſum accipi, quia ille prohibuit, & quia reſiſtitur.

In aſſert. art. & de Capt. Bab.

In aſſert. art. 16. & Serm. vlt. Poſtil. hyemalis.

Lutheri octaua contradictio de communione vtriuſq; ſpeciei.

Idem grauiter coarguit Bohemos, quòd in hoc ſint iniuſti, quia vna ſpecie contenti non ſint, nec poteſtati obediant, nec vniuerſalem Eccleſiam ſequantur: & mox alio loco Bohemos eoſdem, in hoc ipſo tanquam optimos Euangelij ſectatores commendat, ac ſupra modum extollit, atque prædicat. Quos inſuper obſecrat, vt in eo propoſito ſuo perſeuerent, atque ſic, nec poteſta-

In declaratiōe ſerm.

In aſſert. art. 16. Tō. 7. Germ. VVit. fol. 121. a.

De vtraq; Sacram. ſpecie, Tô. 7. Germ. VVit. fol. 355. b. Aduerſ. Regem Angl. & Serm. de nouo Teſt. In ſerm. de digna præparat. cordis, § 7.

poteſtatem, nec Eccleſiam ſequantur. Idem Chriſtianos ita liberos pronunciat, vt quocunq; voluerint modo, hoc eſt, vel ſub vna, vel ſub vtraque ſpecie S. Euchariſtiam percipere poſſint: & tamen contrarium alibi ſtatuit, dum in nullius creaturæ poteſtate ſitum aſſerit, inſtitutionem Chriſti, de vtraque ſpecie mutare, vel abolere, vel aliter vſurpare. Idem iubet vt Chriſtianus ad Sacramentum accedens Chriſto dicat: *Domine Ieſu Chriſte, quomodocunq; res mecum habeat, neceſſarium eſt, vt Eccleſiæ tuæ obediam, quæ iubet me ad Sacramentum accedere, &c. In ea obedientia nunc venio, etiamſi nihil habeam aliud, quod ſimul afferam*: tamen alibi iubet, vt homo communicaturus ita ſecum loquatur: *En acceſſurus ſum ad Sacramentum, non quòd per hoc velim opus bonum aut meritum aliquod facere, &c. Neq; item propter præceptum aut obedientiam Papæ aut Eccleſiæ.* Idem iudicat Chriſtianos non damnabiles propterea, ſed potius excuſabiles eſſe, quòd ſub Papa, alteram tantùm ſpeciem ſuſceperint, & tamen alibi affirmat eos propter hoc ipſum perire, & in abyſſum inferni damnari. Denique, vt infinitas eius contradictiones, & ſententiarum pugnas, omittam. Idem manifeſtam tulit ſententiam, quòd neutra ſpecies accipiatur neceſſariò: & tamen iudicat eos Chriſtum negare, qui ſpeciem vtramque non petunt. Si neutram ſpeciem petere neceſſarium non eſt, quomodo Chriſtum igitur negat, qui non facit, quod factu neceſſarium non eſt? Iam verò, vt arbitror, patet, quàm perturbata, quamque tranquillis conſcientiis & Sacramento vnionis diſſentanea, Aduerſariorum cœna apparetur, quæ cùm innumeris conflata ſit pugnis & contentionibus, nullo modo conuiuas recreare poteſt, ſed ſummis moleſtiis potius, tanquam diris afficiat, neceſſe eſt.

Lutheri nona contradictio de communione vtriuſq; ſpeciei.

Lutheri decima contradictio de communione Euchariſtiæ.

In exhortat. ad Sacramentũ.

In Cæſ. edict. cap. 1. & de Miſſa angulari. De form. Miſſæ.

Lutheri vndecima contradictio de communione vtriuſq; ſpeciei.

In aſſert. artic. 16.

In Cæſaris edictum.

Lutheri duodecima cõtradictio de communione vtriuſq; ſpeciei.

CAPVT DECIMVM

QVATVOR ASSERTIONIBVS ABSOLVITVR, QVÆ DECLARANT COMmunionem vtriuſq; ſpeciei, quæ à quibuſdam Catholicis percipi ſolet, minus eſſe tutam & ſalutarem. Quæ etſi tanquam bona quibuſdam prouinciis permiſſa eſt certis conditionibus; tamen hoc tempore graues ob cauſſas, ea relicta, communio ſub vna ſpecie potius ab hominibus Catholicis frequentari debet.

ASSERTIO PRIMA.

Communio ſub vtraque ſpecie, quæ cùm ritè peragitur, ſancta & bona haberi debet, hominibus Catholicis hoc tempore, nec ſecura, nec à multis periculis libera eſt, adeò, vt tutius ſit ſub vna quàm ſub vtraque communicare.

Errores præcipui circa S. Euchariſtiam.

DVÆ res ſunt potiſſimùm, in quibus tota de vtraque ſpecie controuerſia, tanquam cardinibus vertitur: Altera, quòd Aduerſarij ſic Sacramentum Euchariſtiæ inſtitutũ à Chriſto opinentur, vt neceſſariò ſub vtraque ſpecie, ex mandato ſuſcipi debeat: Altera, quòd eorum plurimi arbitrentur, ſub vna ſpecie Chriſtum eorum non contineri. In quibus dum grauiter errant, quemadmodum ſuperiùs declaratum eſt, Eccleſia Dei viui per ſacroſanctum Concilium Tridentinum ſapientiſſimè declarauit, nec

præceptum eſſe Chriſti, Sacramentum ſub vtraque ſpecie ſumendi, nec Chriſtum ſub diuerſis ſpeciebus diuiſum eſſe, ſed totum ſub vna æquè, atque ſub vtraq; contineri. Vnde meritò, & prudentiſſimè, non omnibus ſub vtraque ſpecie communionem conceſſam eſſe voluit, quin potius, vt ſaluti plurimorum conſuleret, ad ſummum Pontificem integram calicis conceſſionem retulit, vt pro ſua prudentia communis omnium paſtor videret, ne Reſpub. Chriſtiana ea in re detrimentum pateretur. Ille autem, ne ſua cura & officium cum animorum iactura deſiderari poſſet, quibuſdam Germaniæ præſulibus poteſtatem fecit, vt iis, quorum fides & religio periclitaretur, ſub certis conditionibus communio ſub vtraque ſpecie permitteretur. Et quoniam ſummus ille Paſtor, communionem ſub vtraque ſpecie non omnibus prouinciis & regnis, ſed quibuſdam tantùm hominibus, qui in fide imbecilles fluctuarent, vel certè naufragium religionis paſſi, ad portum redire cuperent, paternè conceſſit, facilè quiuis intelligit eandem communionem, nec tutam, nec ſecuram ſingulis haberi poſſe. In quo ſanè, qui ſub vtraque ſpecie communionem non conceſſam ſibi, nihilominus vſurpârunt, aduertant diligenter, ne non modò infirmæ fidei & religionis, ſed etiam labefactatæ conſcientiæ homines cenſeantur. Probent igitur ſuas conſcientias, earundemque latebras veſtigent, neceſſe eſt, ſi omnino indigni nolunt iudicari. Etenim ſi in ſe, nec fidei iacturam reformidant, nec vnquam in religione periclitati ſunt, profectò mirum videri debet, quid illud ſit, quòd ſe inter imbecilles in fide & fragiles Chriſtianos ad aliorum offenſionem conſtituant. Quid eſt, quòd à totius Eccleſiæ conſortio, à conſuetudine, à ritu, à legibus

Vtriuſque ſpecies communio quibus cōceſſa.

Vtriuſque ſpecies communio non omnibus tuta.

Catholici, quibus calix non eſt conceſſus, abſtineant.

gibus ſeſe eximunt? Hoccine eſt Eccleſiam Dei audire? hoccine eſt ſubiacere Præpoſitis, quibus Sacramentorum & myſteriorum Dei commiſſa eſt diſpenſatio? An non ſe diſpenſatores contra fas iusq; conſtituunt? Apud animos ſuos ſtatuant Euchariſtiam Sacramentum eſſe vnitatis & concordiæ. In eo, qui non colligit, diſpergit. Luc. 11.
In eius menſę circuitu, qui non vt filius aſſidet, non modò iudicium ſibi manducat & bibit, ſed & ex ſinu matris, Pſal. 127.
& patris æterni domo ſe miſerè exturbat. Iam verò, quanto cum animæ ſuæ periculo, ij, qui ob fidei infirmitatem, ſub vtraque ſpecie Sacramento potiuntur, id faciant, facilè à quouis iudicari poteſt. Quotus enim quiſque erit, qui, cùm in aliis fidei controuerſiis ſolidum nondum fundamentum iecerit, ſtatim in animum ſuum inducet, Chriſtum ſub vna ſpecie totum contineri? Qui fieri poterit, vt qui antea variis inuolucris irretitus fuerit, derepentè credat cum Eccleſia, Chriſtum communicandi ſub vtraque ſpecie mandatum non impoſuiſſe? Non facilè, quæ menti longo vſu impreſſæ ſunt opiniones, atque ſi maximè radices altas iecerint, extirpari ſolent. Cùm autem eiuſmodi ad ſolatium animæ ſibi ſub vtraque ſpecie Sacramentum miniſtari depoſcunt, quid aliud teſtari videntur, quàm eos trahi deſiderio, vt rurſus bibant vinum libaminum, & ad carnes Ægyptiacas reuertantur? Hinc, cùm fracti ab hoc opinionum pondere, non mediocriter in limine veræ fidei hæreant, ac titubant, mox in ipſa cõmunione, tanquam in portu, naufragium, ad ipſorum exitiũ faciunt. Etenim ſi verè ac ſincerè ad amplexus magni patrisfamilias reuerti, & in gremio matris Eccleſię conquieſcere elaborant, quid eſt, quòd alienigenarum eſcis potius, quàm vitulo ſaginato patris ſaturari velint? Si patrem agnoſcunt,

agnoſcunt, ſi matris lacte delectantur, eorum menſæ ritum non exhorreſcant: alioquin facili negotio, & patrimonij ædes, lauacra, veſtimenta, prædia ſimiliter aſpernabuntur. Si enim propoſitis menſæ ritibus à matre, nō delectantur, quomodo cæteros mores, leges, conditiones promptis animis admittent? Qua ratione actus ſuos & peccata ſua ſacerdoti aperient, & Chriſtum ſub vna ſpecie totum contineri, Romanam & Catholicam Eccleſiam nunquam errare, vera fide credent; ſi ſua conſuetudine tantoperè capiuntur? Nolim quidem pacatas & timidas conſcientias perturbare, nec imprudenter terrere, ſed potius obſecrare, ne ſe opinionibus hominum, quibus contra fidem aſſenſerant, patiantur illudi & corrumpi, ſuas diligenter conſcientias pulſent, atque, vt decet, examinent, an potius ex trita conſuetudine, & ab Aduerſariis hauſta opinione, quàm religionis ardore, Sacramentum ſub vtraque ſpecie, affectent. Neque verò quiſpiam mihi perſuaſerit, veteranos & fortes milites, qui nunquam fidem violârunt, nunquam ſigna deſeruerunt, minore fide & amore, Ducis imperata, quàm tyrones recens in numerum aliorum aſcitos, facere. Quaſi verò omnes Catholici, iiq; innumeri, per vniuerſum orbem terrarum, qui ſub vna ſpecie corpori & ſanguini Domini communicant, omni religione, omni fide, omni caritatis fauore, eſſent planè orbati; ij verò, qui non pridem ex nouis opinionibus ad veram fidem, inter illos Catholicos aſſumpti eſſent, aut in religione aliquando nutâſſent, tanto in Chriſtum ardore feruerent, vt ne eorum amoris quidem fauilla in cæteris veteranis reperiri poſſet. Sed quoniam eiuſmodi homines potius fidei inopiam, & obedientiæ tarditatem, quàm religionis feruorem, dum Sacramentum ſuſcipiunt, in ſe

Matth. 5. 16.
Luc 11. 18.
Ioan. 20.
Iacob. 5.
Iſa. 59.
1. Tim. 3.

ſentiunt: Profectò magnoperè ſuæ ſaluti conſulerent, ſi cum vniuerſo populo Chriſtiano & Eccleſiæ Primatib⁹, quos aliquando deteſtati ſunt, reuerentiam obſeruãtes, tutiorem communicandi ſub vna ſpecie rationẽ ſequerentur. In ea enim, vt laudata magis obediẽtia, ſic clarior fides & ardentior caritas elucet. Hac enim communione, qui fruitur, cùm neminem ſua curioſitate & infidelitatis ſuſpicione offendit, non modò ſuę obedientiæ, fidei & conſcientiæ Eccleſiam teſtem & matrem, ſed & veræ religionis pietatiſq;, Deum, tum patrem, tum remuneratorem, experietur. Nec hoc loco mouere nos debet, quòd vnus vel alter ante paucos centenos annos diuerſum ſentire viſus ſit, tùm quia non ſingulas, nec omnes omnium Scholaſticorũ opiniones nos defendimus, tùm verò, ſi quis diuerſam ſententiam defendere volet, vt ille tempora diſtinguat, neceſſum eſt, cùm horũ temporum diuerſiſſima ſit ratio, propter varias locorũ & hominum circumſtantias: atq; adeò propter directionem, vel etiã præceptum Eccleſiæ, quam vt matrem audire iubemur. Nam & vice verſa, ſi quo caſu iuberet Eccleſia, ſicut aliquoties olim accidit, vt populus Chriſtianus propter certas cauſſas ſub vtraq; ſpecie communicaret, tunc illa communio propter eandem humilitatis ac obedientiæ cauſſam, maioris meriti cenſeri poſſit.

ASSERTIO II.

Catholici, qui relicta vna ſpecie ad vtramque conceſſam tranſeunt, etiamſi requiſitas conditiones obſeruent, minorem tamen ex vtraque ſpecie gratiã percipiunt, quàm

antea

antea ſub vna tantùm ſpecie communicã-tes perceperant.

Thom. quæſt. 104. art. 3.

Obedientia virtutum laus.

EA eſt virtutis obedientiæ, quemadmodum Theologi atq; Philoſophi teſtantur, laus, vt maioris meriti ac præmij, illi virtutum actus celebrentur, qui per obedientiam, quam, qui propria ſiue voluntate, ſiue religione, vel alterius permiſſu, ſeu indulgentia ſuſcipiuntur. Conſtat etiam tantò maiora, digniora, & laudabiliora cenſeri bona opera, quantò pluribus & maioribus difficultatibus efficiuntur. Vnde, quò maiorem ac fortiorem hoſtem quis ſuperat, eò maiorem conſequitur laudem, & ampliorem agit triumphum; & quò magis quis ac difficiliùs laborat, eò maiorem recipiet mercedem; quandoquidem Dominus ſecundum opera & laborem cuique præmium ſuum redditurus eſt. Conſtituantur ob oculos duo Catholici, quorum vnus ſub vna quidem, alter verò ſub vtraque ſpecie, vtrinque iuſto ritu ſeruato Sacramentum ſuſcipiant. Qui communicat ſub vtraque, facit illud non præcepto vel obedientia, ſed tantùm permiſſu Eccleſiæ, quæ communionem vtriuſque ſpeciei non præcepit, ſed permiſit quibuſdam in fide infirmis eam vehementer & importunè petentibus, eo ferè modo, quo Moyſes filiis Iſraël ad duritiam cordis eorum, vt Chriſtus loquitur, libellum repudij, quò grauiora mala euitarentur, permiſerat. Non enim Deus permittebat, quia placeret, ſed vt per eum ſaltem populus contineretur, ne peiora flagitia patraret, & ad ſui interitum committeret. Quod ipſe Dominus euidenter declarat, dum Iudæos ob libellum repudij reprehendit; & ab initio non ſic fuiſſe perhibet. Vnde manifeſtum eſt, Hebræos olim

Opera difficiliora maioris meriti ſunt & præmij.

Luc. 11.

Rom. 2.

1. Cor. 3.

Vtriuſq; ſpeciei communio quomodo permiſſa?

Deut. 24.

Matth. 19.

Libellus repudij quomodo permiſſus?

Vtraq; ſpecies rectè cõparatur cum libello repudij.

rectiùs

rectiùs feciſſe, ſi legibus matrimonij ſeruatis, repudij libello carere voluiſſent; ſed exiſtente tanta cordis eorum immanitate, neceſſum fuit, vt eis diuina quadam diſpenſatione, libellus repudij permitteretur. Iam verò, quis non videt, quid nam ſit de vtriuſq; ſpeciei communione ſentiendum, quam Eccleſia non præcepit, ſed iuſtis de cauſſis olim prohibuit, & nuper quibuſdam eam nimio deſiderio petentibus non facilè, nec libenter obtulit: ſed quaſi coacta, vel inuita filiis alioqui, niſi faceret, rebellibus futuris, permiſit, ne penitus à recta fidei Catholicæ regula deficerent. Vnde verendum eſt, eos, qui ſub vtraque ſpecie, quamuis Catholici communicant, nullam hoc nomine laudem mereri, nec vtilitatem maiorem conſequi, ſed potius (ſicut olim Hebræi) dignam importunæ mentis reprehenſionem incurrere. Tantum abeſt, vt quiſpiam hoc ritu maiorem ſe putet gratiam conſecuturum. Qui verò Catholici, ſub vna ſpecie Sacramẽtum ſumunt, longè maiorem laudem, & gratiam vberiorem obtinent, quòd id tanquam obedientes filij iuxta præceptum Eccleſiæ faciant. Melior eſt enim obedientia, quàm victima. Quàm verò Deo ſit gratum, ac nobis vtile, debitum Eccleſiæ in rebus etiam liberis, ac iure diuino, nec præceptis, nec prohibitis, obedientiam præſtare; manifeſtum id exemplo Rechabitarum euadit, quibus, cùm (appoſito vino) fuiſſet iuſſum à Deo per Prophetam Hieremiam, vt biberent, reſponderunt: *Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noſter præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filij veſtri vſque in ſempiternum: Et domum non ædificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis, ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris, vt viuatis diebus multis ſuper faciem terræ, in qua vos peregrinamini. Obediuimus*

Vtramq; ſpeciem Eccleſia quomodo permiſerit?

Catholici ſub vna maiorem fructũ, quàm ſub vtraq; ſpecie communicãtes percipiunt.

Obedientia Deo gratiſſima.

1. Reg. 15.

Hiere. 35

Obedientia Rechabitarum quãta fuerit.

ergo voci Ionadab filij Rechab patris noſtri in omnibus, quæ præcepit nobis, &c. Hanc autem tam accuratam Rechabitarum obedientiam, qua patris Ionadab imperium integrùm eſſe voluerunt, Deus non improbauit, etiamſi per Prophetam ad vinum bibẽdum inducerentur, quin potius egregia poſteritati facta promiſſione, ſibi gratiſſimam eſſe declarauit. *Hæc dicit Dominus*, inquit Hieremias, *exercituũ Deus Iſraël, Pro eo quòd obediſtis præcepto Ionadab patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mãdata eius, & feciſtis vniuerſa, quæ pcepit vobis: Propterea hæc dicit Dominus exercituũ Deus Iſraël, Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab filij Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus.* Iam verò ſi Catholici, voci matris Eccleſiæ calicem prohibentis, morem geſſerint, proculdubio nõ modò Pater cœleſtis ratum præceptum habiturus, ſed & obedientes & ſobrios filios æterna promiſſione eſt cum ingenti mercede cumulaturus. Non enim diuerſa & pugnantia patris & matris præcepta eſſe poſſunt: quorum voluntates eodem ſpiritu coniunguntur.

Obedientia Rechabitarum à Deo laudata & remunerata.

Hiere. 35.

Deus Pater & Eccleſia Mater, vnius ſunt ſpiritus & voluntatis.

Ioan. 17. 1. Cor. 12. Epheſ. 4.

ASSERTIO III.

Catholici ſub vtraque ſpecie communicantes, hoc ritu Aduerſariis potius, quàm Eccleſiæ & lucis filiis conformes ſe reddunt.

CVm Sacramentum Euchariſtiæ, ſicut aliàs copioſè probatum eſt, præclarum & illuſtre ſit vnitatis & pacis ſymbolum, negari non poteſt, quin vnius potius, quàm vtriuſque ſpeciei ritus, vnitatis huius myſterium magis exprimat. Hinc manifeſtum eſt, eos Catholicos, qui contenti ſunt vno ſacræ Synaxeos, videlicet panis ſigno, longè magis, quàm faciant ſub vtraque ſpecie

Vnius ſpeciei ritu melius vnitas exprimitur.

communicantes, eam, quam Chriſtus & Apoſtoli requirunt in nobis, vnitatem vocationis, fidei, religionis, ſpiritus, ac cœleſtis etiam beatitudinis verbis, factis, & ſaluberrimis exemplis, non ſolùm proteſtari, ſed & Euangelico more coram hominibus confiteri, vt vel hoc vnitatis ſigno conſtet, eos ſinceros, veros, & probatos Catholicos eſſe. Qui verò Catholici, ſpeciem vtramque ſumunt, nō illi tam vnitatem, quàm aliquam ſaltem diuiſionem, ſeparationem, ac auulſionem, ipſo facto, vel ritu exprimunt, nec ita Catholicis ac Dei filiis (nō de ſacrificio, ſed cōmunione iam agitur) quàm omnibus horum temporum hæreticis ſimiles apparent, quandoquidem hunc vtriuſq; ſpeciei ritum, cum omnibus Aduerſariis cōmunem habent. Hæc eſt enim vna omnium huius militiæ teſſera, hoc vnum belli Sacramentum, communionē ſub vna ſpecie, atque Romanam & Catholicā Eccleſiam euertere. In quibus, dum egregiè cōiunctis viribus nauant operam, in nullo demùm belli genere conueniunt. Omnes enim etſi ſociatis manibus ad turrim Dauid, Eccleſiam Dei viui, incendendam malleolos cōportant; tamen ad ſuam illam confuſam ædificandam, nullo conſenſu, aptos lapides inueniunt. Et profectò vehementer errant Catholici, qui in communione ſub vtraq; ſpecie Aduerſariis malunt ſe conformare, quàm Eccleſiæ filiis, quos illi omnes atque ſe è noſtris caſtris exturbant, extemplò ſub vexillis vtriuſque ſpeciei, tanquam communi omnium ſigno, liberè militantes. Eo titulo omnes gaudent & gloriantur, eo ritu triumphant & exultant, eo calicis hauſtu Euangelium ſuum probatum volunt. Quod ſi contigerit aliquando (ſicut in his prouinciis frequentiſſimè eueniat neceſſe eſt) vt

Aduerſarij ſimul oēs oppugnant cōmunionem ſub vna ſpecie & Eccleſiam Catholicam.

Aduerſarij diſſentiunt in cæteris fidei dogmatibus.

Cant. 4.

Gen. 11.

aliquis

aliquis Catholicus ſub vtraque ſpecie communicans, inter Aduerſarios viuat,& prouocetur, vt cum eis ſub vtraque ſpecie communicet, qua ratione ab eorum ſacris ſe eximet & liberabit? Quid? Nónne inextricabiles ſibi compedes iniecit? Nónne ſeipſum irretitum & vinctum Aduerſariis tradidit? Satius profectò & conſultius eſt fidem veram apertè abſque inuolucris profiteri, conſcientiam integram & caſtam ſeruare; quàm fratres, vt ait Apoſtolus, offendere, & Deum in ſe grauem aduerſarium & vindicem prouocare.

1. Cor. 8.

Confeſsio fidei ſit aperta & publica.

ASSERTIO IIII.

Solidæ non ſunt quorundam Catholicorum rationes, quibus communionem ſub vtraque ſpecie commodam ſibi eſſe volunt.

QVòd ſi Catholicus quiſpiam propterea ſe putet excuſatum iri, ſi ritum vtriuſque ſpeciei retineat, ac proſequatur; quòd talem ipſe communicandi conſuetudinem per aliquot iam annos habeat, quam & nefas ſit mutare: Profectò quiſquis eſt ille, multùm vehementerq; hallucinatur. Quis enim eſt tam inops omnis iudicij, qui ſingularem paucorum hominum, & annorum conſuetudinem, vniuerſalis Eccleſiæ, à tam multis annis receptæ & approbatæ conſuetudini poſthabendam eſſe, non videat? Quis item non intelligat, eiuſmodi conſuetudinem cum meliori conſuetudine, quando præſertim legitimæ ſubſint cauſſæ, laudabiliter poſſe ac debere commutari? Sed & plerique ſuum ſingularem

Vtriuſque ſpeciem ſumendi conſuetudo refutatur.

Vtramq; ſpeciem ſumendi deuotio non probatur.

pietatis ac religionis feruorem afferunt, quo rapiuntur ad calicis hauſtum. Eiuſmodi autem, etſi reprehendendi omnino non videntur; tamen his periculoſis & calamitoſis temporibus, Apoſtoli ſententia monendos, ne dicam caſtigandos, exiſtimo: Æmulationem quidem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Etenim quomodo feruor ille laudabilis aut ſincerus cenſeri poteſt, qui relicta vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudine, affectui potius, quàm pietati deſeruit, & magis in Aduerſariorum ſimulatam pietatem & imperitum feruorem declinat ac propendet, ſeſeq; ab vniformis fidelium aliorum communicandi ritu ſeparat? Porro nec quorundam audienda eſt excuſatio, quam eo nomine prætexunt, quòd vtriuſq; ſpeciei ritus à Sum. Pont. tandem fuerit conceſſus. Filiorũ planè obedientium modeſta eſſet excuſatio, ſi omnibus populis & gentibus Chriſtianę religionis, calix fuiſſet permiſſus: Sed quoniam propemodum magna importunitate ſollicitatus, ne dicam extortus, pro periclitantibus, paterna commiſeratione conceſſus eſt. Plerunq; fieri ſolet, vt ſubditi quædam à maioribus ſuis, vel inuitis, nonnunquam obtineant, neſcientes quid petant, quæ tamen rariſſimè ſucceſſum bonum, aut felicem exitum ſortiuntur. Exemplo nobis ſunt filij Iſraël, qui cœleſti manna nequaquam contenti, carnes à Moyſe contentioſè petiuerunt, ac tamdiu, tamque vehementer vrſerunt, donec illorum, non pernitioſo minus, quàm curioſo deſiderio, ſed non abſque grauiſſima diuini numinis offenſione, ac miſerabili ipſorum ſtrage, ſatisfieret. Nam, cùm adhuc carnes eſſent in dentibus eorum, nec deficeret eiuſmodi cibus, ecce furor Domini concitatur in populum, & percuſſit eum plaga magna nimis, &c.

Rom. 10.

Vtriuſq; ſpeciei conceſſio non excuſat Catholicos ſic communicantes.

Matth. 20. Marc. 10.

Deſideria curioſa quomodo puniantur à Deo.

Num. 11.

Pſal. 77. Num. 11.

VERVM

Verum tempus eſt, vt claſſicum receptui canam, atque Aduerſarios beneuolo amiciſſimoque animo moneam & obteſter; ne ſuis opinionibus ſe patiantur à ſacerrimo Chriſti conuiuio & Eccleſiæ matris vnione abduci. Animaduertant quæſo diligenter, quàm debilia, quamque infirma, ne dicam exitioſa, ſuæ ſententiæ ponant fundamenta; dum ſub vtraque ſpecie communionem, ſub Chriſti præcepto poſitam, & ſub vna ſpecie, vnam tantùm Chriſti partem, ab aliis diuiſam eſſe volunt; quorum etſi illud periculoſum eſt, propria auctoritate comminiſci, id eſt, præceptum Dei ſtatuere, cùm ne quidem de mandato Chriſtus cogitârit; hoc tamen non ſine graui in Chriſtum contumelia & probro, nec dici, nec excogitari potuit. Illis proculdubio conueniet, quod Chriſtus Scribis & Phariſæis dictum eſſe voluit: *Quare vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem; &, Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur, &c.* Cùm autem pater cœleſtis matrem Eccleſiã eſſe audiendam iuſſerit, quid eſt, quòd eam deſpectam volunt, cùm Spiritu ſancto informata doceat, nullum eſſe præceptum Chriſti, quo filij obſtringantur Sacramentum Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie ſuſcipere? Videant ne ipſi contumaces matri & repugnantes patri iudicentur, ſi ſua mandata, præceptis Dei reiectis, nobis obtrudant. Neque certè vnquam præceptum ſub vtraque ſpecie communicandi, vel ex Chriſti verbis, vel ex perpetuo Eccleſiæ vſu demonſtrare poterunt; licet ipſi inter ſe conſtantiſſimè conuenirent, contra naturam & conſuetudinem ipſorum, qui cùm in aliis, tum in præſenti præſertim negotio, maximè inter ſe diſſident ac rixantur. Quòd enim quidam eorum, communionem ſub vtraque ſpecie,

Aduerſarij beneuolè monentur vt attendant.

Matth. 15. Exod. 20. Deut. 5. Epheſ. 6.

Matth. 18.

Eccleſia præcipitur audienda.

Aduerſariorum diſſidia circa calicis præceptum.

omni hominum Chriſtianorum ſtatui, conditioni, generi, ætati ad vitam conſequendam, alij verò omnibus adultis & prouido intellectu vtentibus, nonnulli adultis vino vtentibus, reliqui publico in loco tantùm, neceſſariam arbitrantur; facilè declarant, ſe non de neceſſario illo & commentitio præcepto conuenire. In quo dum grauiter hallucinantur, & inter ſeſe diſſentiunt; animaduertant, mentes ſuas recolligant, velim, &, dum Eccleſiæ Catholicæ vnanimem conſenſum admirati fuerint, ſtatuant nobiſcum, non magis omnibus calicis potum à Chriſto præcipi, dum ait: *Bibite ex eo omnes,* quàm à nobis omnibus, Euangelium per vniuerſum mundum euulgandum eſſe, dum ait: *Euntes ergo docete omnes gentes.* Quorum etſi vtrunque Apoſtolis ſit imperatum, ita tamen illud in cœna vltima, teſte Marco, qui ait: *Et biberunt ex eo omnes*, impletum eſt, vt ad omnes ſubſequentes pertinere non poſſit. Hoc verò, etſi nemo ignoret temporibus Apoſtolorum, atque adeò hac etiam ætate, nedum fuiſſe conſummatum; tamen nullus eſt ex Aduerſariis, qui exiſtimet ad ſingulos Chriſtianos pertinere, vt Euangelium ad extremas nationes ſub pœna æterni cruciatus deportent. Ac proinde diligenter conſiderent, ſe nullum nobis poſſe de communione ſub vtraque ſpecie præceptum effingere, niſi vel ab Eccleſia id agnitum & creditum, vel certè diuinitus ſibi mandatum à Deo fuerit. Sed quoniam abundè ſuperiùs declaratum eſt, nunquam Eccleſiam Dei præceptum agnouiſſe; fieri non poteſt, vt eis credamus, ipſis à Deo manifeſtatum eſſe, cùm de huiuſmodi præcepto nunquam hactenus vnanimi ſententia conuenire potuerint. Atque illud ipſum optimè illis, ad noſtram gloriam & conſolationem accidit,

Matth. 26.

Matth. 28. Marc. 16.

Marc. 14.

dit, quòd dum ſub præcepto communionem vtriuſque ſpeciei probare contendunt, cum Neſtorio Chriſtum diuidunt, ſoluunt & ſeparant. Vt enim populo præcepti neceſſitatem ſuadeant, neque ſub ſpecie panis ſanguinem, neque ſub vini ſpecie carnem Chriſti in Sacramento eſſe docent & aſſeuerant. Quô fit, vt grauiſſimus error, errore pernitioſiore confirmetur, quorum cùm hunc ſubtimidius & verecundius ad quorundam terrorem contegunt, illum audacius ad plurimorum exitium & perniciem denudant. Qua in re non perpendunt ſe diuinum & Chriſtianæ neceſſitudinis ius violare, omnem penitus religionem ex animis Chriſtianorum extirpare, extirpatamque funditus depeculari. Hoc ipſum cum ingenti mœrore notare quiuis potuit, ab eo tempore, quo quidam Eccleſiæ non obtemperantes, vt olim de aqua in deſertis locis Hebræi ſeditioſè Moyſi obmurmurârunt, communionem ſub vtraque ſpecie partim magnis clamoribus, partim ſibi cruentis armis arrogârunt & vſurpârunt, quas tempeſtates vſurpata ſub vtraque ſpecie communio, toti orbi denunciauit. Sed quas breui tempore vaſtitates, nobiliſſimis & florentiſſimis Europæ regnis attulit, Gallia, Anglia, Suecia, Scotia, Dania, Polonia, Bohemia, & quod Imperij caput eſt, inclitum Imperij culmen, vtraque Germania, ſuis cladibus melius & apertius teſtantur, quàm oratione perſequi poſſimus. Ab hoc vno fundamento communionis nimirum ſub vtraq; ſpecie, tanquam ſub ſpecie recti & religionis, falſi & varij errores, ſuas origines veluti à fonte deduxerunt. In eo quiuis Eccleſiæ Catholicæ Romanæ coniuratus hoſtis præſidia & caſtra, ad eandem oppugnandam, collocari voluit.

1. Ioan. 4.

Exod. 17. Num. 20. Pſal. 77. 1. Cor. 10.

Aduerſarij quomodo calicis præceptum aliis perſuadeant

Calix, quibus regnis, quæ damna intulerit.

Ab

Ab hac prolata face,ingens incendium exortum eſt,quo miſerandum in modum non tantùm arces, fana, templa,ſed ciuitates& prouinciæ ad vltimos cineres conflagrârunt. Repeterem calamitatum harum exordia atq; in Bohemia ingentes templorum moles ſuis iam paſſim ruderibus obrutas, ſi per Germaniam vtramque & maximè inferiorem,per Galliam,atque Angliam, in recenti ſuo ſanguine, infinita Chriſtianorum cadauera, in hanc horam non natarent, atque per Angliam Martyrum Catholicorum in cuſtodiis,in Eccleſiis, in patibulis voces non exaudirentur, & capita quàm plurima palis defixa,non cernerentur, ad ſummũ nominis Chriſtiani ludibrium. Hanc exitioſam, ne dicam flagitioſam,religionis Chriſtianæ calamitatem, vna potiſſimùm ſub vtraque ſpecie communio peperit, quæ, ſi ſub vno ritu Catholico, ſub caſtris & vexillis Eccleſiæ matris perdurâſſet; vt tolerabilior fuiſſet,ſic non tantas tamque miſeras clades edidiſſet. Verùm quàm ptimum illa extra imperantis Eccleſiæ terminos & cancellos egreſſa eſt, mox in multiplices & ſibi contrarias formas, adeò mutata eſt, vt vix Chriſti inſtitutionis & Sacramenti veſtigium agnoſcas. Quidam enim non omnino efferati, adhuc in templis ſub vmbra aliqua cærimoniarum, prolatis verbis, panem & vinum ſumunt; alij in ſuis ædibus, contemptis Chriſti verbis, panem communem & vinum, ſola ſua fiducia conſecrant: Alij inuſitato ritu ſub dio helluantur: reliqui intempeſta nocte, hîc verecundia prohibet loqui, extinctis luminibus menſam illam ſuam ſub ſtupris & flagitiis conficiunt. Tanta demum eſt communionis inter eos diuerſitas, atque ea ita à ritu Chriſtiano aliena eſt, vt propediem à communi menſa, etiam barbarica, diſtingui non poſſit. Sunt, ſunt etenim quàm pluri-

Aduerſariorum circa communionem quã diuerſi & abominabiles modi.

plurimi qui palàm affirmant & docent, Chriſtum nunquam ſuum corpus, ne corporis quidem ſignum Sacramento aliquo tradidiſſe, ſed ita cum diſcipulis ſuis cœnitâſſe & prandiſſe, vt doceret eos, quando cibo & potu reficerentur, in ſui recordationem panem ſuſciperent; & calicem ſine vllo rei ſacræ ſigno propinarent. Atque hæc communionis ſub vtraque ſpecie, contra Eccleſiæ ſenſum, vſurpatæ ſumma & extrema manus, quæ, niſi Deus omen tam formidoloſum auertat, omnem Chriſtianam religionem, his in regionibus, aut in Atheiſmum transformari, aut funditus euerti patietur. Hanc tam tetram tamque fœdam Chriſtianæ religionis conditionem, per Deum immortalem Aduerſatij nobiſcum deplorent, atque mutatis opinionibus, etiam in melius ſeipſos commutent. Quid eſt, quòd cum ſumma calamitate populi Chriſtiani, reſiſtendi conſuetudine, ne dicam pugnandi libidine, delectentur? Quid eſt, quòd cædes, incendia, vaſtitates, fratrum cruor fuſus eos recreet? quid eſt, quod diſcordia, ſeditio, omnium interitus potius, quàm pax, quàm concordia, quàm Chriſtianæ Reipub. incrementa placeant? Anne potius Chore, Dathan & Abyron tentoria, quàm Moyſis & Aaron

Num. 16. caſtra, elegerunt? Nunquid reformidant, aliquando terram hiatum ædituram, atque rebelles Eccleſiæ abſorpturam? Nec eſt profectò, quòd tantis tumultibus, tantiſque ſtragibus, calicem ſibi donari contendant. Vltro iam multorum flagitia pœnas meruerunt: vltro iam contumacibus Deus calicem vindictæ propinauit: *Hæc*

Cap. 23. *dicit Dominus Deus*, ait Ezechiel, *calicem ſororis tuæ bibes profundum & latum: Eris in deriſum & ſubſannationem, quæ es capaciſſima: Ebrietate & dolore repleberis, calice mœroris & triſtitiæ, calice ſororis tuæ Samariæ: Et bibes illum, & epotabis*

Dei comminatio cōtra calicem Aduerſariorum.

tabis vſque ad faces, & fragmenta eius deuorabis. Atque vtinam hoc tempore teterrima fragmenta, & graucolentes fæces non videremus epotari. Nimium verè aduerſæ parti loquitur Propheta, cui Eſaias terrorem addit: *Bibiſti de manu Domini calicem iræ eius; vſque ad fundum calicis ſoporis bibiſti, & epotâſti vſque ad faces.* Dolendum profectò eſt, plurimos calicem cum fæcibus ita epotâſſe, vt vino & fæcibus obruti omnino exurgere, neque verum intueri poſſint. Dum enim omnes ſenſus ſpecies vini colligauit, inobedientia mentem planè oppreſſit, adeò, vt difficillimum ſit, in tenebris lucem intueri. Eſai 51.

QVAMOBREM ſi veritatem conſequi velint, in eam rem incumbant oportet, vt ſenſus ſopore vini oppreſſos, diligenter excutiant, deinde matrem & magiſtram veritatis Eccleſiam, cui obtemperare debent, agnoſcant. Atque hæc eſt veritatis comprehendendæ ratio, hæc Deum colendi certiſſima regula. Cùm enim ſenſus proprios quiſque ſequitur, iiſque tanquam ducibus & magiſtris indulget Eccleſiam, columnam veritatis abiuret, & contemnat, neceſſe eſt; quæ dum à mentibus Chriſtianorum expulſa exulat, dici non poteſt, quantis iam deſerentes opprimantur tenebris. Nec ideò mirum eſt, ſi plerique ſibi blandientes, ſe hoſtes coniuratos matri opponant, atque in viſcera cæci potius ferrum intorqueant, quàm eius menſa, quam Pater cœleſtis apparauit, fruantur. *Habent enim*, vt ait Propheta Malachias: *Menſam Domini deſpectam*, habent menſam Eccleſiæ contaminatam, atque ideò illis timendum eſt, ne eorum menſa, quam diuinæ anteponunt *fiat coram ipſis in laqueum & in retributiones & ſcandalum.* Quod vt iis non eueniat, Deus Opt. Max. faxit, qui Malach. 1. Pſal. 68.

mentes

mentes illorum illuſtrare dignetur, vt ſolidam veritatem intueri, & digniſſimo ſacratiſſimoque menſæ Domini epulo nobiſcum cum ſumma caritate perfrui mereantur. Eos verò per viſcera Chriſti iterum atque iterum obteſtor, ne tanto lumini ſenſuum ſuorum tenebras obiiciant, ſed patiantur diuinæ gratiæ ſplendorem internis mentium receſſibus benignè aſpirare.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX PRAECIPVARVM RERVM QVAE HOC TRACTATV CONTINENTVR.

A.

Abſtemij aliiq́ similes non damnabuntur propterea, quòd calicem non hauriant. 242

Abſtemij iubentur ab Aduerſariis priuatim communicare. 261

Abſtemiis Aduerſarij loco vini, aquã, vel ceruiſiam, vel mulſum propinant. 261

Acta Chriſti in cœna diſcutiuntur. 33

Adiaphora ab Eccleſia pracepta vel prohibita. 235

Adiaphora Eccleſiæ relicta. 46

Adiaphora multa cur ſunt prohibita. 226

Adiaphora multa à Chriſto relicta, quæ Eccleſia rectè præcepit vel prohibuit. 48

Adiaphora prohibẽdi aut præcipiendi poteſtas & neceſſitas. 224

Adiaphora quæ ſint. 13

Aduerſariorum abſurda circa Teſtamentum Chriſti. 42

Aduerſarij ad libitum Scripturam ſacram & ritus contemnunt. 32

Aduerſarij beneuolè monentur, vt attendant. 285

Aduerſariorum calumniis Patrũ laus magis illuſtratur. 72

Aduerſarij circa cœnã à ſeipſis & ab aliis diſſentiunt. 271

Aduerſariorum circa communionem quàm diuerſi & abominabiles modi. 288

Aduerſarij circa verba Chriſti contradictionẽ implicant. 21

Aduerſarij conuincuntur circa Adiaphora. 225

Aduerſarij conſtringuntur circa materiam calicis. 59

Aduerſariorum craſſus error de corpore & ſanguine Chriſti. 262

Aduerſa-

INDEX.

Aduerſariorum diſsidia circa calicis præceptum. 286

Aduerſariorū diſſenſio circa Eucharistiam. 5. 191

Aduerſarij diſſentiunt in cæteris fidei dogmatibus. 282

Aduerſariorum diſſenſiones inter ſe & cum aliis, vnde oriantur? 261

Aduerſarij docent omnes eſſe ſacerdotes, et tamen certos Miniſtros ipſi conſtituunt. 39

Aduerſariorum error circa Adiaphora. 225

Aduerſariorum error circa caput 6. Ioannis confutatur. 25

Aduerſariorum error circa materiam Baptiſmi. 207

Aduerſariorum error, quòd Sacramentum fide hominum conſecretur. 129

Aduerſarij frequenter in cœnis ſuis non vtuntur verbis conſecrationis. 129

Aduerſarij habent cochlear noui Teſtamenti. 240

Aduerſariorum integritas in Sacramento, qualis & quàm abſurda. 104

Aduerſarij inter ſe diſſentiunt & magiſtris ſuis cōtradicunt. 261

Aduerſarij multis calumniis afficiunt Eccleſiam. 264

Aduerſarij multa Chriſti mandata diſsimulāt, ſed calicem vrgent. 37

Aduerſarij nec vocati, nec miſſi, nec ordinati ſunt. 255

Aduerſarij Patres Eccleſiæ aliquando omnes & omnino reiiciunt. 65

Aduerſarij potius armis quàm decretis pugnant. 270

Aduerſarij qualiacunque ſua argumenta variis modis et fucis variant & aliis proponunt. 98

Aduerſarij quomodo calicis præceptum aliis perſuadeant. 287

Aduerſariorum ritus, quales in communicando. 31

Aduerſarij ſeipſos Sacramento eiusq́; fructu priuârunt. 264

Aduerſarij ſeipſos propriis armis conuincunt. 41

Aduerſarij ſimul omnes oppugnāt communionem ſub vtraq; ſpecie, et Eccleſiam Catholicā. 282

Aduerſarij ſpeciebus inhærentes Chriſtum non intelligunt in Sacramento latentem. 20

Aduerſariorum vafricies & calliditas ad decipiendum. 97

Aduerſarij volunt Apoſtolos in bibendo ſolùm imitari. 101

p 3 Agnus

INDEX.

Agnus prius immolatur, deinde manducatur. 114
Agni typici myſterium. 44
Algeri verba de Euchariſtia declarantur. 93
Allegoria non vbique locum habet. 123
Alimonia corporis & ſanguinis Chriſti, ſub vna ſpecie continetur. 95
Ambroſij quædam verba de poculo ſanguinis exponuntur. 82
Apoſtoli diſpenſatores myſteriorũ Dei. 232
Apoſtoli in licitis & adiaphoris, conuerſis ſe accommodauerunt. 62.
Apoſtoli laici in vltima cœna quomodo fuerint, & ſub vna panis ſpecie communicârint. 125
Apoſtolis multa dicta ſunt, quæ ad laicos non ſpectant. 37
Apoſtoli quomodo ſacerdotes creati in vltima cœna. 125
Apoſtolis ſolis Chriſtus in cœna præcepit, vt ſacrificium incruentũ offerrent. 30
Aqua Baptiſmi cur præcepta? 208
Aquarij à D. Cypriano reprehenſi ſunt. 77
Architectorum exemplum quomodo ſit imitandum. 10
Athanaſij & Theophylacti verba de calice declarantur. 88
Articuli fidei vocati in controuerſiam. 4
Auguſtini quædam verba de potu ſanguinis exponuntur. 83
Auctor cur tractatum hunc ſcripſerit. 3
Auctor maluit latere quàm ſcribere. 2
Auctoris ſententia non eſt, refutare calicem, vel vtramq. ſpeciẽ, ſed demonſtrare vnam ſpeciem quoque ſanctam & ſalutarem eſſe. 10

B.

Baptizandi diuerſi modi, ſed non præcepti. 206
Baptiſmatis eſſentialia mutari non poſſunt, ſed accidentalia poſſunt. 110
Baſileenſe & Conſtantienſe Cõcilia optimè conſonant. 267
Baſilius Impator decreuit Principes eſſe oues Epiſcoporum. 221
Baſilius Magnus moriturus, ſub vna ſpecie communicauit. 157
Baſilius Magnus quoties in hebdomada communicauerit. 156
Bernardi verba de inſtitutiõe Euchariſtiæ declarantur. 95

Bibite

Bibite ex hoc omnes, quomodo intelligendum. 27
Bohemorum compactata. 267
Bohemorum error circa communionem ſub vtraque & infantium. 261
Bohemis quoq; vtriuſq; ſpeciei cõmunio ſit conceſſa. 267
Bohemos reprehẽdit Lutherus propter vtramq; ſpeciem. 188

C.

Cœna Aduerſariorum quàm ſit periculoſa & pernitioſa. 14
Cœna Anabaptiſtarum qualis. 33
Cærimoniarum neceſſitas. 227
Calix ad ægrotos difficulter ferri poteſt. 240
Calix Aduerſariorum ab hæreticis quibuſdam acceptus eſt. 257
Calix Aduerſariorum affligit corda. 260
Calix Aduerſariorum intricatus. ibid.
Calix Aduerſariorum multa parit abſurda. 260
Calix Aduerſariorum non ſanguinem, ſed vinum continet. 103
Calix Aduerſariorum pernitioſus. 15. *parit diſſenſiones.* 257
Calix Aduerſariorum probatur à conſuetudine conuiuij communis. 108
Calix Aduerſariorum ſanguinarius. 258
Calix à quo, quando, & quomodo inſtitutus. 34
Calix Chriſti poſt cœnam datus eſt, ſpecies verò corporis ſola, in ipſa cœna. 109
Calix Chriſti verus, ab Aduerſariis intoxicatus. 15
Calix cur ab Eccleſia per Canonem prohibitus? 244
Calix cur non omnibus, ſed Apoſtolis ſolis ſit porrectus. 29
Calicis cur nullum ſit præceptum à Chriſto datum. 36
Calicem cur omnes poſtulant? 6
Calix cur pleriſque ſit facilè perſuaſus? 6
Calicis diſpoſitio fuit Apoſtolis relicta. 40
Calicis error grauiſſimus. 17
Calicis error hoc tempore reuocatus. 234
Calix extortus, ſicut aqua ex petra propter murmur. 116
Calix fidelibus omnibus nunquam à Chriſto præceptus. 17

Calicis fructus nõ ad bibentes tantùm, ſed etiam ad alios pertinet. 103
Calix in Emmaus nõ eſt datus. 127
Calicis incommoda, quæ olim acciderunt. 241
Calicis mandatum nullum eſt. 6
Calicis neceſſitas à quibus inuecta. 234
Calix non præcipitur, ſed conditiones ſeruandæ, quando ſumitur. 40
Calicis nullum præceptum quoad laicos, aut non conficientes. 31
Calicem omnibus dandum, Chriſtus non præcepit. 40
Calicis pericula quantoperè cauenda. 239
Calicis pericula quomodo vix caueri poſſunt. 240
Calicis præceptum ab Apoſtolis impletum fuit in vltima cœna. 32
Calicis præceptum nullum à Paulo inſinuatum. 46
Calix præcipuè inſtitutus eſt propter ſacrificium, vt per eum repræſentetur paſſio Chriſti. 109
Calix quibuſdam petra ſcandali. 116
Calix quibus regnis quæ damna intulerit. 287
Calicis vſus cur rectè prohibitus? 249.
Caluinus aquã Baptiſmi negat eſſe neceſſariam. 111
Caluini error de calice. 32
Caluini iudicium de Patribus Eccleſiæ. 65
Caluiniſtarum vafricies. 41
Canon prohibiti calicis iuſtus eſt iudicandus. 244
Caro Chriſti viuifica. 202
Caro & ſanguis Chriſti comeditur. 20
Caro & ſanguis Chriſti ſimul ſumuntur. 93
Catholici, quibus calix non eſt conceſſus, abſtineant. 275
Catholici ſub vna maiorem fructum, quàm ſub vtraque ſpecie communicantes percipiunt. 280
Cẽſores curioſi ac maleuoli qui ſint & quæ faciant. 2
Cibus, potus, odoratus, viſus, auditus ſpiritualis in anima ſunt idem. 205
Chriſtus Apoſtolis non integrum ſed fractum & diuiſum Sacramentum dedit. 104
Chriſtus manducatur & bibitur, tam

tam ſub vna, quàm ſub vtraque ſpecie. 19
Chriſtus miſſus à Patre venit in hunc mundum. 253
Chriſtus nec ſub vna, nec ſub vtraque communicãdum præcepit. 62
Chriſtiani omnes non ſunt ſacerdotes. 30
Chryſoſtomi quædam verba de ſanguine Domini declarantur. 80
Clemẽtis Alexandrini verba de bibendo ſanguine declarantur. 70. & 71
Clementis Rom. epiſtolæ defenduntur. 143
Clementis Rom. epiſtolas deprauârunt Ebionæi. 144
Cochleari rectiùs Aduerſarij quã calice ægris vinum propinant. 241
Comminatio Dei contra calicem Aduerſariorum. 288
Communicandi libertas ſub vna vel ſub vtraque ſpecie. 151. & 153.
Communicare ſub vna, vel ſub vtraq; ſpecie, eſt res adiaphora. 230
Communio quotidiana. 120
Communionis tota materia, cur decem capitibus comprehenſa ſit? 15
Concilia generalia, cur celebrata. 217
Conſcientiæ expiatio ante cõmunionem neceſſaria. 55
Conſecrationis certa tempora olim ſeruata ſunt. 157
Confeſſio fidei ſit aperta & publica. 283
Coniunctio copulatiua, quomodo diſiunctiuè capiatur. 21
Conſtantienſe Concilium contra Aduerſarios declaratur. 265
Conſtantienſe Concilium, non eſt correctũ per Baſileenſe. 267
Conſtantienſis Concilij Patres vindicantur. 266
Conſtantienſis Cõcilij ſenſus probatur. 265
Conſtantienſe & Baſileenſe Concilia optimè conſonant. 267
Conſtantini Imperatoris humilitas et reuerentia erga Epiſcopos & Prælatos Eccleſiæ. 217
Conſtãtius Imperator ab Epiſcopo reprehenditur. 218
Contumaces puniendi. 222
Corinthij ab Apoſtolo grauiter reprehenſi. 62

Corinthiorum abuſus circa cœnæ ſumptionem arguitur. 88
Corinthiis cur vtraq; ſpecies cōceſſa. 62
Corinthiorum exemplo nullum calicis, quoad laicos, Chriſti mandatum probatur. 46
Corpus Chriſti viuum in Sacramento eſſe & dari. 193
Corpus Domini non diiudicare, quid ſit. 50
Corporis & ſanguinis Chriſti veritas in Sacramento probatur. 25
Cultus Dei eſt duplex. 227
Cultus exterior probatur. ibid.
Cultus interior probatur. ibid.
Cyprianus ob dogmata Catholica ridetur. 79
Cypriani verba de ſanguine Domini declarantur. 75
Cyprianus vt delirus reiicitur ab Aduerſariis. 79

D.

Deſideria curioſa quomodo puniantur à Deo. 284
Deus Pater & Eccleſia Mater vnius ſunt ſpiritus & voluntatis. 281
Diſcipuli Melanchthonis ſunt ſu- per Magiſtrum ſuum. 47
Diſpenſator & fidelis ſeruus idem. 232
Diſpenſatoris officium in quibus conſiſtat. ibid.
Dominicis diebus non ieiunandum. 235
Donatiſtæ corpus Domini canibus obiecerunt. 154

E.

Eccleſia aliquando rectè precepit vnam ſpeciem, & calicem prohibuit. 13
Eccleſiam calumniantur Aduerſarij. 8
Eccleſia caſtrorum acies ordinata. 252
Eccleſiæ Catholicæ auctoritas diuinitus commendatur in eo, quòd calix præceptus non ſit. 36
Eccleſia cogit errantes ad viam reuerti. 223
Eccleſiæ, cur & quanta poteſtas tradita. 211
Eccleſia Dei cur aliquando præceperit vel prohibuerit adiaphora. 227
Eccleſia Dei eſt audienda. 215
Eccleſia Dei quomodo ſanguine creue-

creuerit. 259
Eccleſiam erraſſe fingunt Aduerſarij. 8
Eccleſiæ poteſtas. 13
Eccleſiæ poteſtas non omnibus nec ſingulis, ſed quibuſdam tradita. 212
Eccleſia præcipitur audiẽda. 285
Epiſcopi & Sacerdotes quomodo per Apoſtolos ordinati. 30
Epiſcopi iudicant de Imperatoribus. 220
Epiſcopi, licet rudes et peccatores quatenus ſunt paſtores. 221
Epiſcoporum poteſtas probatur. 217.
Error quo vna tantùm ſpecies offerebatur & ſumebatur in Miſſa. 191
Errores varij circa calicem orti confutantur. 235
Eſurire, ſitire ſecũdum ſpiritum idem. 206
Et particula non ſemper copulat, ſed aliquando diſtinguit. 52.
Euchariſtiæ conſecratio dependet à verbis Chriſti, non à fide ſuſcipientis. 91
Euchariſtia dicitur panis quotidianus. 85
Euchariſtia eſt Sacramẽtum vnitatis. 257
Euchariſtiam non frequentare, periculoſum eſt. 22
Euchariſtia olim à viris manibus; à fœminis verò linteo accipiebatur. 85
Euchariſtia olim in Eccleſia ſeruabatur. 162
Euchariſtia olim à fidelibus ſeruabatur. 250
Euchariſtia propter totã Eccleſiam eſt inſtituta. 100. & propter ſacrificium. 250
Euchariſtia quomodo diſtinguatur ab aliis Sacramentis. 105
Euchariſtia Sacramẽtum vnionis & caritatis eſt. 236
Euchariſtiæ veritas extra vſum probatur auctoritate Patrũ, et Scripturis, & rationibus. 245
Examinis conſcientiæ fructus multiplex. 56
Exemplis abutuntur Aduerſarij. 62
Exemplum Chriſti in quibus & quando obligat. 60
Exemplum Chriſti in quibus nos non obligat. 60
Exemplum Chriſti non obligat fideles ad calicem. 60

Exemplum Corinthiorum non obligat nos ad calicem. 62

F.

Fractio panis Euchariſtica et Sacramentalis probatur. 128
Fractio panis non habuit calicem. 137
Fractio panis Sacramẽtalis apud Paulum fuit. 136
Fundamentum veræ religionis. 263.

G.

Gelaſij Pontificis quædam verba de Sacramẽtis integris exponuntur. 85. & 86
Gregorij I I. quædam verba de ſanguine Domini explicantur. 89

H.

Hædi typici myſterium. 44
Hæreſes vnde ortæ. 222
Hoc facite, quomodo intelligendum? 33
Hoſtia vino intincta quomodo introducta & abrogata? 87
Huſsitæ vtramque ſpeciem porrigunt tam infantibus quàm adultis. 18

I.

Ignatij verba de vtraq; ſpecie declarantur. 67
Imperatiui modi verba, nõ ſemper habent vim præcepti. 56
Inſtitutio Euchariſtiæ, quomodo à Chriſto facta? 99
Inſtitutiones Chriſti non omnes & ſingulos obligant. 99
Inſtitutiones Chriſti variæ recenſentur. 100
Integritas Sacramenti in quibus conſiſtat? 105
Integritas ſigni qualitatis. 106. *quantitatis. ibid. ſubſtantialis.* 105
Iuſtinum Aduerſarij corrupte citant. 69
Iuſtini Martyris verba de vtraque ſpecie declarantur. 68
Iuſtinum Aduerſarij nunc probant, nunc improbant. 70
Iuſtitia cibus & potus. 205

L.

Laici omnes ſunt oues, licet aliàs ſummi & doctiſsimi. 221
Laici præſumentes de rebus Eccleſiaſticis arguuntur. 222
Laicorum præſumptuoſorum punitio. ibid.

Lapſi quomodo reconciliabantur Eccleſiæ ante obitum. 149
Laquei multiplices, quibus incauti trahuntur ad calicem. 7
Laqueus primus ex corruptelis S. Scripturæ. 7. *Secundus ex corruptis Patrum ſententiis.* ibid. *Tertius ex captioſis ratiunculis.* ibid.
Legalia cur ad tempus tolerata. 138.
Libellus repudij quomodo permiſſus? 279
Libertatem ſub vna vel vtraque ſpecie communicandi Aduerſarij agnoſcunt. 231
Libertas cõmunicandi ſub vna vel vtraq; ſpecie ſumma quãdo fuit. 163.165.230
Libertatem communicandi ſub vna D. Auguſtinus probat. 231.
Libertas credendi confutatur. 222.
Liberum arbitrium quomodo ſit nobis datum. 223
Lutheri abſurditas. 28
Lutheranorum diſſenſiones. 20
Lutherus Euangelium D. Marci de corruptela ſuſpectum habuit. 28
Lutheri iudicium de Patribus Eccleſiæ. 65
Lutheri duodecim contradictiones circa communionem, quæ & ordine enumerantur. 271. 272.273.
Lutheri teſtimonium de 6. cap. Ioannis. 20
Lutherani plerique Chriſtum eſſe in Sacramento negant. 192
Lutherani ſpeciem vtramque tantùm adultis porrigunt. 18

M.

Manducando corpus Chriſti, homo inebriatur. 94
Magdeburgenſium cenſura de Origene. 74. *Clemente Alexandrino.* 71. *Patribus Eccleſiæ.* 66
Mahometiſmus inducitur. 4
Manichæi coacti ſunt ſub vtraque ſpecie communicare. 235
Manichæorum errores. 165
Marcianus Imperator Epiſcopis reliquit Eccleſiaſticas tractationes. 220
Martinum Bucerum Aduerſarij potiùs quàm Eccleſiam ſequuntur. 245

Martinus Bucerus Sacramentũ tantùm in vſu eſſe voluit. 245
Medicorum exemplum quomodo imitandum. 10
Melanchthon fractionem panis in Emmaus Sacramentum fuiſſe concedit. 128
Melanchthonis iudicium de Patribus Eccleſiæ. 65
Methodus huius tractatus explicatur. 10
Miniſteriorum Eccleſiaſticorũ diſcrimina. 252
Miniſtri verbi, non Sacramentorum. 39
Mors Domini ſæpe annunciãda, licet nõ bibamus ex calice. 53
Myſteria diuina variis figuris olim inſinuata ſunt. 112

N.

Neſtorij craſſus error circa Eccleſiæ Sacramentum. 191
Neſtorij error de matre Chriſti damnatur. 235

O.

Obedientia Deo gratiſsima. 280
Obedientiæ virtutis laus. 279
Obedientia Rechabitarum à Deo laudata & remunerata. 281
Obedientia Rechabitarum quanta fuerit. 280
Opera difficiliora maioris meriti ſunt & præmij. 279
Ordo neceſſarius in Eccleſiaſticis miniſteriis. 39
Ordo neceſſarius in rebus Eccleſiaſticis. 31
Origenis dogmata Catholica reiiciuntur à Magdeburgenſib. 74
Origenis verba de ſanguine Chriſti declarantur. 73
Oſtium Euangelicũ ouilis Chriſti quale. 253
Ouium officium & proprietas. 222.

P.

Panis communis ſicut comeſtus cõuertitur in carnem & ſanguinem: ſic panis viuus quam primùm conſecratur. 43
Panis nomine in ſacris myſteriis non intelliguntur cætera. 123
Panis quotidianus cur dicitur? 121.
Panis ſuperſubſtantialis quis dicatur? 121
Particula madefacienda non fuit alia, niſi ſpecies panis. 149
Paſchaſius à corruptelis, à quibus, &

& vbi repurgatus. 93
Paſchaſius per Gaſtium quomodo corruptus. 92
Paſchaſij verba quædam de ſanguine bibendo exponuntur. 90.
Paſtoribus & Rectoribus eſt neceſſaria poteſtas. 215
Patres Eccleſiæ ab Aduerſariis diui & ſancti vocantur. 64
Petrus Dreſdenſis primus inuexit calicem. 257
Pontificem Romanum calumniantur Aduerſarij. 9
Potatio ſpiritualis exemplo herbarum declaratur. 58
Potati ſpiritu vno quomodo omnes ſumus? 57
Poteſtatis Eccleſiaſticæ vſus in quibus præcipuè conſiſtat. 216.
Poteſtate ſunt vſi Apoſtoli. ibid.
Præſumptio cõmunionis ſuſpenſa periculoſa. 182
Probare ſe homo poteſt, ac debet, licet non communicet. 55
Probatio ſeu examen conſcientiæ ſemper fieri debet. 55
Protoplaſtis in paradyſo ſolus cibus eſt datus. 109
Prouidentia Dei factum eſt, quòd calix non ſit præceptus. 36.

Q.

Quotieſcunq; calicē bibetis, &c. nullum habet præceptum. 50
Quotidiana Synaxis tempore Cypriani fuit in vſu. 22

R.

Rationibus variis probatur vnius ſpeciei communio. 12
Reipublicæ Chriſtianæ ſtatus à quibus & quomodo turbetur. 4.
Res variæ extra vſum exiſtunt & manent. 250
Ritus communicandi ab Aduerſariis corruptus. 9
Ritus cõmunicandi à Melanchthone inter adiaphora ponitur. 47
Ritus communicãdi cur à Chriſto liber ſit relictus. 231
Ritus communicãdi poſt cœnam ſublatus. 229
Ritus Eccleſiæ quomodo mutari poſſunt. 47
Ritus immerſionis trinæ cur abrogatus. 228

Ritus de immolatis ſimulacrorum & ſuffocato & ſanguine ſublatus. 228

S.

Sacerdotium à Chriſto in vltima cœna inſtitutum. 38
Sacerdotij & ſacrificij inſtitutio. 124
Sacerdotes habent clauem ſcientiæ. 214
Sacerdotes honorandi. 222
Sacerdoti obtemperandum. 214
Sacerdotes quomodo fideles non ſunt. 39
Sacramentalia quæ ſint? 13
Sacraria quæ Latinis, Græcis Artophoria dicuntur. 157
Sacrificij effectus. 101
Sacrificium incruentum ac ſpirituale Chriſtus ante paſſionem obtulit. 30
Sacrificium Miſſæ celebrabatur tempore Cypriani. 150
Sacrificium Miſſæ ex D. Chryſoſtomo probatur. 81
Sacrificium Miſſæ frequens & perpetua oblatio probatur. 30
Sacrificium Miſſæ probatur à D. Auguſtino. 24
Sacrificium Miſſæ probat D. Auguſtinus. 84
Sacrificio Miſſæ repræſentatur mors Domini. 53
Sacrificium Miſſæ vbi & quomodo inſtitutum. 29 34
Sacrificium Miſſæ frequens & perpetua oblatio. 30
Salus noſtra tribuitur Chriſto, corpori Chriſti, & ſanguini Chriſti. 201
Sacris prophana miſcenda non ſunt. 123
Sanctorum memoriæ vel commemorationes. 156
Sanguis Chriſti aliquando doctrinam Apoſtolorum ſignificat. 73
Sanguis Chriſti duplex. 71
Sanguis Chriſti quomodo aſperſus in nos. 45
Sanguis Chriſti quomodo comedi & bibi dicatur. 19
Sanguis Domini quomodo martyribus dabatur. 75
Sanguinis Dominici effuſio quomodo punita. 239
Sanguinis Dominici irreuerentia pro ſacrilegio habetur. 240
Sapientia dicitur panis & aqua. 205.
Schiſmata vnde orta? 222

Scriptores hoc ſeculo multi & docti. 1.
Scriptura ſacra quædam loca cur à corruptelis purgentur. 17
Serapion metu ſuppliciorum lapſus eſt. 148
Serapion moriturus communicauit ſub vna ſpecie. 148
Serapion particulam intinctam à puero accepit. 149
Seuerus hæreticus debacchatus in altaria, & vaſcula columbaria. 157
Sexto cap. Ioannis Chriſtus promiſit, non exhibuit, nec inſtituit Sacramentum. 19
Sextum cap. Ioannis de communione Sacramentali intelligendum. 18
Sextum cap. Ioan. de Sacramentali communione intelligendum eſſe, ſanctorum Patrum teſtimoniis probatur. 22
Sextum cap. Ioan. quibus verbis maximè agat de communione Sacramentali. 22
Signis diuerſis incrementũ Eccleſiæ ſignificatur. 205
Sitire & eſurire ſecundum ſpiritum idem. 206
Species ambæ Chriſtum ſignificant. 206
Species gratiam non præſtat, ſed Chriſtus. ibid.
Species neutra præcepta populo. 188.
Specie panis Chriſtus integer cõtinetur. 210
Specie panis Chriſtus repræſentatur & ſumitur. 209
Specie panis corpus vt eſca, ſanguis vt potus continetur. 205
Species panis quæ repræſentet. 204.
Species Sacramenti nihil contulerunt communicantibus. 204
Species Sacramenti quid præſtent. ibid.
Species vini cur & quando adhibeatur. 210
Species vini quid repræſentet. 204.
Spiritualis communio quãdo cæperit. 26
Succeſſio probatur. 212
Succeſſio paſtorum Eccleſiæ. 254
Superbia Babylonicorum qualis ſit & quæ faciat. 3
Synechdoche Aduerſariorum reiicitur. 122
Synechdoche non poteſt calici patrocinari. 123

r Synechdo-

Synechdoche quomodo in Sacramento locum non habeat. 53.

Synechdoche tam vnius quàm vtriuſque ſpeciei communioni ſeruit. 53

T.

Teſſera veræ doctrinæ ac fidei. 264.

Teſtamentum Chriſti ad quid inſtitutum? 101

Teſtamentum Chriſti in quo cōſiſtat. 41

Teſtamentum Chriſti confirmatum eſt ſanguine non hauſto ſed effuſo. 43

Teſtamentum Chriſti multis exemplis præfiguratum. 44

Teſtamentum Chriſti per mortem effuſo ſanguine confirmatur. 44

Theodoſi⁹ Iunior Imperator honorauit Epiſcopos, nec immiſcuit ſe rebus Eccleſiaſticis. 219

Theodoſius Imperator quomodo hæreticos honore, bonis & vita priuandos iudicauerit. 220.

Theodoſius Imperator ſub vtraque ſpecie communicauit. 82

Tractatus hic de communione cur breuis & ſimplex. 15

Tractatus huius diuiſio in decem capita. 10

Tradidi vobis, &c. nullum continet præceptum. 49

Tranſubſtantiatio probatur. 91

Tridentinum Concilium vindicatur contra calumnias Aduerſariorum. 269

V.

Valentinianus Imperator honorauit Epiſcopos, nec immiſcuit ſe negotiis Eccleſiæ. 219

Valentinianus Imperator reprehenditur ab Ambroſio, quòd ſe immiſceret Eccleſiaſticis. 220

Verba ſunt intelligenda vt ſonant. 122

Verbum Dei cibus & potus eſt. 205.

Veritas corporis & ſanguinis Chriſti in Sacramento probatur. 130. & 131

Verum & bonum, quomodo diſtinguantur. 268

Vini ſpecies aliquando eſt ſola data. 151

Vini ſpecies cur non ſit præcepta? 208.

Vini

Vini ſpecies fuit aliquando infantibus & agris data. 78

Vini ſpecies non poteſt incorrupta ſeruari pro agris & peregrinis. 243

Vna panis ſpecies rectiſſimè dicitur Sacramentum. 95

Vnam ſpeciem D. Bernardus fratribus porrexit. 182

Vnam ſpeciem porrexit D. Paulus aliis. 187

Vnam ſpeciem ſacerdotes non conficientes perceperunt. 157

Vnam ſpeciem Satyrus apud ſe geſtauit. 158

Vnam ſpeciẽ ſumpſit D. Paulus, teſte Luthero. 187

Vna ſpecies ab omnibus Eccleſiæ Patribus eſt approbata. 64.

Vna ſpecies abſque altera in ſacrario conſeruata. 171

Vna ſpecies à fidelibus domum ferebatur & ibi obſeruabatur. 78

Vna ſpecies cur Iudæis conuerſis data. 140

Vna ſpecies cur Iudæis gratior fuerit. 62

Vna ſpecies in die Paraſceues omnibus porrecta. 181

Vna ſpecies in vaſculis columbinis, olim cur ſeruabatur? 157.

Vna ſpecies olim apud Eremitas ſeruabatur. 160

Vna ſpecies panis ab Eremitis & aliis Chriſtianis in domibus fuit ſeruata. 156

Vna ſpecies panis in ſacrariis cõſeruata & aliis data. 154

Vna ſpecies per buccellam panis inſinuata eſt. 117

Vna ſpecies tantũ continet quantum vtraque. 191

Vna ſpecie totus & integer Sacramenti fructus datur. 197

Vna ſpecies tutior & fructuoſior his temporibus quàm vtraque. 14

Vna vel vtraque ſpecies cur præcepta non ſit. 47

Vniformitas religionis in quibus conſiſtit. 47

Vnius ſpeciei communio à tempore Apoſtolorum hucuſq; in Eccleſia viguit. 182

Vnius & vtriuſque ſpeciei communio fuit aliquando indifferens. 85

Vnius & vtriuſque ſpeciei libertas in Eccleſia diu fuit. 142. 165

Vnius ſpeciei communio à D. Paulo commendatur & traditur. 133

Vna ſpecies probatur à Luthero. 186.

Vna ſpecies ſeruabatur in ſacrariis pro infirmis & peregrinis. 149

Vnius ſpeciei communio Apoſtolis à Chriſto quando data. 126.

Vnius ſpeciei communione Chriſtus totus & integer ſumitur. 105.

Vnius ſpeciei communio dabatur olim ægris, & cùm inglutire non poſſent, addebatur calix. 172.

Vnius ſpeciei communionem D. Paulus ſumpſit & aliis porrexit. 136

Vnius ſpeciei communio duobus diſcipulis in Emmaus eſt data. 127

Vnius ſpeciei communio miraculo confirmata. 77. 161. 168. 170. 174. 175. 177. 180. 183.

Vnius ſpeciei communio exemplo Chriſti per Apoſtolos introducta. 133

Vnius ſpeciei cõmunionem Gregorius Magnus vſitatam fuiſſe probat. 173

Vnius ſpeciei communio famem ſitimq́; animæ tollit. 108

Vnius ſpeciei communio nobis à Chriſto commendatur. 130

Vnius ſpeciei communio perfecta probatur ab effectu. 20

Vnius ſpeciei communio probatur ex Ambroſio. 158. *Auguſtino.* 84. *Baſilio Magno.* 156. *Beda.* 177. *Clemente.* 143. *Cypriano.* 150. *Dionyſio Alexand.* 148. *Gregorio Turonenſi.* 175. *Hieronymo.* 161. *Ignatio.* 144. *Origene.* 165. *Optato.* 154. *Tertulliano.* 146.

Vnius ſpeciei communio variis figuris adumbrata. 112

Vnius ſpeciei communio cur apud primitiuos in vſu fuit. 138.

Vnius ſpeciei communio cur confirmata ſit ab Eccleſia. 234

Vnius ſpeciei communio fuit apud Nouatianos in vſu. 78

Vnius ſpeciei communio per Apoſtolos quomodo introducta. 134.

Vnius ſpeciei communio quomodo

do fuerit impugnata. 4
Vnius ſpeciei communio operatur vnitatem fidei ſpiritus, &c. 238
Vnius ſpeciei communio quomodo introducta & confirmata eſt. 231. 243
Vnius ſpeciei communio ſæpius à Diuo Paulo expreſſa probatur. 53
Vnius ſpeciei cõmunionem ſumpſit D. Ambroſius ante mortem. 159
Vnius ſpeciei communio tempore D. Auguſtini fuit in vſu. 164. Chryſoſtomi. 163
Vnius ſpeciei communione totus Chriſtus ſumitur. 37
Vnius ſpeciei effectus plenarius probatur. 130
Vnius ſpeciei modus à Chriſto declaratus. ibid.
Vnius ſpeciei origo neſcitur ſecũdum Aduerſarios. 182
Vnius ſpeciei origo & progreſſus declaratur. 12
Vnius ſpeciei reliquias pueri innocentes ſumebant. 170
Vnius ſpeciei ritu melius vnitas exprimitur. 281
Vnius ſpeciei tantus eſt fructus, quantus vtriuſq;. 103
Vnius ſpeciei typus fuit manna. 115. Agnus Paſchalis. 113. Lignum vitæ. 112. Panis ſanctus propoſitionis. 119
Vocatio & miſſio Eccleſiaſticorũ Miniſtrorum. 253
Vtramque ſpeciem quomodo Eccleſia permiſerit. 280
Vtramque ſpeciem ſumendi conſuetudo refutatur. 283
Vtramq; ſpeciem ſumendi[illegible]tio non probatur. 284
Vtraq; ſpecies aliquando fuit in Eccleſia præcepta. 87
Vtraque ſpecies aliquando propter Manichæos fuit præcepta. 165
Vtraq; ſpecies cur gentilibus conuerſis data? 140
Vtraq; ſpecies noſtris temporibus quomodo & quibus ſit indulta? 231
Vtraq; ſpecies rectè comparatur cum repudij libello. 279
Vtriuſque ſpeciei communio non omnibus tuta. 275
Vtriuſque ſpeciei communio per Petrum Dreſdenſem, & Iacobellum Miſnenſem (tanquã à Chriſto præcepta) fuit

olim in Bohemiam inuecta. 18

Vtriuſq; ſpeciei communio, quando, cur & vbi ab Eccleſia fuerit præcepta? 230

Vtriuſque ſpeciei communio quare aliquando ab Eccleſia prohibita? 48

Vtriuſque ſpeciei communio quibus conceſſa. 275

Vtriuſq; ſpeciei communio quomodo permiſſa? 279

Vtriuſque ſpeciei conceſſio non excuſat Catholicos ſic cõmunicantes. 284

VV.

VValdenſes tyrãnide Ziska gloriantur. 285

Z.

Ziska vindex calicis. 258

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE.

EPiſtola dedicatoria, A 3. b. verſu 15. lege, Zeloſiſſimus. Folio 53. in marg. v. 20. commemoranda. 62. marg v 26 à ſe. 65. v. 22. nominat. 66. v. 14. ſtipulas. 87. v. 12. præceptam. & v. 18. intinctam. 88. v. 8. Apoſtolo. & in marg. v. 2. dele, Athanaſij & 99. v. 7. An omnia tandem. 102. v. 10. vis. 113. v. 14. ſauctæ. 175. v. 2. eademq́; & v. 5. partem. 181. v. 23. vſitatam. 184. v. 7. ieiunis. 193. v. 29. eos. 194. v. 9. humano. 199. v. 10 contenderent. 223. v. 6. perfecta. 229. v. 25. Dei. 231. v 13. hac. 234. v 2 à fine, vt, pro &. 258. v. 7. habiturã. 261. v. 9. cuiuis. 274. v. 24. verum, pro eorum. 276. v. 22 miniſtrati. & v 27. titubent. 277. v. 25. feruore. 283. marg. v. 6. ſpeciei ſumendæ. 284. v. 11. vniformi. 285. v. 13. dele, non.

Hunc

Hunc R.P. Henrici Blyſſemij Societatis Ieſu, de vno geminoque SS. Euchariſticæ Synaxeos ſalubriter percipiendæ ritu ac vſu Tractatum, cum Scripturæ ſacræ mentem & totius antiquitatis, de eiuſdem Euchariſtici myſterij participatione conſenſum, rectè exponat, magna cum Reip. Chriſtianæ vtilitate publicari, typiſque mandari poſſe cenſeo,

Petrus Steuartius Leodius, D. & facultatis Theologicæ Ingolſtadij pro tempore Decanus.

5-3-6-2

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. C. DI GIACOMO
PESCARA
1973